UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Macherentini Societatis Iesv Theologi, Explanatio Catechismi Catholici

Macherentinus, Johannes

Colon., 1612

urn:nbn:de:hbz:466:1-39397

Visual Library



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

E
I 18.
Th. 1364.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P.

IOANNIS MACHERENTINI

SOCIETATIS IESV

Theologi,

EXPLANATIO CATECHISMI CATHOLICI

vnà cum

PRAXI CATECHISTICA.

AVCTORITATE REVERENDISS. IN CHRISTO *Patris ac Illustrissimi Principis* S. R. I. *Electoris* D. *Domini* IOANNIS *Archiepiscopi* TREVIRENSIS; *iam denuo recognitæ & aucta.*

Collegij Societatis Jesu Paderbornæ

THREN. IIII.

Parvuli petierunt panem, & nemo erat qui frangeret eis.

AVGVSTÆ TREVIRORVM,

Ex Off. Typograph Henrici Bock, Sumptibus PETRI HENNINGI B. b. COLON.

ANNO M. DC. XII.

Cum gratia & privilegio Archiepiscopali.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

IOANNES

DEI GRATIA SANCTAE TREVIRENSIS ECCLESIAE

Archiepiscopus, Sacri Romani Imperij per Galliam & Regnum Arelatense Archicancellarius, ac Princeps Elector, &c. omnibus gregis nostri Pastoribus, ac greginostro salutem in Domino sempiternam.

NON mediocrem in hac nostra pastorali cura ac sollicitudine voluptatem nobis attulit, Dilectissimi, vestra in docendo discendoq; Catechismo obedientia, studium & alacritas, certis siquidem hominibus narrantibus didicimus, passim nostræ Diœcesis Parochos mandato & instructionè à nobis accepta, tanto ardore, hoc tam necessariū iuxta ac salutare negotiū suscepisse, tantaq; diligentia susceptum hactenus vrgere, vt satis superq; declararint, tum

qua in nos; imó verò in deum, cuius vices, etsi indigni sustinemus, sint obseruãtia, tum quam in gregis sui procuranda sãlute, sint peruigiles atque studiosi. Ad haInc animi nostri lætitiam, veluti cumulus accessit, subditorũ quoque in capienda rudiori hac institutione, quæ verissimæ Christiani hominis sapientiæ fundamẽtum quoddam est, atque compendium, promptitudo atq; accensa cupiditas; qua manifestè ostendunt, sibi ad depellendam illam siliquarum, quæ nasci solet ex rerum diuinarum ignoratione, famem, non tam edendi appetentiã, quam qui panẽ cœlestem paruulis frangerent, idoneorũ magistrorũ copiam, authorũ certè minus promptã operã, industriamq; defuisse, siquidem confertim plebem deuotam ad hauriendã salutarem hanc doctrinam, non paucis in locis confluere nobis expositũ est. Ea re spem magnam concepimus, fore, DEO pios vestros cõatus adiuuante, vt sparso hoc diuino semine, atq; ad frugem maturitatemq; perducto, vna cum cœlestis philosophiæ ignorantia, vitia quoque, atq; adeò vitiorum omnium, scelerumquè

que parentis & altricis, hæresios stirpes, in dominicō agro elidantur, funditusq; extirpentur: atq; eorum loco, vera erga Deum religio, erga parētes pietas, erga superiores obediētia, erga omnes amor & beneuolentia, in animorum arua inserantur, ac pristinum virtutis omnis studiū, vigorq; reflorescat. Quod cum euenerit, tū scilicet ab ijs malis, quibus iam miserè conflictamur (Deo nimirū torporem ignauiamq; nostram, in tradendis, percipiendis, meditandis atque exercendis fidei nostræ misterijs, & quā ea parit, vitæ prauitatem non minus salubriter, si modo intellexerimus, quam iustè vindicante) vel prorsus immunes erimus, vel certè ad maiorem nostram vtilitatem feremus leuius.

Porrò dissimulare nec possumus nec volūus, nos ægerrime id accipere, apud quosdam nimirum institutionem Christianā, certo modo, ac ratiōe anno proximè elapso à nobis præscriptā, aut nec dum inchoatam, aut vbi proponi cæpta sit, non ea forte, qua par erat alacritate, haud citra inconstantiæ desidięque notam, leui aliqua data occasiōe intermissam;

ſam; ſeu populi ruditate, ſeu quod magis timemus Paſtorū nominis, officij, & rationis exigendæ, parū memorum, oſcitantia acciderit. Quos etſi pro ea poteſtate, quam in ædificationem, non deſtructionē à Domino accepimus, caſtigare, meritiſq; pœnis afficere poſſemus, maluimus tamen, priuſquam ad acriora deſcendamus illa remedia, bonorum inſtar medicorum emollientibus vti medicamentis, eoſq; paterna prius cohortatione, ad officium ſuum tam præpoſitos quam plebē ipſam excitare. Vt verò hanc prouinciam rudiores in præcipuis religionis Chriſtianæ capitibus inſtituēdi, quæ paſtoralium munerum partes non poſtremæ ſunt, minus grauatè Parochi ſuſtineant, & vt conformis, ſana, ac ſolida ſit omniū doctrina, ſumptibus quoq;, ac tēpori, pluribus libris & emendis & euoluendis neceſſarijs, quantum fieri poteſt parcatur, exijs autoribus, quos Catechiſtis noſtris, poſt Romani & Caniſij Catechiſmos, qui in hoc ſcriptorum genere principes ſunt, terendos cenſuimus ac præſcripſimus, totius Catechiſmi explicationem vtilem

lem, piam ac facilem, hoc est, puerorum eruditioni accommodatam, conscribi iussimus, vobisque donari. Qui fons est sapientiæ, Iesus Christus Dominus ac Deus noster, concedat omnibus vobis, vt salutaribus hisce Catechisticis institutionibus eruditi, crescatis in cognitione Dei, in salutem ac vitam æternã. Ex ciuitate nostra Treuir, 3. Calend. Martij, Anno incarnationis Domini.

1599.

PIO AC STVDIOSO CATECHISTAE

IN catechizandis rudibus opere nimirum & Deo gratissimo, & fidelibus perneceſſario, vt ſumptuum iuxta ac laboris compendium haberes, ex bonis auctoribus ſelegimus, quos tuo inſtituto cõmodiores iudicauimus. Continenti oratione tradita interpoſitis quæſtionibus diſſecuimus, diffuſa contraximus, ſparſa in ordinem collegimus, quæ aut ſubtilitate aut obſcuritate ſua rudium captum ſuperant attemperare conati ſumus. Denique id laborauimus, vt viuificſum panem paruulis fractum, & veluti infantibus præmanſum, in promptu haberes.

Quandoquidem vero non auditores legis, ſed factores iuſti ſunt apud Deum, doctrinæ praxeis Catechiſticas attexuimus & quibus auditores erudiuntur; quemadmodum ſe quiſque in fide, ſpe, & charitate exercere, ſacramenta vtiliter ſuſcipere, iuſtitiæ munia ſtudioſe obire,

obire, ac demum doctrinam Christianam vniuersam in suam vtilitatem conuertere possit.

Porro in vtriusque horum tractatione, Catechistæ, discretione opus est; neque enim in priori omnia omnibus ingerenda, sed proponenda plura, pacioraue, pro auditorū cuiusque ratione & capacitate. A simplicioribus & scitu necessarijs initiū sumēdū: hinc facilior erit ad perfectiora progressio. Sed & ipsam mysteriorū expositionē, si tibi facilius, tuisque auditoribus conuenientius visum fuerit, aliter secare, ac in plures seu pauciores quæstiūculas digerere poteris. Addere etiam ex Romano Pij V. auctoritate edito, & Canisij Catechismo (qui post Augustinum, Cyrillum aliosque Patres in hoc scribendi genere facile principes, sunt) precium erit operæ, præsertim cum ætate scientiaque prouectiores rudioribus permistos nactus fueris.

In altera verô parte, quæ doctrinæ exercitiū complectitur, ad propositos in ea modos adstringendus est nemo. Neq, ordine sicuti capita doctrinæ Christiāæ;

tradenda singula, sed data occasione, nunc hæc, nunc illa praxis enarranda, serioque cohortandi, vt qui nullam id genus habent, vel illam quæ proponitur teneant, vel aliunde petitam meliorem, aut saltem sibi gratiorem certam tamen & definitam constanter obseruent: Vt enim stirpes crebro transplantatæ arescunt, sic qui in suis spiritualibus exercitamentis temere vagantur, nec certi quicquam sequntur, raro proficiunt. Quod supereſt, si in hisce tradendis strenuus fueris atque indefessus, ipsi quidem primum tui Catechumeni igne inardescent, quem Christus venit mittere in terram, tum ipsos ita demereberis, vt Apostolo iudice in omnibus suis bonis tibi communicare teneantur, denique veluti stella in firmamento inperpetuas æternitates clarissima luce colluſtraberis.

Modus Ruditer tradendi doctrinam Christianam.

TEmpus aptum his rudimentis tradendis est, pomeridianum, ad quæ signo

signo vno vel pluribus vocandi sunt omnes. Hoc ipso viri à potationibus, fœminæ, iuuenes & iuuenculæ ab otio, plurimorum malorum seminario auocabuntur: & variæ libidinum ac scelerum species, quæ festis diebus, in agris, hortis, vineis ac nemoribus ab ociosis committi solent, cauebuntur: nimij lusus cassabuntur, denique festi dies religiosius peragentur, sine quo vera pietas religioque stare nequit. Si à magistratu cuiusque loci impetrari possit, ne ante absolutam Catechismi lectionem publicæ tabernæ pateant: choreæ præsertim templo vicinæ eo tempore, prohibeantur, id Catechista procurare non negligat.

In capaciori loco proximi sint Catechistæ pueri & puellæ, non intetmixti sed loco distincti. Adulti vt volent, & honestas requirit, circumstent.

Catechista Clericali habitu decenter, non tamen superpelliceo, nec stola indutus nec ex suggestu, aut loco, ex quo concio haberi solet, sed in alio con

conuenienti lectionē auſpicaturus militiæ Chriſtianæ ſignum hoc eſt Crucē efformet, manū à fronte ad vmbelicū, & à ſiniſtro latere ad dexteram ducendo. Signet deinde frontem, os ac pectus. Dum autē maiore minoreue Cruce ſe ſignat, dicat clara voce vernaculè (in nomine Patris) quē nulla interpoſita mora ſequētur Auditores; deinde verò Catechiſta ea pergēs dicat. (Et Filij), quæ verba itidem repetent clara voce Auditores. Ac ita deinceps præibit Catechiſta recitando ſymbolum fidei, orationē dominicam, ſalutationē angelicā, decem Dei præcepta, & quinq; Eccleſiæ. Hanc recitandi rationē nullo verbo mutato, ſemper Catechiſta ſeruabit. Qua oratione petent à Deo gratiā proficiendi.

Inter orandum conuenit pueros cęteroſq; auditores ſemper flectere genua, itaque verſus altare. Contra tamē Catechiſta ſtabit auerſus quos docet aſpiciens, partim vt qua ſint modeſtia obſeruet, partim vt num rectè an ſecus ſignum crucis efforment, videat. His peractis à peritioribus exigat rationem lectiōis nouiſsimæ habitæ, vel ipſos inter

ſe,

se committendo, vt ex se mutō sciscitē-
tur, vel ipse vnum aut alterum interro-
gabit. Repetitione facta pergat in expli-
catione suscepta, & per quæstiunculas
(quas plures esse duabus aut ad summū
tribus non conuenit) sua proponat, illis
velut iter digito monstrans ad similes
instituendas. V.G. Cur in oratione Do-
minica dicatur. (Pater) aut (Pater no-
ster) & non pater meus & sic de reliquis.
Sit autem quæstionum breuis & aperta
responsio. Exempli gratia. Deum ideo
dici patrem, vt nos tanquam Filij exspe-
ctemus ab eo hæriditatem gloriæ, auxi-
lium in necessitate, nutrimentum aliaq;
similia, quæ solet, pius pater filijs elargi-
ri: deinde vt nos illi, tanquam patri, præ-
stemus honorem, amorem & obsequiū.
Patrem nostrum dici, non meum, vt in-
telligamus Deum paternam curam ge-
rere omnium, æque pauperum atq; di-
uitum, ignobilium ac nobilium, tum vt
discamus omnes nos fratres esse, & velu
ti fratres, in domo Dei habitare vt alter
alterum iuuet, alter alterius portet one-
ra. Has & similes rationes breues tamen
& lucidas, alijs atque alijs verbis maxi-
mè

rò per similitudines, & familiaria exempla, quibus mirum in modum capitur vulgus & docetur, explicabit. Paucis item, memoriæ puerorum & rudium iuuandæ causa, in explicationis extremo, interrogationem repetet, & quid dictũ sit, breuiter & dilucidè in memoriam reuocabit. Exiget deinde quæ dixit ab vno aut altero: si quid bene dixerint, laudabit vt ad discendum etiam laude tenelli animi inflammentur. Eriget imbecilliores, suggerendo quæ non intellexerunt, vt animentur, præmiolis quoq; donare diligentiores expediret, quorum sumptus, alij profectus puerorum, ac publicæ vtilitatis cupidiores, subministrabunt. Vbi rationem eorum quæ docuerit habuit, eodem prorsus modo, duas tresue quæstiones explicare, & ab auditoribus rationem exigere perget. In fine legendum aliquid ex capitibus Catechismi, & flexis genibus vernacula lingua claraq; voce formula Confessionis generali SALVE Regina præeunte Catechista pronunciandum.

Quando & quoties Catechistæ visum fuerit, vel in ipso lectionis initio, vel in fine

fine audiat palam eos, qui Catechismum memoriterrecitant, & diligentioribus coram omnibus interdum suam tribuant laudem aut præmium.

In magnis festiuitatibus cum fidei mysteria celebrat Ecclesia, vt incarnationis, Natiuitatis Circumcisionis, Apparitionis, Resurrectionis, Ascensionis, bonum erit modo iam dicto de mysterijs illis agere. Infestis sanctorum, pietatis incitamento erunt egregia vitæ exempla sanctorum qui celebrantur. Huiusmodi etiam alias referri vtile ac iucundum fuerit: Dummodo ex probatis historijs promantur. Erit precium operæ, si ante quam docere incipiat, aliquot pias cantiones præmittat. Similiter & post absolutam institutionem iterum cantetur, ac studiosè adlaboret diligens catechista, vt eum finem assequatur, qui in præfatiuncula Treuirensium cantionum propositus est, nimirum vt maiore iucunditate in scholis literas, & in templis doctrinam Christianam addiscat tenera iuuentus, & grandiores, cantilenas parum decentes dediscant.

PRAE

PRAELVDIVM CATECHISTICVM DE S. CRVCE, VEXILlo nimirum militiæ Christianæ.

Hoc libro continentur.

Quinque præcipua capita doctrinæ Christianæ

1. *De Fide*
2. *De Spe*
3. *De Charitate*
4. *De Sacramentis.*
5. *De Officijs iustitiæ Christianæ.*

Fructus seu praxis, qui sunt varij modi Fidem, Spem, Charitatem, & quod reliquum est doctrinæ opere exercendi.

PRAE-

PRÆFATIO

PRÆLVDIVM CATECHISTICVM DE FORMANDA S. Cruce.

Vide Bellarminum lib. 2. de Imaginibus. c. 26. 27. 28. 29. & 30.

Quodnam est vexillum militiæ Christianæ.

SIgnum sanctæ Crucis in nomine sacrosanctæ Trinitatis formatum, quod in veteri testamento, præfiguratum, & ab ipsis Apostolis traditum summa semper veneratione Ecclesia vsurpauit.

Quæ redemptionis nostræ mysteria in eo compræhenduntur.

Præter dominicam passionem, quã Crux ipsa aperte ob oculos ponit, & diuinæ essentiæ

vnitatem, perſonarumque trinitatem ipſis verbis expreſſam, quando à capite ad pectus ſignantes nos manum ducimus, & à ſiniſtra ad dexteram per medium inſinuamus Filiũ Dei deſcendiſſe, atq; in vtero virginis matris, nullis noſtris meritis, ſed ſola charitate ſua, carnem aſſumpſiſſe: vt eius merito à delictis expiati, à ſiniſtra, vbi ſunt hœdi peccatorum ſordibus fœtentes, ad dexteram in tremendo iudicij die tanquam electæ oues tranſferamur.

Quam præterea vim habet ſignum Crucis?

Orationis, qua Cruce ſignan-

nantes nos, precamur vt nobis ipsis diuina maiestas benedicat, & in omnibus actionibus nostris per significata mysteria, suum auxilium præstare dignetur.

2. Hoc ipso signo nos nostraque Deo offerimus, vt in ipsius gloriam omnia cedant & gratiarum actionem.

3. Ad spem Charitatem & crucifixi imitationem nos ipsos excitamus.

4. Est coniuratio quædam ad fugãdum dæmonem, eiusque vires frangendas, & praua cordis & concupiscentiæ motus.

Tertullianus lib. de corona militis.

Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitū, & calceatum, ad lauacrum ad musas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, frontem Crucis signaculo terimus.

D. Cyrillus Catachesi quarta.

Non pudeat nos Crucis Christi, quod si aliquis hoc occultet, tu manifestè signa te in fronte. Fac autem hoc signum, & manducans, & bibens, & sedens, & stans, & loquens, & ambulans, & in summa in omni negotio.

CAPVT

CAPVT PRIMVM
DE FIDE.

EXPLICATIO SYMBOLI APOSTOLICI.

BREVIS ILLIVS AC PERFECTAE fidei professionis quinam sunt autores?

SYMBOLVM Christianis omnibus notissimum, apostolicũ nuncupatum, ab ipsis Apostolis proculdubio profectum est, & Ecclesiæ traditum. Hi enim priusquam in diuersas orbis partes discederent (ait D. Clemens Romanus) simul collecti symbolum composuerunt, quo earum rerum capita breuiter & perspicuè cõprehenderunt, quæ omni Christiano homini apertè cognoscenda sunt, & ore confitenda: Tametsi namque sint plurima quæ fide creduntur (in quo genere est vniuersa scriptura sacra, & traditiones maiorum, seu verbum Dei in corde scriptum Ecclesiæ) pauca tamen à populo exiguntur, quæ eiusmodi sunt, vt qui in earum rerum ignoratione

Fran. Cost. lib. 5. institut.

Epist. 1.

Cap. 7. Cap. 45. versantur Christiani vel Catholici (vt est in 6. Synodo & Concilio Moguntino) esse non queant.

Quamobrem vero symbolum dicitur?

Huic fidei professioni, symboli nomen imposuerunt, à militari symbolo ratione deducta, quo cōmilitones ab hostibus dignoscuntur. Soli quippe Christiani atque Catholici hoc symbolo rectè vtuntur, & ad sincerum germanumque Apostolorum sensum profitentur: Infideles, siue qui à Christianæ Religionis cultu omninò alieni sunt, vt Gētiles atque Iudæi, prorsus ignorant. Hæretici verò quosdam articulos vel penitus negant, vel interpretationbus deprauatis in nouas alienasq; sententias detorquent. Neque vlla vnquam extitit hæresis, quæ non hoc symbolo damnari potuerit, vnde & veteres hoc symbolum magni fecerunt, & plerique eruditè exposuerunt

In quot partes diuiditur symbolum?

Irineus li. 1. c. 2. Epiphanius hæresi 73. In tres iuxta tres Deitatis personas: & in duodecim articulos tum ex numero duodecim Apostolorum, tum ob duodecim diuersa argumenta quæ credenda, proponuntur.

PRIMVS ARTICVLVS

Hieron. ad Pamachiū. Credo in Deum Patrem omnipotentem Creatorem cœli & terræ.

Quot sunt huius articuli partes?

Duæ

Duæ, altera qua in diuina natura vnitatē credimus, altera, qua primam Deitatis personam. *Leo ep. 13. Serm. 1. de passione Domini. Maximus Tauri. ser. de tradit. Symb.*

CREDO

Quid primum exigitur ab eo qui ad Deum vult accedere?

Prima vox, quæ ad Deum accedenti proponitur, est, non scire, non videre, non operari, sed credere; quæ vox toties, ijs qui baptismatis Sacramento initiantur, repetitur & commendatur.

Quæ est vis huius verbi?

Verbum hoc (CREDO) duplicem nobis conditionem innuit. Primò, firmissimū assensum, certissimamque notitiam. Secundò, obscuritatem, quia nobis res illa, quæ creditur, non est euidens & clara: Non enim clarè videmus in vnitate substantiæ tres personas, in vna Christi persona duas naturas, in hostia sacra Christi verum corpus. *August. de fide & Symbolo. Ruffi. ad Laurent. de expositione Symboli.*

Estnè eorum quæ credimus veritas nobis certa, licet euidens non sit?

Certissima: nam de his quæ fide credimus, certiores sumus, quam de his quæ oculis videmus; vtpote pro quibus sanguinē profundere, & extrema quæque perpeti parati sumus.

Vnde in nobis hæc certitudo?

A regula omnis veritatis exploratissima, Deo omnipotente: Ideo namque credimus,

quia Deus dixit, vt vero Deum dixisse credamus, partim externis indubitatisq; signis inducimur, qualia sunt miracula, in fidem veritatis edita, constantia in fide sanctorum martyrum; consensus in eadem fide totius per orbem Ecclesiæ: longa & nunquam interrupta ab ipsis Apostolis in eadem fide ad nostrum vsque æuum deducta successio: aliaque quæ enumerat B. Augustinus: Partim ex dono fidei diuinitus infuso, sine quo cætera omnia non sufficiunt, vt impellant hominis voluntatem ad res, quæ vi sensuum in animum manifestè non inducuntur, firmiter assentiendum: si quidem intellectus, quod euidentia perspicuè non videat, à voluntate est ad credendum inclinandus.

Cap. 4. contra Epistolam fundamēti.

IN DEVM.

Quid est in Deum credere?

Ita fidem illi habere vt primæ summæq; veritati à qua omnis pendet veritas, & in qua bonum vniuersum rerum omnium creatarum sit collocatum. Itaque etsi hominem credimus esse, & homini loquenti credamus, solus tamen Deus est in quē credimus.

Hoc nomen Deus quid insinuat?

Simpliciſſimam quidem naturam, sed quæ sit infinitæ nihilominus perfectionis, immensæ pulchritudinis, potentiæ, sapientiæ,

tiæ, charitatis. In qua est, quicquid est bonum, à qua tanquam ex fonte omne bonum dimanat, sine qua nullum bonum, consistere suoque in statu conseruari, potest.

Quid de Deo credendum?

Hanc diuinam naturam, & Deum ipsum vnum esse. Non enim sunt duo infinitè perfecta, quod in vno infinito omnis insit perfectio.

Quos colligis ex hac explicatione fructus?

Discimus primo, Christiani hominis officium: nimirum non inuestigare rationes eorum quæ fide nobis credenda ab Ecclesia præscribuntur, sed simplici cordis modestia, veraque integritate assentiri; memores antiqui nominis Christianorum, quo discipuli vocabantur, vt ne magistri, aut contentiosi disputatores esse videantur; sed ab Ecclesia magistra, quam Christus constituit *columnam & firmamentum veritatis*, fidē accipiant, & veritatem omnem (quam illa à Spiritu sancto edocta est) addiscant.

Iacob. 3.
1. Cor. 11.

1. Tim. 3.
Ioan. 16.

Secundò, discimus terrena hæc bona cōtemnere, animumque & desiderium omne in Deum conuertere, in quo est omne bonum; quo enim magis vacui erimus affectu bonorum huius vitæ, eo capaciores erimus bonorum diuinorum; dummodo exigui temporis moram sustinere ne grauemur;

cum omne tempus huius vitæ sit valde exiguum, eiusque exitus in singulas horas sit expectandus.

PATREM

Altera pars articuli quid explicat?

Primam personam in diuinis, quæ dicitur atque est Pater, quia eiusdem substantiæ atque naturæ Filium ex se produxit, nō creando vel faciendo, sed gignendo, diuino atque admirabili modo.

Nunquid sancti Angeli, atque homines iusti, Deum Patrem suum appellant?

Vtique: Est namque ipsorum Pater, non natura, sed similitudine quadam, tanquam in filios hæreditatisque cœlestis participes adoptati; excellentiori tamen ratione, atque homines adoptantur ab hominibus: hi enim nihil interius reuera à parentibus accipiūt; sancti autem participes efficiuntur diuini spiritus, doniáque spiritualis gratiæ Dei; qua consortes redduntur quodammodo diuinæ naturæ.

OMNIPOTENTEM.

Cur primo loco attribuitur Deo omnipotentia?

Primum, quod eam in mundi creatione, ante cætera exhibuerit, tum ne Christiani de Dei potentia ambigant & disputent. In hac

hac tamen proprietate etiam cæteræ intelligendæ veniunt, quod omnia sciat, quod omnia prospiciat, omnia prouideat.

Estne & Filius & Spiritus sanctus omnipotens?

Est sane: quandoquidem æqualis omnibus in rebus est potestas tribus personis: sed omnipotentia potissimum Patri tribuitur, tanquam summæ Trinitatis principio, cui conuenit dicere, dicendoque per Filium sapientiam, in charitate, quæ est Spiritus sanctus, cuncta creare atque producere.

Quam parit hæc fides vtilitatem?

Magnum solamen adfertur pijs Christianis, quod patrem habeant in cœlis qui omnia possit. Quo enim parens maiori est potentia, eo filijs prolixus minoriq́ue cum difficultate, quacunque in necessitate succurrit. Discimus præterea *altiora nobis non quærere, & fortiora non scrutari, quia potens est Deus superabundanter facere quàm petimus aut intelligimus:* semper Deo displicuerunt scrutatores maiestatis, qui ex suo intellectu metiuntur Dei potentiam.

Eccle 3. Ephes 3. Proue. 25. Psal. 77.

CREATOREM.

Qua in re suam declarauit Deus omnipotentiam?

Insigni creationis opere, quo in gratiam

noſtri vniuerſam hanc mundi machinam, cunctaſque res in ea creatas, produxit, & iuſſu ſolo ſic ex nihilo effecit, vt non aliter omnes ab ipſo dependeant, atque lumẽ huius aëris à luce ſolis: Niſi enim Deus continenter hoc ipſum quod ſumus conſeruaret, in nihilum redigeretur, omnis creatura.

COELI ET TERRÆ.

Quod Cœlum & quam terram à Deo condita confitemur?

Cœli nomine accipienda veniunt omnia cœleſtia corpora, & ſpirituales naturæ. Angeli nimirum omnes, qui à Deo cum cœlis conditi ſunt, quorum quidam ſtatim à Deo auerſi, in hæc inferiora ex cœlis exciderunt.

Terra, dicuntur omnia terrena elementa, & mixta.

Cœlum cur priorem in confeßione locum obtinet?

Priori loco cœlum nominatur, tum quod & habitatoribus præſtantius; tum quod finis vltimus, ad quem Deus hominem formauit, quem primo loco intendit, & hominem parauit; Terra enim non vt perpetua habitatio, ſed vt via tantum & medium, quo in cœlum tenditur, nobis eſt facta.

Quid hinc diſcimus?

Ex animo diligere Deum, in eiuſq; gloriam

riam omnia referre, qui tanta potentia tam eximia in nostri gratiam effecit, cœlum in quo perpetuò summis gaudijs & incredibili lætitia maneamus, terram cum omnibus quæ in ea sunt creaturis & commoditatibus, ne quid nobis in hoc itinere desit.

SEGVNDVS ARTICVLVS.

ET IN IESVM CHRISTVM Filium eius vnicum Dominum nostrum.

Sufficitne fide cognoscere Deum creatorem rerum omnium?

Post hominis lapsum non sufficit: sed necessarium præterea illius habere notitiam, per quem redempti sumus, vt humano generi pace summi æternique Patris conciliata, in eius gratiam duceremur. Hic est Filius Dei secunda in Trinitate persona, non minus atque pater verus Deus, sicuti vocula (IN) significatur: De quo agit hic articulus, & quinque sequentes.

IESVM.

Quod est nomen Redemptoris nostri?

Hæc persona, quæ sola humanam naturam assumpsit, sola quoq; accepit proprium nomen, & id quidem valde conueniens officio, nempe IESVS, hoc est, saluator. Quo-

ties enim Deus ipse hominibus nomina imposuit, fuerunt illa non vacua, sed plena mysterijs, & conditionibus illorum hominum consentanea. Dicitur itaque Iesus, quia humani generis verus & perfectus saluator, qui & mala omnia à pernicie gregis Christiani depellit, sicut quondam Iosue filius Iosedech Israëliticum populum ex captiuitate, miserijsque Babylonicis abduxit, & cœlestium bonorum æternæque fœlicitatis participes facit, vt olim Iesus filius Nun in terram promissionis Israhelitas introduxit. Et in hoc mundo cœlesti pane & consolatione fideles reficit, vt quondam Ioseph Patriarcha, prouidente charitate sua, de cibo, frumento & pane Ægyptijs prospexit, vnde à Pharaone nomen accepit saluatoris mundi.

CHRISTVM.

Christum cur appellamus?

Quia credimus hanc secundam in diuinis personam esse verum illum Messiam & Christum, à tot sæculorum memoria à Deo nobis promissum, neque præter hunc expectandum vllo tempore alium.

Quid significat Christus siue Messias?

Idem quod vnctus. Et quia olim sacrato oleo, inungebantur Sacerdotes, Reges atque Prophetæ; Credimus IESVM nostrum esse

Leuit. 8.
3 Reg. 19.

esse sacerdotem summum, Regem Regum, & Prophetam, vnctum non oleo nostro, nec opera hominis, sed gratia Spiritus sancti, à Patre cœlesti. *Propterea* (inquit) *vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Psal. 44.

Sacerdotali officio quando Dominus noster IESVS *Christus functus est?*

Sacerdotij quidem Aaronici munus & actum, semel in ara crucis exercuit, cum sanguinis vera effusione, offerens corpus suum: Secundum ordinem vero Melchisedech, qui Aaronem tempore antecessit, pridie sacrificij istius cruenti, in nouissima cœna, quando manibus suis sub specie panis, sacrum corpus, & sub vini, sacrum sanguinem suũ Deo Patri obtulit, & Apostolis sumenda porrexit, Deinceps autem ad consummationem vsque sæculi, ministerio Episcoporum & Presbyterorum per quos hoc iuge & incruentum sacrificium quotidie in Eccle sijs Christianorum immolat, *vt sit sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Psal. 109.

Regem esse commonstra.

Rex est, quia accepta potestate, in cœlo & in terra, vniuersam creaturam moderatur, leges condit, officia totius orbis distribuit, iudices mundi constituit, non hoc tantum æuo seu vitæ decursu, sed iudicio quoque alterius vitæ hostes suos debellat, subditos

tos tuetur : Cuius ministri sunt, quotquot in hoc mundo gladium portant, & iura iudiciaque ac prouincias administrant, quacunque tandem dignitate emineant. Illi nos Christiani in baptismo nomen dedimus, sacramentoque obligauimus.

Rom. 3.

Estne Propheta Dominus?

Deut. 18. Act. 7. Est vtique, de quo Moyses prædixit: *Prophetam suscitabit vobis Deus de filijs vestris, quem tanquam meipsum audietis.* Prophetarum erat populum ad meliora vitæ studia cohortari, futura prædicere, occulta reuelare. Hæc, quando in terris mortalis degebat, abundè per se ipsum præstitit: Nunc in cœlis apud Patrem residens, eadem per ministros suos, Concionatores, Pastores, atque Doctores agit, per quorum ora ipse nos instruit, occulta cordis vulnera non raro tangit, abditissima quæque mentis vitia, in memoriam reuocat, & nobis ipsis ob oculos ponit, incorruptam futuri iudicij seueritatem, & pœnas sceleribus debitas interminatur, præmium æternæ gloriæ ijs proponens, qui vitam integram, virtutumque splendore illustrem præstiterint, multaque alia quæ futura, aut metuere aut sperare debeamus pronunciat.

Fructus dignos huius fidei collige.

Primus, à nemine veram salutem quam à IESV nostro vel quærere, vel expectare, & om-

omnem ſpem fœlicitatis, tam huius, quam æternæ vitæ, in eum defigere. Secundus: Sacerdotibus, Principibus, Concionatoribus, cæteriſque ſuperioribus obtemperare, eos non vt homines intueri ; neque vt alia conditione ſeu qualitate, veluti nobilitate, diuitijs, eruditione, facundia ſpectatos, ſed tantum vt Chriſti vicarios atque miniſtros audire, cuiuſmodi tandem ex ſe ſint illi, ſeu pauperes, ſeu imperiti, ſeu ignobiles, & obſcuri: vt enim vel nunquam, vel raro, miracula eduntur ad imagines aureas, aut nobili materia precioſas, ſed ad ligneas, lapideas, & humana exiſtimatione viles : Ita Chriſtus, qui per paucos piſcatores orbem conuertit ad fidem, per abiectos eundem moderatur, vt non nobis ſed nomini ſuo detur gloria, prudentiſſimæque gubernationis beneficium acceptum feratur.

FILIVM EIVS VNICVM.

Nunquid & nos filij Dei ſumus?

Credimus Chriſtum eſſe naturalem filium, quem Pater ab æterno genuit, & gignit ſemper perfectum ex ſe, ſine opera matris. Nos filij per adoptionem ; non ex natura Dei producimur, ſed Dei voluntate, qui dū in animas noſtras infundit Spiritū ſanctum ſuum & filij ſui, hoc eſt gratiam diuinam, tranſ-

transmutat nos aliquo modo in aliam cælestem naturam ; vt per internam illam diuinam qualitatem & affectionem, simus quodammodo diuinæ consortes naturæ, filijque Dei, adepti ius hæreditatis regni cœlestis.

Propter hæreses de filio Dei olim exortas quid addidit Synodus Constantinopolitana ad huius partis explicationem.

EX PATRE NATVM ANTE omnia sæcula.

Non ex muliere factum vt homines: non diuina inspiratione vt animam Adami protoplasti: sed ex Patris substantia, non post Patrem, sed quam diu fuit Deus Pater, genuit & gignit Filium.

DEVM DE DEO.

Non factum Deum post natiuitatem quo modo Reges primum eduntur in lucem, tum inaugurantur, sed natum Deum, & qui ex natura habeat, quod sit Deus.

LVMEN DE LVMINE.

In lumine est pulchritudo, & vis producendi. Credimus itaque primo in Christo omnem inesse pulchritudinem & perfectionem. Secundò quod eam non aliunde, quã

à Pa-

à Patre accipiat. Tertiò quod non instar creaturarum partem aliquam diuinæ perfectionis participet, sed quod ex patris substantia omnia habeat, eandem videlicet cum Patre naturam.

DEVM VERVM DE DEO vero.

Non est Deus ad eum modum, quo homines dij appellantur: *Ego dixi, dij estis:* aut quo gentilium dij à dijs gentium geniti fingebantur: sed verus & propria significatione Deus, non minus atque Pater, à quo diuinitatem hanc veram accepit. *Psal. 81.*

GENITVM NON FACTVM

Non creatum de nihilo, non productum ex materia, non aliquod sui ortus initium habentem, tanquam aliquando non fuerit, sed per modum verbi & filij genitum.

CONSVBSTANTIALEM PATRI.

Non alterius, non similis, non distinctæ numero, sed prorsus eiusdem substantiæ, solum hoc differentem à Patre, quod hîc sit Pater, dans substantiam, iste Filius accipiens substantiam.

Fructus

Fructus hinc decerpe.

Primò excitatur fides noſtra, quia ille nos veritatem docuit, qui illam apud Patrem vi-
Ioan. 1. dit, *Vnigenitus* (inquit) *qui eſt in ſinu Patris ipſe reuelauit.* Secundò, excitatur ſpes noſtra, quod is qui æqualis eſt Patri æterno atque omnipotenti, frater noſter eſſe, nobiſque vinculo neceſſitudinis arctiſſimo aſtringi voluerit.

DOMINVM NOSTRVM.

Filius Dei quibus rationibus eſt noſter ac vniuerſæ creaturæ Dominus?

Ijſdem omninò quibus Pater & Spiritus Sanctus: Primò, quia de nihilo finxit & formauit omnia (per quem omnia facta ſunt.) Secundò, quia moderatur, nutrit, iuuat, regit triplicem hanc familiam, Cœleſtium, Terreſtrium, & Infernorum. Tertiò, quia mercede nos æternæ vitæ ad cultum veræ religionis, amoremque virtutum conduxit. Quartò, quia de voluntate Patris in charitate ſpiritus ſancti nos redemit.

Peculiariné ratione Dominus noſter eſt Dei filius?

Eſt, nempe quia pretium ipſe pro nobis ſoluit, pretioſum, ſacratiſſimumq; ſangui-
Epheſ. 2. nem ſuum, *mediumq; parietem maceriæ diſſoluit, inimicitias in carne ſua.*

Nonne

Nonné Pater cum Spiritu sancto nostram redemptionem operatus est?

Operatus est quidem non consensu solum, sed & effectione, solus tamen Filius sanguinem & *animam suam* εἰς λύτρον *in redemptionem pro multis dedit.*

FRVCTVS.

Quid debemus Domino nostro?

Officium bonorum seruorum. Primò, Dominum nostrum reuereri, iuxta illud: *Si ego Dominus, vbi timor meus?* Omnia enim cõtemplatur vbique præsens. Secundò, actiones omnes & studia nostra in Domini commoda, & gloriam referre, non enim sumus nostri, sed eius qui emit nos precio magno. Tertiò, seriò quotidiè expendere, quibus rationibus Domino nostro illo die grati animi, fidique serui officium, præstare possimus. *Malach. 1.*

ARTICVLVS TERTIVS.

QVI CONCEPTVS EST DE Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine.

Quæ summa articuli huius?

Iubemur credere eundem filium Dei, eiusdem cum Patre substantiæ, qui in cœlis

est in sinu Patris, non ad angelorum dæmonumué salutem vindicandam, vlliusué alterius naturæ commodum asseruandum, sed propter nos homines, & propter nostrá salutem, ad portam cœli nobis referandam, viamque sternendam, & modum præscribendum æternæ vitæ, descendisse de cœlis, non cœlis relictis, sed nouo modo, assumpta humana natura, visibili ratione nobis præsentem factum: cœlum & terram nihilominus, nobis occulto & non spectabili modo, complentem maiestate diuina.

CONCEPTVS EST.

Quid sibi vult conceptus est?

Non dicitur factus, aut creatus, sed conceptus. Primò, quia filius Dei factus non est, sed conceptus & natus. Secundò, quia non prius creatus est homo, & postea assumptus, sed humana natura, à persona Filij Dei, eodem tempore, & facta & assumpta est. Tertiò, quia Filius Dei tametsi nouo sit & admirabili modo conceptus & factus homo, non alio tamen modo, quam per veram conceptionem, humanitatis nostrę naturam conditionemque subijt. Quartò, quia filius Dei, qui ab æterno fuit, in eandem personam tam arcto necessitudinis vinculo naturam humanam sibi coniunxit, vt actiones

omnes

omnes Dei tribuantur homini, & quicquid homo aut egit aut perpessus est, id in ipsum quoque Deum omne transferatur. Siquidem homo ille IESVS, cœlum & terram de nihilo creauit, cœlum replet & terram, ab æterno ex Deo Patre natus est Deus: idem ille filius Dei esuriuit, sitiuit, laborauit, defatigatus ex itinere petijt haustum aquæ, passus, irrisus, cruci affixus, mortuus & sepultus.

DE SPIRITV SANCTO.

Ex natura Spiritus Sancti conceptus est Dominus?

Nequaquam, sed opere Spiritus Sancti, cui hoc incarnationis opus, quod à tota sanctissima Trinitate est perfectum, peculiaribus ex causis tribuitur, tanquam amori Patris & Filij, qui omnis sanctitatis est fons & author.

Causas illas explica?

Primò, quia non nostris meritis, sed ineffabili charitate Dei, Filius Dei factus est homo: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Secundò, vt sanctos nos efficeret. Tertiò, quia incarnatio sancta & conceptio sine peccato. Quartò, quia corpus Christi omni ex parte perfectum, tanquam opus præstantissimum charitatis Dei. Quintò, quia ab ipsa conceptione homo Ioan. 3.

perfectus, repletus sapientia, & cæteris spi-
ritus sancti dotibus ornatus. Sextò, qui
anima statim in vtero matris summè beata
Dei gloriam atque naturam contemplaba-
tur. Septimò, quia ex sola matre in terri
natus, sine Patre, quem putatus esset habe-
re, si de cœlesti Patre non de Spiritu sancto
diceretur conceptus.

Fructum collige.

Primò, Magna offertur consolationis
materia, quod Deus nobis neque prome-
rentibus, neque cogitantibus, pro nobis ho-
mo fieri, nobis omnium miseriarum (ex-
cepto peccato) participatione similis, no-
bisq; plus charitatis, quam ipsis Angelis ex-
hibere voluerit, & id quidem eo tempore
cum mundus abundaret peccatis. Nihil igi-
tur non faciet pro filijs iam sibi reconcilia-
tis. Secundò, Ne negligamus salutem no-
stram, neq; parui æstimemus conditionem
nostram; cuius in libertatem vindicandæ
gratia Deus factus est homo.

NATVS

An instar Adami formatus, aut vt Eua eductus?

Minimè vero: sed verè propriéque com-
muni ortus humani principio infantulus
natus,

natus, in Bethlehem, id est, in domo panis, verus Angelorum & hominum cibus, Regis Dauid, Patris sui oppidulo; atque in stabulo, ne quis de splendore nobilitateq; natalium glorietur.

EX

An aliunde assumpto corpore per matrem ceu canalem transijt?

Somniarunt id hæretici olim; Verum Dominus noster non aliunde sibi assumsit: sed ex purissimis matris sanguinibus, corpus sibi aptauit vt reuera filius esset Mariæ: Et Maria verissima mater Dei, id indicat vocula (EX) in articulo posita.

MARIA

Quid significat Maria?

Maria syriacum, sonat Dominam, & stellam maris; non enim decebat vt Dominus orbis ex alia, quam ea, quæ futura esset orbis Domina, nasceretur; quæ in hoc æstuoso mari, nobis se stellam exhiberet, & ducem ad solem iustitiæ, atque ad verum portum tranquillitatis, æternæque salutis.

Quæ eius conditio, genus & familia est?

Paupercula fuit mater, ad diuitiarum contemptum: atque ex genere Israël, vt pro

bonis pariter & malis, Dominus in huius vitæ lucem venire sciretur, siquidem gentiles, nullos habebant bonos; Iudæi bonos & malos. De familia Dauid & cognatione Elizabethæ ex filiabus Aaron sacerdotis, tanquam Rex & verus sacerdos.

VIRGINE.

Abstulit matri nascendo virginitatem?

Beatissimam Mariam inuenit virginem purissimam, hanc vitam ingressus; virginem reliquit, vt virgo esset in partu, & virgo post partum: Clausstris virginalibus clausis, magno miraculo egressus vterum. Primò, ne sua natiuitate dolorem afferret matri. Secundò ne tam insigni eam dono virginitatis priuaret. Tertiò, vt virginitatem orbi ferè ignotam commendaret, quæ cultores suos, & Deo reddit coniunctiores, & rebus diuinis magis addictos.

Qualis fuit virgo?

Consecrata Deo atque deuota. Consecrauerat enim hæc virgo atque deuouerat prima mortalium, voto virginitatem suam Deo (*quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*, id est: cognoscere nequeo, sicut dicimus, non vescor caseo, aut cibo à quo natura abhorret) quia acceptior est Deo deuota virginitas quam libera; sicut opus quo

ex voto perficitur, tum præstantius est, tum Deo gratius, munusque vberius, quã quod à quoque soluto, nullaque voti religione impulso præstatur.

Quare voluit Deus virginem hanc viro desponsari?

Primò, vt virginalis partus diabolo celaretur, qui ad sacrum virginis corpus exploraturus non est permissus accedere. Secundò, vt filius à viro commodius, quam à sola matre & educaretur, & protegeretur. Tertiò, ne virgo tanquam adultera à Iudæis lapidibus obrueretur. Quartò, ne filius vt illegitimè natus ab omnibus abijceretur. Quintò, vt fides nostra de Christo ex virgine nato, testimonio Ioseph confirmaretur. Sextò, vt virginitas & matrimonium in persona matris Dei, aduersus exorituros hæreticos commendaretur.

Ex his quos fructus colligis?

Primò, discimus summa veneratione colere matrem Dei, in cuius vterum sanctissima Trinitas delapsa, vnigenitũ Filium Dei, ipsius filium effecit; matriq; non sine amplis donis commisit. Pater capacem reddidit gratiarum Spiritus Sancti, instar rubi Mosaici ardentis & non exusti; potentemque effecit, ad conterendum caput serpẽtis: Filius mira sapientia matrem ornauit, in vtero e-

eius nouem mensibus inhabitãs corporaliter, & cum superiorem hãbere nequiret vt Deus, elegit hanc virginem matrem & superiorem vt homo, quæ imperaret, cui obtemperaret, cui honorem deferret: Spiritus sanctus accendit amore Dei atque hominis, vt mediatrix esset in posterum Christi, & Ecclesiæ, media inter solem & lunam constituta.

Secundò, discimus esse castitatis cultores, vt viciniores accedamus ad Deum, similes Angelis, terrenis negotijs, atque delitijs minus occupati, magna sunt etenim castitatis & virginitatis ornamenta apud Deum immortalem, & immunitates honoresque prorsus singulares.

Esaiæ.56.
1.Cor.7.

ARTICVLVS QVARTVS.

PASSVS SVB PONTIO PILATO, crucifixus, mortuus, & sepultus.

Cur statim ab articulo Natiuitatis venitur ad eũ, qui Christi pro humano genere passionem complectitur, cæteris quæ interea sunt gesta prætermissis?

Primò, quia ad hoc natus est Christus, vt pateretur, passioneque & morte sua genus humanum redimeret.

Secundò, quia tota eius vita nihil aliud fuisse videtur, atque continua quædam dolorum

lorum perpessio, in ieiunijs, in laboribus, tristitijs ex peccatis & interitu hominis. Nunquam risisse legitur, aut externæ lætitiæ signa edidisse, sed fleuisse, ingemuisse, doluisse.

PASSVS.

Quas ob causas in redimendo nos grauissima tormenta subijt?

Prima, vt peccata nostra tolleret, *Facti,* (inquit) *propè in sanguine ipsius.* Ephes. 2.

Secunda, vt bona omnia nobis largiretur. *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non omnia nobis cum illo donauit?* Rom. 8.

Tertia, vt iuxta admonitionem B. Petri, *sequamur vestigia eius.* 1. Pet. 2.

Fuisse grauissimos Christi dolores quæ persuadent?

Hæc quatuor. Primò, ardentissimus amor in genus humanum; quo, cum maximi nos faceret, visa multitudine grauitateque lethalium vulnerum nostrorum, quæ nisi summarum pœnarum remedio curari nequirent, perfectè nos omnibus liberare gestiens, conscius sibi magnarum virium suarum, ea sustinuit, quæ ad totius generis humani peccata tollenda abundè sufficerent.

Secundò, corporis teneritudo, cuius author fuit ipse Spiritus Sanctus.

Tertiò, quia voluit mori sine vlla consolatione, dolores, quales nullus vnquã martyr sustinuit, cum seruis suis Deus dolores temperet consolatione. Diuinitas enim nihil ad auxilium profuit, sed ad diuturniores cruciatus iuuit, quibus humana natura (quod essent intolerabiles) succubuisset, nisi immensa Dei potentia coniunctionem animæ corporisq; quod abundè satisfactum esset, supra vires humanæ naturæ retinuisset. Ita simul verum est, & Christum Dominum ab iniquis occisum, qui talia intulerunt, quæ animam à corpore auferre sufficerent; & eundem posuisse animam suam, iuxta illud: *Ego pono animam meam, & iterum sumam eam, nemo tollit eam à me, sed ego pono eã à meipso*; quia diuina virtute vitam retinuit ad ampliores dolores, donec animam emittere placeret.

Ioan. 10.

Quartò, pœnarum vniuersitas, quas ab omni ætate, sexu, hominum conditione suscepit, in omnibusque rebus passus, matre, discipulis, vestimentis, fama, anima, sensibus & singulis corporis membris.

SVB PONTIO PILATO

Ad quid Pontij Pilati in confessione fidei fit mentio?

Primò,

Primò, vt tempus passionis nouerimus, quod non in mundi exordio, nec sub mundi finem esse debuit, ne temporis diuturnitate intepesceret, vel longa expectatio, vel semel acceptus feruor Christianę religionis.

Secundò, quia tunc passus est, quando dæmonis imperium per orbem vniuersum idolorum cultu, erat propagatum.

Tertiò, vt consideremus, quod in gratiam nostri non solum matri, & Iosepho in rebus commodis, sed impio iudici, eiąue gentili, in acerbissimis cruciatibus, ipsaque morte obtemperauerit.

Nomen Annæ & Caiphæ quare omittitur?

Primò, quia ab eis extra Iudæorum synagogam eiectus, datus est gentibus.

Secundò, quia ad gentes maximè fructus passionis deriuatus est.

Quid hinc discimus?

Primò, à peccato abhorrere, quod tam acerbis Filij Dei doloribus curari debuit.

Secundò, ne multorum grauiumque peccatorum onere depressi, de reconciliandа Dei gratia desperemus; quia abundè satisfactum est.

Tertiò, in gratiam & amorem CHRISTI libenter sustinere quæ Deus flagella immittit, & quibuscunque nos molestijs conflictari velit.

CRV-

CRVCIFIXVS

Quare in ligno pati voluit?

Primò, quia per lignum venit peccatum in mundum, itaque dæmon qui in ligno vicerat, in ligno quoque erat vincendus.

Secundò, ab omni maledictione nos liberaturus, ipse pro nobis esset maledictus, quia *maledictus omnis, qui pendet in ligno.*

Quare in aërem eleuari?

Primò, vt mediator DEI & hominum terram cœlo conciliaret.

Num. 21. Secundò, vt se ad modum serpentis æneiconspiciendum eminus exhiberet.

Tertiò, vt sciamus in nos iugiter esse defixos oculos misericordiæ Domini Dei nostri, qui pro salute humana vindicanda sublatus est in crucem.

Cur brachia expandit?

Primò, vt nos ad se reuertentes in amplexus suscipiat.

Secundò, vt singula eius vulnera contemplantes, nobis esse data illorum merita, cum animi gratitudine intelligamus.

Tertiò, vt latitudine sua crucis virtus ad omnes per orbem vniuersum manaret, & altitudine cœlos penetraret.

Quartò, vt aliquod externum nobis signum institueret, quo aduersus dæmonis insul-

insultus propellendos vteremur, quod est signum crucis manu formatū, quo se Christiani quotidie muniunt.

Cur clauis configi?

Primò, vt in manibus suis nos inscriberet atque insculperet, nostri futurus semper memor.

Secundò, vt sanguine suo de manibus exeunte nos aspergeret.

Tertiò, vt vincula solueret manuum & pedum nostrorum, quibus ne vel recte operemur, vel sanctis desiderijs pijsque affectibus moueamur, à dæmone vincti sumus. Discimus sub vmbra istius arboris quiescere, fructuque eius refici, in prosperis ne insolescamus, & in aduersis ne deijciamur.

MORTVVS.

Poterat ne sanguis Dei effusus sufficere ad redimendum genus humanum?

Poterat: mori tamen voluit Dominus: Primò, vt omnia nobis daret, non sanguinem tantum, sed vitam quoque & animam.

Secundò, vt Deo Patri pro nobis ipse immolaretur vera hostia, tot cruentis sacrificijs veteris legis ante designata.

Tertiò, vt dona sua nobis testamento nouo legata, testator confirmaret sua morte.

Quartò,

Quartò, vt mortis metum natura sua formidabilis excuteret hominibus.

ET SEPVLTVS.

Quare sepeliri voluit?

Primò, vt omnia que ad hominis conditionem pertinerent, nostri causa subiret.

Secundò, vt verè comprobaretur mortuus esse.

Basil. in Psal. 117. Tertiò, vt sanctorum sepulta corpora, atque reliquias hactenus pro immundis habitas, sua sepultura sanctificaret.

Quartò, vt ad Christi sepulti exemplum spes daretur resurgendi.

A quibus sepultus?

Isa. 11. A viris nobilibus, iuxta illud Esaiæ: *Et erit sepulchrum eius glorioſum*; Æquum erat enim, vt omnis ignominia, morte & sanguinis effusione finem acciperet.

Quis sepulturæ fructus?

Vt cum Christo peccatis & mundo mortui, ad instar sepultorum, terrenas voluptates aut incõmoditates ne aduertamus quidem, nedum ijs moueamur. *Mortui* (inquit) *estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* *Coloss. 3.*

ARTI-

ARTICVLVS QVINTVS.

DESCENDIT AD INFEROS, tertia die resurrexit à mortuis.

Quid sibi vult quintus articulus?

Credimus secundam personam sanctissimæ Trinitatis, neque corpus reliquisse, neque animam, ac reuera Filium Dei sepultum esse, ad inferosque descendisse.

Quamobrem ad inferos descendere voluit?

Primò, vt communem legem cæterorũ hominum subiret, quibus omnibus ad illum vsque diem adeundi fuerant inferi.

Secundò, vt qui per mortem acceperat potestatem omnem in cœlo & in terra, nomenque ad quod flecteretur omne *genu, cœlestium, terrestrium, & infernorum*, possessionẽ omnium adiens, à loco inferorum totius creaturæ infimo, initium duceret; tum vt inde paulatim ad terras, indeque ad suprema cœlorum conscederet; tum vt afflictis in limbo patribus consolationem adferret; tum vt dæmonum viribus repressis & fractis, commodius in terris Ecclesiam constitueret. *Ad Phi. 2.*

Tertiò, vt inferis nouas leges statueret, ad quod in posterum nisi pœnarum rei nulli accederent.

DES-

DESCENDIT.

Quomodo descendit?

Propria virtute, non delatus, non deiectus, non detrusus; sed gloria magna, potentia, claritate, qua sic inferni loca illustrauit, vt tenebrosum carcerem in Paradisum verteret, iuxta illud, quod latroni prædixerat:

Luc. 23. *Hodie mecum eris in Paradiso.*

AD INFEROS.

Vbi sunt inferi?

Ipso inferorum nomine significatur, inferni loca in inferioribus partibus terræ sita esse.

Estne vnicus tantum infernus?

Quando ad inferos CHRISTVM descendisse confitemur intelligimus diuersis habitaculis infernum distingui, quorũ primum est locus damnatorum.

Secundum, limbus eorum infantium, qui solo peccato originali coinquinati ex hac vita discesserunt.

Tertium, Purgatorius ignis.

Quartum, sinus Abraham, seu limbus Patrum, in quo sanctorum veteris testaméti Patrum animæ, magno desiderio aduentum Messiæ præstolabantur.

Quid

Quid in illis locis egit Dominus?

Ex primis duobus locis nullos eripuit; vt qui alieni à Deo, participes non fuerint sanguinis Christi. Quartum prorsus exhausit, abductis patribus omnibus, secumque in cœlos assumptis. Ex igne purgatorio, fortassis eduxit omnes singulari priuilegio, more principum, qui die inaugurationis eos ferè carceribus liberant, qui capitis accersuntur. Quod indicare visus est Zacharias: *Tu autem in sanguine testamenti eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua.* In mansione Patrum fuisse aquã testatus est dives epulo, qui inde sibi guttam aquæ à Lazaro deferri petijt, & D. Gregorius: *Omnia traxit, qui de electis suis apud inferos nullum reliquit.* Itaque rediuiuus soluit dolores inferni, quos magno cruciatu animæ patiebantur.

Zach. 9.

Homil. 12. in Euang. Epiph. hæresi Tatianorum.

Huius articuli fructus collige.

Primò erigitur spes bonorum, quorum est memoria apud Deum, siue mortui sint, siue viuant; viui mortuorum obliuiscuntur, Deus autem neque viuorum, neque pereuntium.

Actor. 2.

Secundò, incutitur timor malis; nam eductis CHRISTVS de inferno bonis, arctiùs incluſit cum dæmone malos, ne iam sanctorum vel præsentia quidem potirentur vt antea.

RESVRREXIT
à mortuis.

Cur Dominus noſter IESVS CHRISTVS *reſurrexit?*

Luc. 2. Conueniebat id : Primò, ad commendandam Dei iuſtitiam, cuius eſt exaltare humiles.

Secundò, vt fides diuinitatis Chriſti confirmaretur, qui licet *crucifixus ſit ex infirmitate, viuit tamen ex virtute Dei.*

1. Cor. 13.

Tertiò, vt fides noſtra dictis eius haberetur ; ſi enim mortuus non redijſſet ad vitam ; videri poterat inſtar Pſeudoprophetarum agere , qui dum viuunt quidem multa iactant, & pollicentur, mortui autem ſpem omnium fallunt.

Quartò, vt accepta etiam huius orbis terrarum poſſeſſione, Eccleſiam fundaret, legibus firmaret, & nouam politiam inſtitueret, cui Paſtorem vnum ſummum præficeret, alioſque Præſules & Sacerdotes daret, ad populorum conuerſionem, iuxta id quod Apoſtolus dixit : *Traditus eſt propter delicta noſtra , & reſurrexit propter iuſtificationem noſtri.*

Rom. 4.

Nam morte ſua precium quidem peccatorum ſoluit ; ſed reſurgẽs prædicatione Apoſtolorum, & ſacramentis idem precium nobis applicauit.

Quintò, vt in Euchariſtiæ Sacramento

non mortuum corpus, sed viuum nobis adesset.

Sextò, vt impijs esset terrori, qui non mortuum, sed viuentem atque videntem Deum timerent.

Septimò, vt nos peccatis mortui, in nouitate vitæ ambulemus. *Rom. 6.*

Quando resurrexit?

Tertia die, hoc est, post partes trium dierum naturalium; nam feria 6. ante solis occasum obijt. Dominico surrexit primò diluculo, duabus noctibus in sepulchro detentus, & vno die artificiali, qui fuit sabbathum; quia vnica morte sua, in qua vera erat iustitiæ lux, duas mortes corporis & animæ simul destruxit.

Quare nec citius nec tardius?

Neque citius resurgere voluit, ne non videretur verè mortuus; neq; tardius, tum ne imbecilles discipuli, vel tristitia absorberentur, vel à fide descisserent, tum ne animarum conuersio diutius differretur. Surrexit illuscente iam die, quia ad fidei, gratiæ & gloriæ lumen nos deducebat; sicut mortuus in vesperam inclinato die, atque recedente, morte sua tenebras peccatorum fugabat.

RESVRREXIT

Estne aliena virtute sicut alij homines suscitatus?

Nequaquam, sed ipsemet sua virtute resurrexit, animam suam cum corpore coniungens. Additur in symbolo Constantinopolitano, (secundum scripturas) tum quia statim initio religionis Christianæ corporum resurrectio à multis in dubium vocaretur, qui omnia rationis iudicio metiebantur, qui hic ad fidem scripturarum remittuntur, tum vt Deus indicetur seruasse Filio suo fidem, qua in scripturis resurrectionem addixerat.

A MORTVIS.

Quo ordine resurrexit?

Primus inter mortuos deposita corruptione ad immortalitatem, incorruptionem, & ad gloriam resurrexit.

Ad quid in glorioso corpore vulnera retinuit?

Primò, vt idem corpus Apostoli agnoscerent.

Secundò, in signum victoriæ & gloriæ, quam sibi per illa parauit.

Tertiò, vt nunquam sit immemor nostri.

Quartò,

Quartò, vt ea pro nobis Patri in cœlis exhibeat.

Quintò, vt iustos, ijs ostensis, in sui amorem inflammet.

Sextò, vt impijs pro quibus ea susceptit ingratitudinem exprobret, & à quibus ea susceptit terrorem incutiat; *Videbunt enim in quem transfixerunt.* Ioan. 19.

Fructus decerpe.

Discimus Christiani hominis esse spiritualem ducere vitam, eamque à peccatorum prauitate reuocatam, ad saluatoris nostri exemplum, tanquam certissimam regulam, erigere, atque ad resurrectionem futuram anhelare.

ARTICVLVS SEXTVS.

ASCENDIT AD COELOS, SEDET ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

Quid sextus fidei Articulus proponit?

Credimus Christum Iesum iam rediuiuum, qui diuinitate cœlos nunquam dereliquerat, nunc etiam corpore cœlos penetrasse, suamque humanam naturam in cœlos euexisse.

Humanam naturam in cœlos euexit?

Etiam, idque merito quidem iusteque, si Christum spectamus.

Ephes.4. Primò, quia summæ eius humilitati, summa debebatur exaltatio.

Esa.14. *Apoc.3.* Secundò, quia tam atrocis hostis, tam admirabilis victor exaltandus erat, supra locũ & sedem, quam hostis aliquando occupauerat in cœlis.

Tertiò, quia glorioso corpori non alius, quam glorioſus locus conueniebat.

Ioan.16. Quartò, quia qui à Patre exiens, venit in mundum, meritò iam legatione perfunctus, ad Patrem reuerti debebat ex mundo.

Si nostra verò commoda, quæ inde in nos dimanant, intueamur, intelligemus misericorditer Christum saluatorem nostrum cœlum conscendisse.

Mich.2. Primò, quia aperuit nobis cœlum.

Ioan.14. Secundò, quia parat ibidem locum promeritis cuiusque.

Heb.7.9. Tertiò, quia *apparet vultui Dei Patris, interpellans pro nobis.*

1.Ioan.2. *Ephes.4.* Quartò, quia dona de cœlis donat hominibus. Denique qui possessionem acceperat inferni & terræ, constituendus quoq; erat Dominus cœlorum & totius orbis.

ASCENDIT

An in cœlum assumptus est?

Non est assumptus ministerio Angelo-

rum

rum, sed propria virtute vt Deus & homo ascendit magna gloria, sanctorum Patrum animabus comitatus captiuam ducēs captiuitatem, eos nempe quos antea captiuos detinuerat infernus, magnaque admiratione & occursu Angelorum. *Psal 67. Ephes 4.*

Quando glorioſa iſta aſcenſio contigit?

Post dies quadraginta à resurrectione, quibus discipulorum fidem confirmauerat, spem auxerat, charitatem accenderat, animos consolatus fuerat, Ecclesiam constituerat. *Isaiæ 63. Psal. 23. D. Augu. Epist. 119.*

AD COELOS.

Quare ad cœlos potius quam ad cœlum conſcendiſſe credimus?

Significatur Christus Dominus cœlos omnes penetrasse, & ad supremum cœlorum omnium thronū ascendisse, super omnem principatum & potestatem, omnemque creaturam, tanquā omnium Dominus. *Ephes. 4.*

Profer ſi quos hinc colligis fructus?

Discimus primò, errare illos qui Christi corpus vbique constituunt propter hypostaticam vnionem; cum illud non sit nisi in cœlo positione naturali, & in Eucharistiæ sacramento, singulari priuilegio atque miraculo.

Discimus secundò, in comitatu Christi

Ioan. 3. cœlos ascendere, *nemo enim ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo*; qui tam diu ascendere dicitur, quoad omnes, qui ad eius aulam & comitatum pertinent, in cœlos ingressi fuerint, more principum, qui tunc dicuntur incipere ingredi, quando procedunt ante ambulones; & tunc pertigisse, quando vniuersus comitatus intrauit.

SEDET

Quid altera articuli portio de Christi sessione complectitur?

Gloriam Christi quam habet æqualem cum Patre: Hactenus quippe tantum, vt DEVS, diuinitate moderabatur vniuersa, nunc etiam vt homo, omnibus præficitur,
Matth. 28. data ei potestate in cœlo & in terra.

Quid semperne sedet Dominus?

Vocula (sedet) non ad situm corporis referenda est, sed primò ad firmam possessionem, de qua per neminem deturbabitur:
Psal. 109. iuxta illud: *sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, hoc est, etiam tunc sedebis, quando perierint inimici tui, qui gloriam tuam obscurare nitebantur.

Secundò, ad officium Pontificis, qui de cathedra docet, & Iudicis, qui sedens profert senten-

sententiam, vterque sedato & omni perturbatione libero animo : B. Stephanus *vidit IESVM stantem à dextris virtutis Dei*, tanquam paratum ad ferendum in labore auxilium. *Actor. 7.*

AD DEXTERAM DEI PATRIS omnipotentis.

Constat corpore Pater, & ad Filij sui sinistram collocatur?

Nihil hic cogitandum est corporeum, ait D. Athanasius sed significatur. *Oratione 2. in Aria.*

Primò, æqualis cum Deo patre gloria, maiestas & imperium.

Secundò, summa beatitudo, ad quam creaturarũ nulla vnquam poterit aspirare. *Ephes. 1.*

Tertiò, iudicandi potestas, quam Pater Filio concessit; iuxta illud : *Pater non iudicat quemquem, sed omne iudicium dedit Filio.* *Ioan. 5.*

Collige fructus.

Discimus primò, Christum Dei Filium æqualem Deo Patri omnipotenti, id omne efficere posse, quod potest Deus pater omnipotens.

Tametsi igitur non sit propter hypostaticam vnionem humanæ cum diuina natura, vbiq; præsens corpore; nec sacrum Christi corpus cœlum & terram impleat, potest tamen ad gloriam humanę naturę suæ, idem

illud corpus suum, quod in cœlis certo loco circumscribitur, in varijs locis nulla circumscriptione per vniuersum terrarum orbem constituere, quod fit in sanctissimo Eucharistiæ sacramento, in quo verus Christus nobiscum in terris adest præsens Deus & homo.

Secundò, discimus terrenis rebus spretis, in cœlos perpetuò mentis oculos defigere, ibique cor nostrum firmare, vbi est thesaurus noster, nempe *vbi Christus est ad dexteram Dei sedens.*

ARTICVLVS SEPTIMVS.

INDE VENTVRVS EST IVDICARE VIVOS & MORTVOS.

Articuli sensum breuiter complectere.

Nunc sedet in cœlis Christus Pontifex & Rex, Iudexque singulorum, qui demigrant ex hac vita. Postea autem in fine sæculorum, venturus est Iudex omnium, discussurus singula, & cuncta decernet.

INDE

Cur ex cœlis veniet in has terras?

Vt corpora nostra simul cum animabus, transferat in cœlum. Significatur Christum ab ascensione sua, nunquam cœlum præsentia sui corporis deseruisse, tametsi corpus

idem

idem nobis adsit in Eucharistia, & Christus aliquando forma & conditione pueri quibusdam in altaris sacramento sit visus; & denique nonnullis vel sanis vel morituris in humana specie appareat.

Quis venturus est?

Non Pater, aut Spiritus Sanctus, sed Christus Dei filius.

Primò, vt intelligamus magna æquitate & sapientia, hoc iudicium perficiendum, quod committitur sapientiæ Patris.

Secundò, quia Christus iudicare meretur, qui pro nobis est iniquè iudicatus.

Tertiò, vt iudex homo à iudicandis hominibus oculis videatur.

Quartò, ad bonorum consolationem, quorum aduocatus & patronus futurus est, Iudex.

Quintò, ad declarandam, in malorum condemnatione, æquitatem, quia sententia non ab alio, quam ab eo feretur, qui hactenus eos, vt patronus & defensor clientes, tutatus est.

Qualis aduenier?

Non vt priori aduentu, contemptus, pauper, obediens, sed, vt est in Symbolo Cõstantinopolitano, cum gloria, hoc est, manifestè, magna maiestate, cum Angelis & Sanctis, summa potestate, quia pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos. *Quan-*

Quando & vbi veniet?

Ioel. 3. Tempus aduentus ignotum est nobis. Locus, vallis Iosaphat iuxta Hierosolymam, vt vbi ignominia affectus fuit, ibi glorioſus appareat.

IVDICARE

Nunquid à morte ſua vnuſquiſq; ſtatim iudicatur?

Ita quidem iudicio particulari, quod neque reuocabitur, neque corrigetur, quia *qualis quiſq; hinc exierit ſuo nouiſſimo die* (ait D. Auguſtinus) *talis inuenietur in ſæculi nouiſſimo die.* Voluit tamen Deus vniuerſale coram vniuerſa creatura inſtitui Iudicium, ſingulorumque acta & diſcuti, mercedeque donari.

Primò, vt Dei iuſtitia omnibus innoteſcat, qui multos adiudicabit æternis ignibus, quos homines pro pijs & ſanctis venerabantur in terris: & contra, multos in gloria coronabit, qui nullo erant in precio, & neglecti apud viuentes.

Secundò, vt quanta ſapientia & charitate Deus hactenus moderatus ſit orbem, fiat omnibus manifeſtum, deſinantque mirari pios conflictatos eſſe omni prope genere calamitatis, rebuſque aduerſis, impios abundaſſe

dasse diuitijs, & voluptatibus affluxisse; omnium quippe ratio constabit, Deique commendabitur prudentissima bonitas; iuxta illud: *vt vincas cum iudicaris.* Psal. 50.

Tertiò, vt sua etiam corporibus merces assignetur, quæ vel ad virtutem, vel ad vitium auxiliata sunt, & obsequium præstiterunt: Et quidem animæ, quæ prius consensu, quam opera corporis vel rectè, vel impiè agunt, prius etiam mercedem separatim accipiunt. Corporibus tamen sua merces neganda non est, licet ea posterius in nouissimo die, & minus quam animæ præmium obtinebunt, quarum arbitrio & motu ceu instrumenta dirigebantur, quia vt gloria animæ in corpus redundabit, ita præcipuum tormentum damnatorum affliget animam.

Quæ adducentur in iudicium?

Iudicabuntur omnes. Primò, ex operibus, sicut ait Apostolus: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi; vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum siue malum.* 2. Cor. 5. Et Dauid: *Quoniam tu reddes vnicuique secundum opera sua:* Etiam bona opera inspicientur, an plena, puraque sint, iuxta illud: *Ego iustitias iudicabo.*

Secundò, ex verbis: *De omni enim verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddet de eo rationem in die iudicij; quia ex verbis tuis iustificaberis,* Matth. 12.

& ex

& ex verbis tuis condẽnaberis. Si de verbo otiõso, ergo de ijs omnibus reddenda erit ratio, quæ maiore sunt cum crimine coniuncta, quam verbum inaniter prolatum, vt de obulo, de tempore, de literis, &c.

Sapien. 6. & 1. 1. Cor. 4. Hier. 17. Hebr. 4.

Tertiò, ex cogitationibus: *Interrogabit opera vestra, & cogitationem scrutabitur. Nam de cogitationibus impij interrogatio erit. Et illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Scrutator cordium & renum Deus, & discretor cogitationum, & intentionum cordis.*

Quî ergo sententia Christi solos immisericordes percellet?

Quod CHRISTVS solorum misericordiæ operum mentionem faciat, dum supremi illius iudicij rigorem nobis inculcat, non hæc causa est, quia illuc nullius alterius rei sit reddenda ratio; sed vt sciamus non de sola fide inquirendum esse, sed multo magis de operibus charitatis.

Matt. 25.

Secundò, multo grauiorem damnationis sententiam in eos esse ferendam, qui malis operibus Deum offendunt, si neglectus auxilij proximi, gehenna puniatur.

Tertiò, nullum esse peccatum, quod non possit charitate deleri; ac merito æternis ignibus mancipari peccatores, qui peccata sua eleemosynis neglexerunt redimere.

Qui

Qui constabit iustam esse iudicis sententiam?

Singulorum singulis peccata patebunt: libri enim conscientiarum aperti erunt, *in quibus* (vt libro de virginitate ait D. Basil.) *tota hominum vita, eorumq; gesta quasi depicta ad mirabili modo vniuersis ponentur ob oculos*, vt mira celeritate quisque singulorum facta meritaque aspiciens, sententiam iudicis approbet. *Dan. 7. Apoc. 20. Aug. lib. de ciuitate Dei. c. 14.*

VIVOS ET MORTVOS.

Quos nominas viuos & mortuos?

Viuos, hoc est, qui circa illa tempora viui reperientur: his enim licet ex generali Dei sententia moriendum sit, & in cineres ex igne conflagrationis, qui orbem succendet, redeundum, non diu differetur resurrectio. Mortuos, id est, qui multo ante mortui fuerant: vel viuos iustos, mortuos peccatores. Et quidem credere tenemur, omnes omninò homines ante tribunal Christi manifestandos, sententiamque accepturos, vel æternæ gloriæ, vel æterni supplicij.

Pari modo omnium merita discutientur?

Minimè: nam infideles, qui nullis operibus bonis ornati, sed multis malis fœdi & oppressi ex hac vita migrarunt, secum ipsa damnationis sententiã ferunt, sicut CHRI-

STVS

Ioan. 3. Psal. 1. Orig. tractatu 2. in Matth. D. Aug. li. 20. de ciuitate Dei cap. 5. & Homi. 50. D. Grego. lib. 11. moral. ca. 30. & lib. 26. cap. 24. Matth. 19.

stvs dicebat: *Qui non credit, iam iudicatus est, & tales impij non resurgent in iudicio.* Similiter viri sancti, qui Apostolorum exemplo, abdicatis omnibus, voluntaria paupertate, castitate, & obedientia, in statu perfectionis Christum probè secuti sunt; futuri sunt iudices, & *sedebunt super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.* Cæteri seu iusti, seu peccatores, qui bona opera malis coniunxerunt in iudicium & discussionem adducentur.

Quis hinc redundat fructus?

Primò, Consolatio bonorum, quibus aliquando miseriarum omnium finis imponetur, præmiumque laborum conferetur: Deo enim est cura de nobis, qui & labores & dolores nostros considerat.

Secundò, Terror malorum, quia à sapientissimo Iudice eorum opera ad normam iustitiæ examinabuntur; & ab eo qui neque precibus, neque precio flecti potest, iudicabuntur; ab omnipotente punientur, pro momentaneis bonis reddentur æterna mala, pro paucis plurima, paruis maxima.

ARTICVLVS OCTAVVS.

CREDO IN SPIRITVM Sanctum.

Quid sequentibus articulis agitur?

De

De tertia persona in diuinis, eiusque effectibus in Ecclesia.

Quæ huius Spiritus natura?

Quia in ipsum nos credimus, significatur verus esse Deus, eadem qua Pater & Filius diuinitate, maiestate, atque potentia, quod his verbis in Symbolo Constantinopolitano explicatur; Qui cum Patre & Filio adoratur & conglorificatur.

Tametsi namque, vel in sacris literis, vel in precibus Ecclesiæ, rarior fiat Spiritus Sancti, atque Patris aut Filij mentio: nusquam tamẽ excluditur; sed cum Patre vnus Deus, sub Patris nomine intelligendus venit, quoties proprietas Patris distinctionem non facit. *Itaque nemo nouit Filium, nisi Pater, neq; Patrem nisi Filius.* Et, *de die illo nemo nouit nisi solus Pater*, & si quæ sunt alia, quæ significant actiones Dei, tota Trinitas in Patre est accipienda. Filij meminimus distinctè sæpius in nouo Testamento propter humanam naturam quam assumpsit, rarius in veteri Testamento, quando obscurè homines in eius necdum incarnati notitiam venerant. Patris nomen crebrius exprimitur, tum quod ei tribuatur potentia, quam veneramur atque metuimus, tum quod eius Filius humanum genus Deo conciliauerit. *Matth.* 11. *Matt.* 24.

Quod habet nomen?

Tertiæ huic personæ diuinæ, peculiare nomen non asscribitur, sicut Patri & Filio; sed cõmune, quod in cæteras personas competere potest. Siquidem tota Trinitas & sancta est & Spiritus (Spiritus, inquit, est Deus) idque ex eo quod eius ineffabilis processio, nomine proprio explicari nequeat, sicut processio Filij quæ est generatio. Accõmodatè tamen vsurpatur hoc nomen Spiritus, à vento subtiliter impellente sumptũ; quod hæc persona procedat à Patre & Filio per modum amoris: sicut enim amans in alium fertur amore, ita Pater in Filium, & Filius in Patrem Spiritu Sancto.

Qua ratione sanctum confitemur?

Sanctus dicitur non ad creaturarum more, quæ vel Deo consecratæ sunt, vt vasa sacra; vel diuina internaque gratiæ iustitiæ affectę, vt homines mortales: vel diuina participatione gloria condecorati, vt sancti in gloria: sed quod sit ipsissima sanctitas, fons & origo creatæ omnis sanctitatis, omnia perficiens, omnia consecrans, omnia sancta efficiens.

Ostende quod nos diuinus ille Spiritus sanctificet?

1. Cor. 12. Ephes. 4. Primò ipse Concionatores, Pastores, Doctores instituit, muniaque Ecclesiæ ad peccatorum conuersionem, corporisque mystici ædificationem diuisit.

Secundò,

Secundò, Ipse occasiones à consuetudine peccatorum ad vitam meliorem homines reuocandi suppeditat, Doctores ad docendum impellit & mittit, Petrum ad Cornelium, Philippum ad Eunuchum. *Actor. 10.* *Actor. 8.*

Tertiò, Ipse animam occulta vi interius emollit ad pœnitentiam. *Isaiæ. 11.*

Quartò, Ipse peccatorum dat veniam, & maculas omnes detergit.

Quintò, Ipse sapientiæ, scientiæ, cœterisque donis mentem illustrat.

Sextò, Ipse affectus nostros infusis virtutibus, ad sanctas actiones inclinat.

Septimò, Ipse denique sanctificatos & iustificatos velut sigillo obsignat, vt non obscurum sit, hoc vitæ curriculo dimenso, nos in numero esse filiorum Dei, estque pignus seu arrha hæreditatis æternæ, quam qui secum ex hac vita deferet, ius habebit futuræ retributionis. *Signati* (inquit) *estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* *Ephes. 1.*

Recense Spiritus Sancti proprietates?

In Constantinopolitano symbolo varia de Spiritu Sancto, ob insurgẽtes hæreses, explicata fuerunt. Primò, Dominus; tum quia vnus Deus cum Patre & Filio, creator, conseruator, ac moderator rerum omnium; tum quia verè liberos dominosque sui ipsorum illos efficiat, quos semel occupauit, tol-

lens metum omnem, animumque seruile
vbi enim spiritus Domini ibi libertas.

2. Cor. 3. Secundò, viuificans. 1. quia res om
creatæ eius beneficio habent id ipsum q
Psal. 103. sunt, qui & viuentibus largitus est vit
Gen. 1. iuxta illud; *Emitte spiritum tuum & creab*
tur. Et, *Spiritus Domini ferebatur super aqu*
1. Tim. 5. quia per suam gratiam fit vita animæ,
qua, corpore viuentes, mortui sumus D
quia in resurrectione iustorum, ad vitam
uocabit corpora nostra, nõ quidem ea q
diuione qua damnatos, vt scilicet anime
poribus suis restituantur; sed vt dono Sp
tus reddantur agilia, impatibilia, spiritu
Rom. 8. *Viuificabit* (ait Apostolus) *mortalia corpor*
stra, propter inhabitantem Spiritum eius in v

Tertiò, qui ex Patre Filioque proce
est amor Patris & Filij, & nexus vtriusq
eiusdem substantiæ & diuinitatis. Non c
tur, non formatur, non generatur; sed p
cedit, à Patris & Filij substantia, hoc est, à
tre & Filio, non vt à diuersis principijs,
ab vno principio, vnde dicitur Spiritus
Matth. 10. tris & Spiritus Filij, & ab vtroque accip
Ioan. 16. (*De meo accipiet: Omnia quæcunque habet P*
Rom. 8. *mea sunt*: propterea dixi de meo accipiet,
Galat. 4. ab vtroque ad nos mitti. *Misit* (inquit)
Ioan. 15. *Spiritum Filij sui in corda vestra.* Et Christus
venerit Paracletus, quem ego mittam à Patre

Quartò, qui cum Patre & Filio simu
do

doratur & conglorificatur. Tametsi accipiat à Patre & Filio, tametsi mittatur, tametsi sit donum, quod à Deo datur hominibus, est tamen vnus & verus Deus cum Patre & Filio, cui templa consecrantur, (nam *membra nostra templum sunt Spiritus Sancti*) cui sacrificia offeruntur, qui vbique est; qui *scrutatur profunda Dei*: Denique qui vnum habet nomen, vnam potestatem, vnam gloriam, vnã naturam cum Patre & Filio; Sic enim legimus, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum sunt.* Quod autem mitti dicatur, non arguit inferiorem dignitatem, aut maiestatem: Nam & Rex mittitur quandoque à consiliarijs, & Filius Dei à Patre & Spiritu Sancto. *Nunc* ait, *misit me Dominus Deus & Spiritus eius.* Mitti autem à Patre & Filio dicitur Spiritus Sanctus, à quorum natura cum sua omnia habeat, ad nos sponte venit, sua dona nobis communicaturus.

1. Cor. 6.

Matth. 28.

1. Ioan 5.

Isaiæ. 48.

Quintò, qui locutus est per Prophetas. Author omnium scripturarum, tam quæ in corde Ecclesiæ, quam quæ in codicibus manu scriptis sunt exaratæ. Non enim solum ad Prophetas ea pertinent, quæ atramento, vel in tabulis lapideis scripta habemus, sed ea etiam quæ Spiritu Dei viui in tabulis cordis carnalibus. His verbis significatur fundamẽtum

2. Cor. 3.

tum fidei noſtræ eſſe Deum Spiritum S
ctum, cui loquenti per Prophetas, & ſan
Eccleſiam Prophetarum matrem, crede
dum eſt, & obſequendum.

Vnde varia illa nomina, quæ Spiritui Sancto ſcriptura tribuit, dicuntur?

A varijs effectis. Primò, dicitur digi
Dei, tum ob donorum multitudinem; t
quod ſicut quondam in Moyſi tabulis
impreſſus decalogus Dei digito, ita lex
uangelica cordibus noſtris per Spiritũ S
ctum inſcribatur.

Ioan. 15. Secundò, Paracletus, quod ſonat aduo
tum, & conſolatorem; officium quippe d
ni ſpiritus eſt, interna ſuauitate pios con
lari, modumq; his ſuggerere, deuotè De
comprecandi, ad quos acceſſerit.

Ioan. 15. Tertiò, Spiritus veritatis. 1. quia ver
tem fidei Eccleſiam & Chriſtianos om
docet. 2. quia ipſo Doctore intus loque
diſcimus res, prout verè ſunt, æſtimare, c
leſtes pro ſolidis, terrenas pro vanis puta
3. quia ſana conſilia ſuggerit ſuis, iuxta ill

Pſal. 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus, quoni loquetur pacem in plebem ſuam.*

Pſal. 50. Quartò, Spiritus rectus, qui mentes n
ſtras peccatorum ſarcinis ad ima depreſ
erigit in cœlum.

Pſal. 50. Quintò, Spiritus principalis. Tam

sint multa Spirituum genera hic tamen est præcipuus, cui sunt aures præbendæ.

Sextò, Spiritus adoptionis filiorum Dei, qui solus nos efficit Dei filios: *ipse enim Spiritus reddit testimonium Spiritui nostro, quod sumus filij Dei.* Rom. 8.

Septimò, Donum, quia nobis à Patre & Filio gratis donatur, vt eo libere vti fruique valeamus. Quod sic non est intelligendum, atque si Spiritus Sanctus ipse in nos illaberetur, in quibus prius non fuisset, qui vbique est; sed quod gratia Dei, charitas atque iustitia, cæteraq; ipsius dona, de quibus Isaias, & fructus de quibus Apostolus Paulus, ad nos veniant & nos afficiant. Isaiæ. 11. Galat. 5.

Collige fructus ex hoc articulo.

Discimus primo, non violare corpora nostra in quibus ceu templis sibi consecratis ac dicatis Spiritus Sanctus inhabitat; nec arbitrari nos esse profanos homines instar gentilium, qui tot Sacramentis Baptismi, confirmationis, Eucharistiæ, pœnitentiæ & Deo dedicati, & mancipati sumus.

2. Corda nostra illicitis desiderijs, & moribus purgare, vt prius recipiant liquorē gratiæ Sancti Spiritus, sicut enim vasculum pulchrè dilutum, & alieno liquore vacuum, admittit vinū merum: Ita Christiani hominis animis peccatis & cōcupiscētijs liber, aptus

est, qui sinceram gratiam diuini Spiritus accipiat, & intimis puræ mentis penetralibus repositam, iucundissimo cum fructu, magnaque cum voluptate conseruet.

ARTICVLVS NONVS.

SANCTAM ECCLESIAM CATholicam, Sanctorum communionem.

Vnde nomen Ecclesiæ profluxit?

Postquam homo in peccatum lapsus, à vero DEI cultu & via salutis aberrauit, CHRISTVS in mundum veniens certam quandam hominum societatem instituit, legibusque instruxit, quam appellauit Ecclesiam, hoc est, congregationem euocatam.

Primò, quod ad eam nemo nisi à Christo euocatus veniat.

Secundò, quod non coactus (vnde vetus nomen synagogæ imponere illi noluit) sed sponte sua.

Tertiò, vt qui in ea essent, hoc beneficium agnoscerent, quod ex cœtu impiorum, ad congregationem iustorum assumpti essent.

Quartò, vt meminissent non propterea securitatem sibi polliceri, quia vocati essent; *siquidem multi sunt vocati, pauci verò electi.*

Quo consilio Christus hanc hominum congregationem sibi delegit?

Vt

Vt cæteris hominibus à vera Dei notitia salutisque via aberrantibus, illis & veram scientiam Dei, diuinarumque rerum, & verum Dei cultum, & veram rectamque viam demonstraret adipiscēdæ salutis: nam soli huic hominum cætui veram fidem, syncerum vsum sacramentorum, meritaque sanguinis & mortis suæ commendauit.

Quid nobis hoc articulo credendum proponitur?

Esse in orbe terrarum huiusmodi congregationē, diuina misericordia collectam, quæ his iam dictis gratijs & priuilegijs sola ornetur, in quam conuenire debeant, quotquot vel iustificationem vel peccatorum remissionem, vel salutem animæ consequi volunt.

Sufficitne generalis ista fides esse aliquam huiusmodi Ecclesiam?

Ista non satis magnam vim habet, ad obtinenda hæc Dei dona, nisi simul etiam cognoscatur, quænam illa sit, à qua sint huiusmodi petenda & accipienda; sicut satis non est credere, aliquem esse Christum, hominibus in saluatorem à Deo constitutum, (talem enim eliquem futurum etiam Iudæi fatentur) nisi credatur IESVS noster is esse, quē Pater de cœlis his verbis nominauit; *Hic est Filius meus dilectus:* idcirco iubemur hoc arti- *Matth. 17.*

culo, certam aliquam hominum congregationem credere hanc esse Ecclesiam, & quænam illa sit, non ignorare. Nempe illos homines quos Christus alloquens, & digito suo demonstrans, dicebat: *Vos estis lux mundi: Qui vos audit me audit: Ecce ego mitto vos.* Hi erant sancti Apostoli, Ecclesiæ fundatores, & Pastores, & qui illis legitimè eadem fide, & religione successerunt.

Matth. 5. Lucæ. 10. Matt. 10.

Quæ sunt infallibiles Ecclesiæ notæ?

Quia venturi erant homines, qui veræ Ecclesiæ successionem ab Apostolis in dubium reuocarent, & suos quisque cetus ad Apostolos referre conarentur; expresserunt hoc articulo sancti Apostoli tria manifesta indicia, quibus Constantinopolitana synodus adiecit quartum, ne quis à vera Ecclesia ad infidelium hæreticorum, vel schismaticorum conuenticula, & synagogas aberraret, Ex qua re liquet, quam sit ad salutem necessarius iste articulus, qui hæreses omnes & prodit & condemnat. Tria illa indicia ab Apostolis posita sunt, vna, sancta, Catholica: quartum in synodo appositum ad priorum declarationem est Apostolica.

Quomodo dicitur Ecclesia vna?

Vox ista in Constantinopolitano Concilio est addita, occasione singularis numeri, quo hic articulus ab Apostolis est conscriptus. Hanc vnitatem Ecclesiæ, frequen-

ter

ter commendat scriptura. In Canticis. *Vna est columba mea, vna est speciosa mea.* Et D. Apostolus exponit, cum dicit: *Vnum corpus, vnus Spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ, vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma, vnus Deus & Pater omnium.* Vbi cum non audiamus, vna voluntas, vnum membrum, vna opinio, certum est non lædi vnitatem, si de rebus ad fidem non pertinentibus, diuersæ sint multorum sententiæ, aut si dissentientes habeamus voluntates, aut desideria (nam etiam in eodem corpore diuersa quandoq; appetunt pectus & stomachus) vel non prorsus easdem sequamur viuendi rationes, vt hic sæcularem, iste Ecclesiasticam, ille monasticam B. Dominici, Francisci, Benedicti, &c. *Ephes. 4.* *Cant. 6.*

Vnde ergo Manifestè cognoscitur Ecclesiæ vnitas?

Ex duobus potissimum iuxta Apostolum ex vnitate fidei & doctrinæ Sacramentorũ quo refertur quod ait, vnus dominus, vna fides, vnus Deus & pater omnium, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ vnum baptisma.

Ex vnitate corporis, intellige mystici q; aperte dicit Ecclesiam vnũ corpus pronunciando. Illa itaque congregatio sola, in qua duplex vnitas, Spiritus inquam & corporis reperitur, vera est, & vnica Dei Ecclesia.

Fidei

Fidei ac Sacramentorum vnitatem vnde deprehendes.

Duobus manifestis indicijs 1. si de fide, Sacramentorum numero vsu & administratione vna eademque perpetuo in ea Doctrina fidei, nec in contrarios aut diuersos sensus sit variata per eos qui illam profitentur.

Secundò, si omnes qui fidem aliquam spectatis vnum idemq; in omnibus religionis articulis sentiunt. Itaque patet ad oculum cœtum hominum, qui hodie se Euangelicos vocant nullo modo Ecclesiam esse. Toti namque mundo manifestum fidem suam sæpe mutasse,& mutare in dies. Idem de Sacramentis faciunt. Deinde adeo inter seipsos dissident, vt sibi mutuo Lutherani Caluinistis, & Caluinistæ Lutheranis, imo & Lutherani vnius sectæ Lutheranis alterius, similiter & Caluinistæ anthema dicant, atque alij alios vt hæreticos damnent.

Quomodo à corporis vnitate Ecclesia dicitur vna?

Sicut in vno corpore multa membra habemus,ait Apostolis,omnia autem membra non eundem actum habent:ita multi vnum corpus sumus in Christo (HOC EST IN ECCLESIA) singuli autem alter alterius membra. Et quidem tale corpus est Ecclesia, in quo oculus nõ potest dicere manui: Opera tua

ra tua non indigeo, aut iterum caput pedibus. Non estis mihi necessarij. Cum igitur principale caput, quod Christus est, dicere: possit oculis, manibus, & pedibus, hoc est omnibus & singulis membris. Opera vestra non indigeo: consequens est Ecclesiã Christi membra habere, quæ non habeant eundem actum, sed in varia ministeria distincta: Et super omnia caput vnum à quo dirigantur & gubernentur. Caput, inquam ministeriale, & vicarium primarij capitis, quod membris non possit dicere: Non estis mihi necessaria. Vbi igitur visibile caput totius congregationis non agnoscitur quale quidem agnoscunt Catholici Romanum Pontificem Iesu Christi vicarium; Hæretici vero nullum tolerant etiamsi ab vno aliquo hæresiarcha originem ducunt vel vbi non sunt distincta ministeria (vt apud eos est cernere qui ciuili magistratui ius omne Ecclesiasticum tribuunt) fieri nequit vt sit vera Christi Ecclesia. Et hoc manifestum & infallibile signum veræ Ecclesiæ.

Sanctitatis nomen quas habet significationes?

Quod ad rem præsentem attinet quatuor sufficiunt. Primò, sanctum est Deo consecratum, vel solo voto, aut desiderio aliorum, (quomodo animal sanctum erat, quod

Leuit. 27. 1. Cor. 7. quod solo voto Deo dedicabatur, & infantes Christianorum necdum baptizatos aut natos appellat Apostolus sanctos) vel aliqua consecratione, quomodo sacerdotes & vasa sacra effici sancta consueuerunt. Hoc igitur pacto Ecclesia sancta est, tota per baptismũ Deo consecrata; Et qui baptismate abluti non sunt Iudæi, Ethnici, Anabaptistarum Filij, huius sacræ familiæ membra censeri non possunt.

Secundò, sanctum ab interna iustitia, & inhærente sanctitate nominatur, quæ est vita Ecclesiæ, sicut anima corporis.

An omnes qui in Ecclesia sunt iusti?

Sicut non omnia quæ ad idem corpus attinent, in se vitam habent, velut in homine pili, vngues, humores, fieriq́ue posset, vt maior pars eorum quæ corpori adhærent, vita destituatur, vt in arbore quadam cuius plures sint rami emortui & aridi, quam viui atque vegeti; sed ad viuentis nomen retinendum satis est, si in aliqua parte vita conseruetur; quæ vita tametsi quandoque se non prodat, vt in arboribus per frigora hyemis, existimandum est tamen à toto corpore vitam non abesse, quam diu manifestis indicijs de interitu nihil constat. Pari modo Ecclesia sancta est, quæ sanctos multos & aluit, & in cœlos præmisit, & nullo argumento conuinci potest omni sanctitate vacare,

care, quin potius verisimilibus rationbus probari, multos extare etiamnum sanctos & pios, Deoque acceptos homines.

Quæ sunt infallibilia sanctitatis argumenta?

Sanctitatem hominum, miracula in vita & post mortem exhibita testantur. Conuentus alij infidelium hominum, neque sanctũ se aliquem habuisse, atque ad cœlos præmisisse, neque adhuc in viuis habere testimonio vllo certo (cuiusmodi sunt, non externa species pietatis, quam improbi quoque imitantur, & simulatè exprimunt; sed diuina, vt diximus eaque nulla re dubia obscurata reuelatio, aut miracula naturæ vires excedentia) docere vllo vnquam tempore potuerunt.

Profer aliam sanctitatis significationem?

Tertio sanctum à puritate doctrinæ accipitur, estque Ecclesia sancta, tum quod nihil vel scripturis, vel rectę rationi repugnans commendet, tum quod sancti mores eius prædicationem & spiritum comitentur, sicut olim ad conciones Apostolicas, multi paupertatem voluntariam amplexabantur, virginitatem colebant, humiles maioribus obsequentes, virtutisque omnis sectatores euadebant.

Qui

Qui ob huius sanctitatis defectum ab Ecclesia alieni sunt?

Primò, qui sacram scripturam vel abijciunt, vel mutilant, vel ad alienos sensus, contra maiorum omnium interpretationem, detorquent.

Secundò, qui aliena à recta ratione docent; cuiusmodi sunt, Deum esse authorem peccati, hominem libero arbitrio carere, fidem Deo datam impunè violari posse, aut debere, Maiores omnes totis 1500. annis in densissimis errorum tenebris versatos esse, vsque adeo', vt Christo iniuriam per sacrificium & sanctorum inuocationem intulerint, & gentilium ritu idola coluerint, imo gentilibus omnibus deterius egerint, vt qui frustulum panis pro Deo habuerint.

Tertiò, quorum prædicatione, ex vi spiritus quo impelluntur, atque instigantur, mali mores exclusis bonis, in populum inducí solent.

Quî cognoscam ex vi Spiritus, atque adeo prædicatione Doctoris alicuius enasci malos mores?

In his tribus modis deprehendi potest. Primò, si primorum authorum (qui suarum sectarum plenitudine Spiritus abundauerunt) improbi mores fuerint.

Secundò, si ex concionibus populus non corde

corde compuncto, animo humili, manſueto, modeſto; ſed truci vultu, ſpirans minarum & cædis, domum exeat.

Tertiò, ſi illis locis, vbi præcipuè cætus iſti vigent, exulet omnis pietas, diſturbentur monaſteria, negligatur virginitas, ceſſent ieiunia, cæteræque virtutes Chriſtianę, à Chriſto & Apoſtolis commendatæ explodantur.

Quid poſtremò ſanctum ſignificat?

Idem quod ſtabile fixum, immobile firmum, à verbo ſancire, quod eſt firmare. Eſt igitur Eccleſia ſancta, quoniam nullis aduerſitatum procellis ſuccumbit (*Portæ inferi*, ait Chriſtus, *non præualebunt aduerſus eam.*) Matth. 16. Quamobrem non pertinuerunt vnquam ad veri nominis Eccleſiam, conuentus hominum diſſipati, vt veterum hæreticorum, vel inſurgentibus nouis obſcurati, quomodo Manichæi, veteres Simonis magi ſcholas, & Ioannes Huſs Ioannem Wiclefum vicit, & Caluinus Lutherum paulatim obfuſcat.

Eccleſia cur dicitur Catholica?

Duabus ex cauſis: Priori, quia nulli populo alligata, vt Iudæorum Synagoga, nulli ætati, ſexui, conditioni, nationi, admittit omnes, cuiuſmodicumque illi ſint tandem, qui Chriſto nomen auent dare.

Poſteriori, quia per orbem vniuerſum

sparsa atque proseminata. Hoc signum in nullam hæreticorum sectam conuenit, qui certis suis angustijs se continẽtes, nunquam potuerunt eandem suam doctrinam in alias omnes nationes importare: vel enim non fuerunt ausi, vt Lutherani in Hispaniam; vel non permissi, vt Caluinistæ in Indiam; vel non admissi, vt Confessionistæ in Græciam; vel importantes corruperunt, vt Caluinus Lutheranismum in Gallia, Puritani Caluinismum in Anglia, ad gloriam scilicet proprij nominis, quod mallent Doctoris & Inuentoris honorẽ quam discipuli. Sola doctrina Romana Ecclesiæ pari constantiq́ue ritu, atque modo, vbique per orbem terrarum colitur & obseruatur.

Da quartam Ecclesiæ notam.

Manifestum est veræ Ecclesiæ indicium, si deprehendatur Apostolica, hoc est, ab Apostolis sanctis, auctoritate Christi, fundata, & ad nos vsque perducta.

Apostolicam esse vnde cognoscam?

Duobus modis agnosci poterit: Priori, si per ætates omnes ascendens, eandem fidem & religionem ad Apostolos deducas; quod fiet commodè, si modum illum, quo in hasce ditiones sit primum importata fides, & huc vsque conseruata, inspicias. Atque tunc consideres, an id credatur ab ijs qui nunc viuunt

uunt hominibus, quod fidei religione obseruatum fuit ab illorum maioribus, & ab illis rursus, quod à suis, atque ita deinceps, quoad continua perueſligatione venias ad illos, qui ab Apostolis eorumué successoribus missi, Ecclesiam in terris & Regionibus hisce plantauerunt.

Posteriori, si Pastores atque Doctores, vel missionem, vel ordinationem suam, nulla facta interruptione, ad Apostolos Christi referunt; quomodo non pauci veteres Doctores, à successione nunquam interrupta docuerunt Romanam Ecclesiam, illam eandem prorsus esse, quam fundauit & rexit Apostolus Petrus.

Quamobrem excludendi sunt à nomine Ecclesiæ cætus illi, qui aliam fidem, atq; maiores, totis his 1500. annis coluerunt, in orbem inducunt: Et illi quoque, quorum Pastores atque Doctores, legitimam suam missionem ad Christi Apostolos non referunt. Cum igitur hæreticorum omnium conuenticula, ante suum hæresiarcham, ne vnum quidem hominem exhibere possint, qui omnibus illius hæresiarchæ doctrinæ aut religionis capitibus assensus fuerit; neq; Pastorum suorum missionem vltra hæresiarcham, (qui à nemine, quam à semetipso, mendacique Spiritu suo, vt noua comminiscereturr, est missus) institutam proferre,

non obscurè liquet apud hæreticos non esse Ecclesiam.

Quem fructum ex dictis colligis?

Primò, Quando orbis varijs opinionibus confunditur, vt quo se vertat homo, ipse non videat, discimus hoc articulo, Ecclesiam certis indicijs agnoscere, agnitam retinere, eiusque fidem totis viribus amplecti atque tueri.

Secundò, Discimus Deo nostro gratiarum actiones referre, qui nos ex tenebris euocauit ad Ecclesiam, suoque nomini atque obsequio dedicatos, sanctos effecit. Retinenda est ergo interna sanctitas, maximeque adlaborandum, ne diffidijs aut opinionibus nostris, non dico Ecclesiæ vnitas, sed proximorum nostrorum pax & concordia, vel minima ex parte violetur.

SANCTORVM COMMVnionem.

Quid est quod Sanctorum communionem credimus?

HÆc pars additur, vt sciant Christiani, quam sit bonum, quantarumq; commoditatum societatem habeat, in Ecclesia versari, in qua tametsi bona quisque habeat sua temporalia (quæ post peccatum, ob hominum malitiam, non expedit esse communia)

nia) in spiritualibus tamen bonis est communio.

Quorum bonorum Sancti communionem habent?

Vt de Ecclesia hac terrena, & in terris adhuc militante primum loquamur, primo communia sunt omnibus sacramenta, quæ ad singulorum vtilitatem à Christo instituta fuerunt, vt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema vnctio, &c.

Secundò, Sacrificia quæ pro Ecclesia à Sacerdotibus offeruntur, & preces communes.

Tertiò, bona opera singulorum Christianorum aliquid in commune, & singulis conferunt; sicut cibus quem sumit os, prodest singulis membris.

Gratia Dei quæ in vno homine est ad alium sese transfert?

Minimè, deriuat tamen alienæ probitatis fructum in alios duobus modis: Priori quidem, dum ob coniunctionem cum homine sancto, & abundante meritis, vel parcit Deus alijs, sicut Sodomis peperciſſet, si adfuiſſent decem iusti; Et Princeps parcit amici sibi vnicè dilecti fratribus, atque cognatis; vel bene fit, vt Ismaeli in gratiam patris Abraham; Sic Pharao tradidit Iacobo *Gen. 18.* *Gen. 17.* *Gen. 47.*

Patriarchę,& filijs eius terram Goſen in gratiam Ioſephi.

Poſteriori verò, dum ex coniunctione cum hominibus ſanctis, alij ad meliora inducuntur;quod enim carbonibus,aut lignis vſu venit, vt in ignem iniecta concipiant ignem ardore aliorum ; ita ex præſentia, conſuetudine, familiaritateque bonorum, alij nonnihil pietatis hauriunt, cum ex ſpiritu loquentis; tum ex Angelorum Deique præſentia, ſicut contra, vſu & ſocietate malorum efficitur quis deterior, vel ex veneno quod ex impiorum ore dimanat, vel à malignis ſpiritibus, qui impios comitantur & dirigunt.

Perge in exponendis bonis quæ ſancti communia habent?

Quartò, quædam ſunt opera ſanctorum, aliqua ex parte ipſis non neceſſaria, quæ in communem Eccleſiæ theſaurum referuntur, eiuſmodi ſunt pœnæ & afflictiones, quas ſupra quàm merebantur,quidam ſuſtinuerunt, ſicut de ſe D. Iob fatebatur: *Vtinã appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior in ſtatera, quaſi arena maris hæc grauior appareret.* Iob.6.

At Deus renumerat ſuum opus cuiq; abunde.

Vnum

Vnum idemque hominis opus, duos potest effectus producere, ita inter se separatos, vt vnus ipsemet homini prosit, alter verò alijs: veluti obambulatio tam corpus exercet, quam sanitatem conseruat: satisfacit etiam decreto magistratus, quo ciuis suo tempore ciuitatis mœnia obire tenetur. Si quis igitur hac obligatione ciuili liber, vices amici hac ambulatione suppleat, is sane & sibi proderit in valetudinis cura, & amicum obligatione liberabit. Pari modo, si quis vir sanctus grauia sustineat incommoda, aut etiam vltro susceptas afflictiones, sibi ipsi mercedem eximiam parat in cœlo, insigni sua in Deum charitate; At quia dolorum proprius effectus est satisfacere pro illicitis voluptatibus, atque peccatis, quæ non ita grauia, vt tam immani pœna expiari debeant, à sancto illo commissa fuerunt, ne effectus ille fructu suo careat, voluit Deus, vt in aliorum satisfactionem; in Ecclesiæ thesauro spirituali asseruaretur. In quo thesauro sunt præter Sanctorum merita, etiam immensa merita Christi, qui cum peccatum fecit nullum, pœnas tamen grauissimas perpessus est.

Quis thesauri istius vsus?

Hic in eo cernitur, quando Christianis, qui per sacramentum pœnitentiæ, impetrata peccatorum venia, alicui adhuc pœnæ

obnoxij sunt apud Deum, Christi & Sanctorum pœnæ, ad pœnarum satisfactionem applicantur. Has vocamus indulgentias, quarum distributio penes Ecclesiæ caput est, sicut penes principem, aut patrem familias dispensatio omnium bonorum Reip. atque familiæ. Et hæc merita quandoque ad totius pœnæ satisfactionem adhibentur, in indulgentijs, quæ plenariæ dicuntur; Quandoque ad partem debitæ pœnę, pro superioris dispensatoris arbitrio. Neque mirum hoc videri debet in spiritualibus obligationibus, cum in temporalibus apud Magistratum sæcularem, vnius pro alijs admittatur
1. Ioan. 1. satisfactio. Hanc bonorum communionem exposuit D. Ioannes similitudine societatis mercatoriæ, vbi sic lucrum in commune cedit, vt is tamen qui amplius contulerit, plus
Rom. 12. ex lucro referat. D. Paulus adduxit similitudinem corporis, ad cuius sustentationem & commodum, membra omnia laborant, & quodque sibi conueniens nutrimentum accipit. Quicquid enim boni operatur Christianus, tametsi ad peculiarem aliquem finé orationes suas, ieiunia, aliaque pia officia referat; quia tamen est membrum corporis, non carent cætera membra fructu suo; sicut pharmacum, quod ad valetudinem confirmationemque ventriculi, vel hepatis, aut alterius partis accipitur, ita prodest illi membro,

bro, vt tamen ad reliqua membra vis eius transeat.

Qui sunt huius communionis exortes?

Hac communione priuantur, quotquot extra Ecclesiam degunt, infideles omnes, Gentiles, Iudæi, Hæretici; præterea Catholici ob facinus aliquod graue, à communione, & societate Ecclesiæ reiecti: non enim nisi ob peccatum mortale cum contumacia coniunctum est inferenda tam grauis pœna Christianis. Hi omnes tantis bonis destituuntur.

Primò, ad nulla admittuntur Sacramẽta.

Secundò nihil ipsis prosunt Ecclesiæ preces & sacrificia.

Tertiò, nihil merita Ecclesiæ, ieiunia, Eleemosynæ, vigiliæ, pœnitentię, opera bona, &c. sicut membra à corpore resecta, nihil faciunt commodi ex alimento corporis.

Quartò, traduntur sathanæ, qui extra Ecclesiam imperium exercet. 1. Tim. 1.

Quintò, iubentur Christiani talium hominum consortia vitare, præsertim qui aliquando in Ecclesia fuerunt, vt hæretici, & Catholici communione priuati, tum ne malorum consuetudine aliquid eis adhæreat, tum vt mali ipsi consuetudine hac Catholicorum priuati, ad saniorem mentem redeant. 1. Cor. 5. Tit. 1. 1. Cor. 15.

Sextò, vt viui ab Ecclesia fuerunt alieni, ita & defuncti. Itaque & corpus Ecclesiæ sepultura caret, & anima excluditur à gloria beatorũ. Et hæc de cõmunione viuentium.

Soline viuentes gaudent communione Sanctorum?

Ad Christi Ecclesiam pertinent tum sancti omnes: in cœlis regnantes cum capite suo Christo, qui ad Ecclesiæ suæ thesaurum merita sua contulerunt, & nunc pro nobis solliciti Deum precantur, nobisque subinde micas aliquas de mensa cœlesti deijciunt; tum animæ defunctorum, quæ nondum satis ad cœli gloriam fulgentes, purgatorijs pœnis mũdantur; ad quas ceu ad viua membra Ecclesiæ, defertur fructus bonorum viuentium; quorum precibus sanctis, officijs bonis, & afflictionibus non parum iuuan-
2. Mac. 15. tur. Nobis illæ vicissim rependunt preces, sicut Hieremias in limbo patrum Israëlitis: sanctis autem in cœlo glorioſis, accedit aliquid gloriæ accidentalis, & noui gaudij, ex piis operibus, quæ eorum institutione vel imitatione perficimus, ex precibus item quibus eorum interceſſionem imploramus; denique ex sancta vita nostra: siquidem vnius membri gloria totum exornat corpus.

Collige fructus.

Primò,

Primo, si spiritualium bonorum est inter omnes Catholicos tanta communio, discimus à terrenis bonis nostris, his longè inferioribus, Christianos pauperes non reddere alienos: imo libenter talenta omnia nostra, atque bona externa, in Christianorum omnium, tum spiritualem, tum corporalem vtilitatem conuertere.

Secundò, discimus indulgentias non parui facere, aut leuiter negligere, sed in statu gratiæ eas reuerẽter frequentare; nulli enim prosunt in peccato mortali constituto, & multum iuuant pios, vt citius in patriam cœlestem ex hac vita migrent: sicut enim delicta sua nemo plenè intelligit, sic quanta eis pœna debetur, nouit solus Iudex iustus, atque districtus.

Tertiò, discimus toto corde vel ad ipsum excommunicationis nomen horrere, qua & bona omnia tolluntur, & mala omnia spiritualia aduehuntur. Quamdiu enim homo, tametsi peccator, & membrum mortuum, cœteris membris viuis, totique corpori Ecclesiæ adhæret, aliorum præsidio à dæmonis potestate seruatur tutior, succique spiritualis particeps, quandoque (vt in morbidis membris euenit) vel in integrũ restituitur, vel conscientiæ stimulis, à grauioribus malis cohibetur; vel saltem bonis temporalibus & huius commodis augetur.

Quartò,

Quartò, discimus vita defunctos precibus, Eleëmosynis, bonisque operibus iuuare: sanctisque in cœlis, qui nobis sua bona fecerunt communia, honorem omnem & venerationem habere, seduloque precari, ne peccata nostra, tantam bonorum ipsorum communionem, & applicationem impediant.

ARTICVLVS DECIMVS.

REMISSIONEM PECcatorum.

Tres insequentes articuli quo ordine inter sese cohærent?

His tribus articulis sequentibus, tria bona credimus, quæ beneficio Spiritus Sancti vnicuilibet nostrum offeruntur, inter quæ prius nominatur peccatorũ remissio, quæ animam concernit, quàm carnis resurrectio, quæ attingit corpus.

Primò, quia animæ curatio antecedit resurrectionem corporum.

Secundò, quia ad gloriam corporis nemo resurrecturus est, qui non acceperit peccatorum condonationem.

Quid remißionis vocabulo significatur?

Hoc nimirum, quod DEVS ad se accedenti-

dentibus peccata condonet & prorsus tollat, hominemque sibi reconciliet, per merita Christi, virtute Spiritus Sancti.

Mandatur cuique vt credat sibi esse peccata dimissa, se iam iustificatum & Filium Dei?

Caue ne id credas; fides illa non est Christianorum, sed vanissima hæreticorum fiducia, quam ipsi vocant fidem specialem, cum sit temeraria præsumptio, Catholicæ fidei aduersa, dicente scriptura: *Nescit homo an odio vel amore dignus sit*, an prauum cor habeat, an serio ad Deum conuersum: Verum hæc nobis ad credendum proponuntur; Eccles. 9. Ier. 17.

Primò, in Ecclesia penes præpositos, Apostolorum Christi successores relictam potestatem remittendi peccata, quam ante Christi aduentum, DEVS ipse sibi reseruauerat.

Secundò, hanc potestatem Ecclesiæ in vtilitatem fidelium datam, non esse ad certum peccatorum vel genus vel numerum adstrictam, sed ad omnia omnino extensam, vt possint Christi in terris vicarij peccata omnia, quantumcunq; numero multa, prorsus dimittere, neque possit plura condonare CHRISTVS ipse DEVS de cœlis, quam concesserit hominibus condonare in terris.

Ter-

Tertiò, hanc remissionem non dari quouis modo ex hominum arbitrio, sed per sacramenta, his solis qui digne ea suscipiunt.

Per quæ sacramenta remittuntur peccata?

Baptismo remittuntur prorsus omnia, id etiam quod origine nobiscum attulimus; Pœnitentiæ vero Sacramento, illa omnia, quæ post Baptismum accesserunt; cæteris porro Sacramentis, tametsi sua quibusque peculiaria beneficia donentur, ob gratiæ tamen accessionem, quam per singula infundi credimus, leuia peccata ex animo delentur, & si quæ memoriæ grauiora exciderunt.

Perge in ijs enarrandis quæ hic credere iubemur.

Quartò, iubemur credere Christianis omnibus, qui Sacramenta hæc qua par est deuotione, & præparatione acceperint, peccata prorsus condonari, & nos ipsos verè iustificatos esse, peccatisque liberos, si quæ à nobis requirunt Sacramenta perfecimus.

Quintò, peccata quæ virtute Sacramenti remittuntur, prorsus tolli, nec radi nec tegi, neque aliquid vel punitione, vel ira dignum manere.

At in renatis manet concupiscentia.

Concupiscentiæ cæteræque imperfectiones

nes ad mala propensiones, quæ in homine iusto, dimissis peccatis, relinquuntur, neque peccata vera sunt, neq; aliquid habent quod damnationem ad æternos ignes mereatur, nisi voluntatis consensus accedat. Dici tamẽ possunt homonymῶs peccata, tũ quia peccati effectus, vt scriptura stilus, & idioma lingua; tum quia peccati causa, sicut frigus pigrum, & mors pallida.

Motiones porrò concupiscentiæ an sint peccata?

Siquidem in sola carne & inferiore hominis parte consistunt, non habent rationẽ peccati; si leuiter afficiunt voluntatem delectatione, sunt peccata leuia seu venialia, si vero voluntatem in plenum deliberatumq; consensum trahunt, sunt mortalia. *Augustinus varijs locis.*

Redeuntné aliquando peccata?

Peccata omnia quantumcunque enormia, si semel dimissa fuerint, vsque adeo diuina misericordia deterguntur, vt nullo casu redeant; tametsi repetita grauius, propter ingrati animi flagitium, puniantur. *De hac re plenius in Catechesi de pœnitentia fol. 291.*

Quid præterea hic credimus?

Peccati turpitudine ab animo depulsa, statim succedere Dei gratiam, iustitiam, sanctificationem, qua animus ornatus, & innouatus Deo placeat; immò vero ad gratiæ ingressum peccata repelli, sicut ad ingressum

sum luminis discutiuntur tenebræ. *Abluti*
1. Cor. 6, *estis*, (ait Apostolus) *Sanctificati estis*; Et, *vete-*
2. Cor. 5. *ra transierunt, eccè facta sunt omnia noua.*

Cur ergo in hoc articulo solius remissionis peccatorum fit mentio?

Hæ causæ adferri possunt; Prima, vt in gratiarum actionem semper meminerimus prioris nostræ conditionis peccatricis, vnde
1. Pet. 2. educti sumus, cum *Deus de tenebris nos vocauit in admirabile lumen suum.*

D. Aug. li. 19. de ciui. tate Dei cap. 27. Secunda, quia, (vt ait D. August.) *licet iustitia nostra vera sit, non tanta est tamen in hac vita, quin potius remissione peccatorum constet, ob lapsum quotidianum, quam perfectione virtutum.*

Tertia, ad hominum, qui peccatis vel grauibus vel quotidianis obnoxij sunt consolationem, qui hoc articulo discunt, neque numeri, neque magnitudinis peccatorum haberi rationē, sed solius amoris in Deum, verique doloris, de diuina maiestate culpis, & maleficijs nostris, offensa.

Quarta, vt noua hac doctrina remissionis peccatorum, multi ad Ecclesiam adducerentur. Verè enim noua est, vt Athenienses de resurrectione dictitabant, à nemine Philosophorum aliquando tradita.

Collige fructus ex hoc articulo.

Posteaquam tam amplum nobis beneficium

cium à Deo condonatum est, obtinendæ remissionis peccatorum, danda est opera, vt eo fruamur, & de die in diem ne differamus vitæ nostræ in melius commutationem.

Primò, quia incertus est vitæ terminus.

Secundò, quia qui vero peccatorum dolore afficiuntur, non differunt redire cum Deo in gratiam, dilatio quippe indicium est adhuc confirmati in peccatis animi.

Tertiò, quia omne tempus omnisque locus aptus est agendæ pœnitentiæ.

Quartò, quia nullum tam enorme est peccati flagitium, ad quod remittendum Deus se non paratum exhibeat; *vtinam* (ait D. August.) *tam cito homo peccator resurgat ad pœnitentiam, quam cito Deus definitam vult mutare sententiam: neque quisquam sic est grauatus peccandi consuetudine, quem non volet sua gratia releuare.* Ser 102. de tẽpore.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

CARNIS RESVRrectionem.

Articulus vndecimus quid complectitur?

SEcundum beneficium quòd à Spiritu Sancto accepturi sunt fideles, est quòd corpora mortua, atque in cineres redacta, denuo resurrectura sint ad vitam; cuius beneficij non alium esse authorem quam Spi-

Rom. 8. ritum Sanctum, testis est Apostolus: *Quod si Spiritus eius qui suscitauit IESVM Christum à mortuis habitat in vobis; Qui suscitauit Iesum Christū à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.*

Qualis est iste articulus?

Difficilis creditu olim fuit, habuitque multum quæstionis, & controuersiæ, non solum apud Ethnicos, & Iudæos, Saduceosque, sed ipsos etiam Christianos: vnde varijs à Christo & ApostoloPaulo rationibus probari debuit. Est tamen ad salutem, vt firmiter assentiamur, necessarium à Deo non solum animæ beatitudinē, sed corporis quoque gloriam exspectandam esse; vt hoc corpus in Dei honorem & res cœlestes libenter expendamus.

Quare voluit Deus corpus esse retributionis particeps?

Primò, Quia simul cum anima ad Dei honorem laborauit.

Secundò, quia cum anima à corpore separata, naturali desiderio feratur in corpus,
Apoc. 6. (sicut in Apocalypsi nō obscurè indicatur,) nunquam perfectè fœlix ac per beata erit anima, nisi corpori denuò restituatur.

Tertiò, vt ad similitudinem capitis sui Christi, totus homo in cœlos ascendat.

Quartò, vt omnipotentem charitatem suam

suam Deus faciat manifestam, qua lutum hoc nostrum in cœlum infert, & in thronum suum constituit. Apoc. 3.

Quintò, vt semel inimica destruatur mors, cum iusti mortui vitæ restituentur.

Quid denotat vox illa caro?

Vox ista, Caro vel pro homine ipso posita est, vel pro corpore, sicut in Symbolo Cõstantinopolitano dicitur, *expecto resurrectionem mortuorum.* Vsi tamen sunt Apostoli voce carnis potiùs, quàm alia quauis.

Primò quidem, vt intelligamus solam hanc carnem nostram per mortem interire, ac dormire, non etiam animam, in quam somnus vel interitus non conuenit.

Secundò, ne existimemus cum veteribus hæreticis, spiritualem fore hominum resurrectionem, qualis est in iustificatione impij.

Tertiò, ne quis arbitretur aliud corpus, vel alterius naturæ, à mortuis resurrecturũ, atque in sepulchrum illatum fuerat, cœleste (inquam) aut non naturale. Eadem enim caro nobis restituetur, qua nunc circundati sumus.

Qualia erunt resurgentium corpora?

Fide tenendum est omnes omnino homines, seu sanctos, seu impios, resumptis corporibus à morte excitandos. *Quia omnes* Ioan. 5.

qui

qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & qui audierint viuent. At cũ scriptum legamus *Non resurgent impij in iudicio,* quibusdam in re bus de bonis & malis pariter æqualiterq; fiet, in quibusdam autem ratio dispar ser uabitur.

Atque in eo primò conueniunt omne quod in resurrectione denuò victuri sint redeundibus animis in corpora eadem, qua reliquerant.

Secundò, quod nulla vnquam futura si eorundem separatio, quisquis tandem casus aut quodcunque malum eueniat.

Tertiò, quod integra futura sint corpo ra, membrisque omnibus suis perfecta & absoluta.

Quæ diuersitas?

Hæc erit ex quatuor dotibus corporum glorioſorum, quas sacræ literę exposuerunt.

Prima est impatibilitas, qua sancta cor pora, neque pati quid possit, neque ledi. *Ita* Apoc. 7. *que non esurient neque sitient amplius, neque cadet super eos sol, aut vllus æstus:* Impiorum corpora tametsi ad interitum non ledentur, neque prorsus morientur; patientur tamen non minus, imò verò facilius, atque dum in ter ris viuerent, idonea nempe ad omnem do lorem & pœnam. Proinde esurient & sitient algebunt, ardebunt, sectiones, verbera, & quic-

& quicquid moleſtiarum aut pœnarum aliquid afferre poterit, cum dolore ſentient, & præ dolore languebunt.

Secunda claritas, *Quia fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno Patris eorum, Et corpus quod ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria.* Impiorum corpora obſcuritate & fœditate horrorem incutere poterunt, & nauſeam mouere, ad inſtar cadauerum à vermibus ſemieſorum, iuxta illud Iſaiæ: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, Et erunt vſque ad ſatietatem viſionis omni carni,* hoc eſt, abominationi & horrori omnibus. Matth. 13. 1. Cor. 15. Iſaiæ. 66.

Tertia agilitas, quia corpora Sanctorum ad nutum animæ, breuiſſimoque tempore, ſine moleſtia, vel defagatione illuc mouebuntur atque ferentur, quocunque voluerint: iuxta Iſaiæ vaticinium: *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Itaque ſurſum aſcendent ſancti in aëra obuij Chriſto Domino, & cũ Chriſto in ſuprema cœlorum tabernacula. Aug. lib. 20. de ciuitate Dei cap. 18. Iſaiæ. 40.

Impiorum corpora grauedine deprimentur, & inſtar Dathan & Abiron, in cruciatus inferorum, mole ſcelerum & impietatis abiecta depreſſaque decident, vinculiſq; aſtricta, ſicut ſcriptum eſt: *Ligatis manibus & pedibus, proïcite in tenebras exteriores.* Num. 16. Matt. 22.

Quarta, ſpiritualis ſubtilitas, *quia ſemina-* 1. Cor. 15.

tur corpus animale, surget spirituale; quod ade
non resistet animæ voluntati atque iudicio
(sicut fit in hac vita mortali, vbi *corpus quo*
Sap. 9. *corrumpitur aggrauat animam*) vt etiam illius
futurum auxilio in suis spiritualibus fun
ctionibus. Corpora impiorum hac dote ca
rebunt, opprimentque animas, ne vel bo
quid, vel iucundi, mente pertractent.

Ad vitam resurgent mortui vi sua sicut Christus?

Minimè: sed Angelorum ministerio col
lectis vndecunque cineribus, corporibu
restitutis, diuina virtute animæ infundētur.

Quos colligis fructus?

Primò, discimus Sanctorum reliquias
quæ ad tantam glōriam in terris seruantur
deuoto affectu venerari, sicut eis post mor
tem ipsemet Deus honorem habuit; qu
Deut. 34. Moysis, & Catharinæ corpora, ministeriu
3. Reg. 13. angelorum sepeliuit; Prophetæ occisi cor
pus intactum à bestijs seruauit, ad Helisæ
4. Reg. 13. ossa sepulta mortuum excitauit; multaqu
etiamnum miracula, & signa ad Sanctorum
memoriam & reliquias edit.

Secundò, discimus corpora nostra in vi
ta mortali purgare afflictionibus & pœni
tentia. Vt enim vas stanneum, quo acriu
fricatur lixiuio, atque inter purgandum de
fœda-

fœdatur, eo maculis detersis nitidiùs splendet: sic corpus humanum, quo Christi amore grauiora sustinet, minusque externo ornatu curatur, eo capacius redditur æternæ gloriæ.

Tertiò, discimus hic seriò experiri quid corpus possit sustinere, an ieiunia, frigora, ardores aliaque id genus in commoda. Hæc enim sufferenda erunt post resurrectionem corporum, & quidem grauissimè atq; atrocissimè illis, qui corporis curam in hac vita nimiam susceperunt.

ARTICVLVS DVODECIMVS.

ET VITAM ÆTERNAM AMEN.

Articulus de vita æterna, cur vltimo loco positus est?

PRimò, vt eius frequentem memoriam repetamus, sicut illorum verborum consueuimus, quæ ab amico discedente audimus postrema.

Secundò, quia reipsa omnium postrema futura est hæc vita æterna, quando *nouissimè destruetur mors.* 1. Cor. 15.

Tertiò, quia in hac vita æterna est vltimus finis, ad quem à Deo Patre creati sumus, atque à Deo Filio redempti. Quamobrem statim initio in primo articulo, qui de

Patre agebat, facta est cœli mentio, (Creatorem cœli & terræ) & in sexto similiter, de ascensione Filij, qui nobis passione sua viam ad cœlum, seu vitam æternam muniuit; in quod deniq; cœlum Spiritus Sancti benignitate ingrediemur. Discimus itaque ad hanc vitam æternam actiones omnes, & studia nostra referre, sicut ad eandem referuntur omnes præcedentes articuli, operaque omnia Patris & Filij & Spiritus Sancti.

Quartò, vt iucunda clausula symbolum concluderetur, & nos hac promissione tam liberali & eximia ad virtutem excitaremur.

Nunquid & fide tenemus infernum esse?

De inferno, alijsque, quæ minas, aut acerbitatem præ se ferunt, nihil in symbolo dicitur, nisi quatenus CHRISTVS descensu suo Patres inde eduxit, pijsque infernum clausit; non quidem quod illa fide tenenda non sint, sicut beneficia & promissiones; sed primò quidem, ne lex Christiana videretur lex esse terroris, & seruitutis. Deinde verò, quia homini adulto necessaria non est inferni cogitatio, si amore cœlestis Patriæ, vitam suam Christo conformem reddat. Illis solis ob oculos ponendæ sunt pœnæ secuturæ, qui Dei beneficijs, & charitate ad virtutem non inducuntur.

Quod

Quod est æternæ vitæ nomen?

Suprema hæc fœlicitas in cœlis nobis parata, quod vno nomine comprehendi non possit, varijs nominibus quasi per partes explicatur.

Primò, Regnum cœlorum: quia summa libertate, dignitate, potentia gloria, bonisq; omnibus sancti, ceu Reges, qui in regno sunt potiores, perfruuntur. *Matth. 5.*

Secundò, Regnum Christi & Dei: quia pacatissimè Deus omnia moderabitur, deuictis hostibus, carne, dæmone & mundo, qui nos mortales non rarò ab obedientia Dei reuocarunt. *Ephes. 5.*

Tertiò, Paradisus: propter summam bonorum omnium affluentiam, qua sancti gaudebunt, intus, foriſque repleti. *Luc. 23.*

Quartò, Tertium cœlum: ob loci sublimitatem, & pulchritudinem; quæ quanta sit, vel ex infima parte, quæ nos respicit, sole, luna, & stellis præfulgida, coniectare datur. *2. Cor. 12.*

Quintò, Sancta Ciuitas: ob sanctorum nobilissimorumque ciuium iucundissimam societatem: vnde etiam Hierusalem appellatur, lapidibus precioſis constructa, atque ornata; ob animorum, corporumque admirabilem, perfectamque innouationem. *Apoc. 21.*

Sextò, Denique vita æterna.

Quamobrem hac voce hoc loco Apostoli vti voluerunt?

Tum vt sciamus quod ad vitam non ad mortem, primùm quidem à Deo creati simus, deinde verò à Christo redempti; tum vt hæc vita mortalis, qua etiam bestiæ fruuntur rationis expertes, non tam vita putetur quam somnium quoddam, aut imaginatio vitæ: vera est vita beatorum, qui corpore simul & anima viuent; sicut mors damnatorum pessima est, qui & corpore peribunt & anima.

Quid magni est viuere in æternum?

Quemadmodum nomine mortis æternæ, non intelligimus animæ separationem à corpore, quæ est in morte solatium; sed perpetua tormenta, perpetuos luctus, perpetuum interitum, & quicquid mali in morte fingi, & excogitari potest; Ita nomine vitæ æternæ, non est sola accipienda perpetua animæ cum corpore suo coniunctio (quomodo etiam damnati in perpetuum viuent) sed primò quidem animæ vita perfectissima, quæ est solus Deus; deinde verò quicquid viuenti solatium adfert, & desiderium complet; sic enim loqui consueuimus, rem nobis iucundam, esse vitam nostram. Quocirca æterna vita, quæ alio nomine summa beatitudo potest appellari, est status bonorum omniũ aggregatione perfectus, in quo est tanta fœlicitatis consummatio, bonorumque nobilitas, vt facilius quid ibi non

Boetius li. 3. de consolat. Philosoph.

D. Aug. lib. 3. de

non sit, quam quid ibi sit, possit explicari, & more scripturarum dici: *non esurient, neque sitient, nec cadet super illos sol, neque vllus æstus: Mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor, præcipitabitur mors in sempiternum.* Exhibebitur non vnum aliquod, sed omne prorsus bonum; Implebiturque omne desiderium sanctorum. Quicquid enim quocunq; modo desiderari potest, id omne plenissimè possidebitur.

symbolo ad Catechumenos cap. 11.
Apoc. 7. 21. Isaiæ. 25. Exodi. 33.

Hoc commonstres velim.

Desideramus primò cibum, ac potum: Ibi quidem hos cibos terrenos fastidiemus, vtemur tamen cibo cœlesti, & inuisibili, quẽ transiens ministrabit filius Dei: *Et inebriabuntur ab vbertate domus Domini.*

Tob. 12. Lucæ. 14. & 12. Psal. 35.

Secundò, vestitum; Amiciemur *stolis albis, & lumine sicut vestimento.*

Apoc. 3. & 7.

Tertiò, ampla & commoda ædificia: qualia in spatiosissimo cœlorum campo erunt nobilissima; domus eburneæ, omniq; gemma, lapideque precioso ornatæ.

Apoc. 21.

Quartò, honores: Atqui *gloria, & diuitiæ in domo Domini.*

Psal. 118.

Quintò, multarum rerum notitiam. Hic *ex parte cognoscimus*, imperfecta, incertaque scientia rerum paucarum; quæ scientia destruetur succedẽte ea, quæ perfecta est. Quid enim non sciet, qui scientem & continentem omnia sciet?

1. Cor. 13.

Sextò,

Psal. 138. Sextò, gaudemus in Patria ciuibus bonis; Patria noſtra cœlum, non niſi Principes alit ſapientiſſimos, ſanctiſſimos, nobiliſſimos, ditiſſimos noſtriſque amantiſſimos.

Septimò, honeſta occupatione delectamur.

Quanam obſecro?

Psal. 83. Occupationes illic ſunt duplices: Priores in laude iucundiſſima Dei; *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.*

Sap. 3. Poſteriores in orbis adminiſtratione: *Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis*: Seruo fideli dictum legimus: *Eſto poteſtatem habens ſuper decem ciuitates.* Et hæc omnia hactenus dicta, ad ſecundarium præmium gloriæ cœleſtis pertinens, quod vocant accidentale.

Luc. 19.

Quod præterea præmium reſtat?

Præcipuum & omninò proprium æternæ vitæ, in quo perfecta beatitudo hominis conſiſtit, & nobiliſſima vita animæ, eſtque diuinæ naturæ contemplatio, non per ſimilitudinem aut ſpeciem, (quæ nulla eſt diuinitatis) ſed per ipſammet Dei eſſentiam, quę in hominis animam illapſa, *diuinæ conſortem naturæ* reddit, & vſque adeò in Deum attollit; vt licet non exeat natura ſua, videatur tamen Deus potius quàm homo, non aliter

2. Pet. 1.

quàm

quàm candens carbo ignis dicitur, & vapor accensus flamma, propter internam ignis cum carbone & fumo coniunctionē. Hinc diuina quædam sanctorum pulchritudo, hinc summa delectatio, atque suauitas, gaudiumque, & amor in Deum, hinc denique in singulis facultatibus animæ corporisque summa & fœlix perfectio, perfectaque fœlicitas, Deus nempe, qui totum implens hominem, per omnia quę attingunt hominem penetrabit.

Estne Sanctis aliquibus peculiaris corona reposita?

Est sanè: Etenim præter hæc præmia sanctis omnibus inter se communia, quædam sunt particularia, (aureolas vocant Doctores) his conseruata, qui singulari virtute de tribus hostibus victoriam reportarunt. Virginibus qui carnem superauerunt, ideoque *sequuntur agnum quocunque ierit, cantantes canticum, quod alteri nulli cantare est datum.* Apoc. 14. Doctoribus, qui de cordibus errantium depellunt dæmonē, promittit per Danielem Deus, *vt fulgeant quasi splendor firmamenti, & quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Dan. 12. Martyribus denique, qui deuicto mundo *venerunt ex magna tribulatione, suntq; ante thronū Dei, cui seruiunt die ac nocte, sedentesq; accipient iudicium.* Apoc. 7. Apoc. 20.

Quid sibi velit articulus paucis indica.

Iubemur hoc articulo credere, non quidem

dem Christianos omnes ad hanc gloriam venturos (mali namque excludentur, & plerique boni à pietate deficiunt.)

Sed primò, hanc gloriam omnibus omninò hominibus à Deo paratam esse, qui *omnes vult saluos fieri.* 1. Tim. 2.

Secundò, ad eam iam pertigisse non paucos, qui exuti corporibus cum Christo in cœlis regnant.

Tertiò, eandem assecuturos Christianos omnes, qui ad fidem suos mores componũt, si vsque in finem persistunt; quia *qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.* Matt. 24.

Fructus collige.

Seriò inuestiganda est via quę ducit ad vitam, ne aberrantes deducamur ad mortem. Et quidem hoc signum, quod ex latitudine, multorumq; ingressu in vijs terrenis sumitur, in hac via non habet locum, vbi sicut *angusta est porta, ita arcta est via, quæ ducit ad vitam, pauciq; ambulant per eam.* Certissimum autem indicium viæ rectæ est, si eam Rex ipse probatur ingressus; ille enim & tutiorem, & compendiosiorem, & mundiorem haud dubiè tenuit. Christi igitur vita moresque nobis in hoc itinere ob oculos sunt semper habẽdi; Imitandi etiam sancti, cœlestis regis nobiles, & Principes, & properè currendum est, ne nobis in via cunctantibus, nox superueniens, cœlestis ciuitatis portas, exclusis nobis, obserat. Matth. 7. Luc. 13.

CA-

CAPVT SECVNDVM.

DE SPE, DESIDERIIS, ET ORATIONE.

Post fidem de qua re instituendus est Christianus?

DE Spe. Etsi enim tria sint, testante Paulo, quæ nos in hac vita ad futuram beatamque deducant, *Fides* nimirum, *Spes & Charitas, & maior horum sit Charitas*, tamen post cognitionem diuinorum, quæ fidei est, confidimus nos ea posse consequi, quod ad spem pertinet. Postremò ad charitatem peruenitur, qua Deus vt pater amatur, & suæ nos gloriæ participes facians.

Petr. Sot. lib. 1. Institution. Christ. c. 3. 1. Cor. 13.

Quid est spes?

Spes est quædam voluntatis humanæ à Spiritu Sancto confirmatio & roboratio: qua non obstante proprię fragilitatis cognitione, & validissima impugnatione dæmonum, neque obstantibus peccatis, periculis & impedimentis seculi, felicitatem ęternam, cæteraque ad eam necessaria, bona scilicet omnem excedentia creaturæ cognitionem, conse-

consecuturam se fidit, Dei inexcogitabili bonitati innixa; atque ita fidit, vt non quasi nutans & incerta langueat, ac torpeat: sed magna alacritate & certitudine ea desideret, pro eis cuncta bona & vitam etiam ipsam promptissime paruipendens.

Quis spei auctor & finis?

1. Pet. 1. Hoc indicat B. Petrus, cum ait: *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam, regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionē Iesu Christi ex mortuis, in hæreditatem, incorruptibilem & incontaminatam, & immarcessibilem conseruatā in cœlis*: Vnde & B. Paulus nos spe saluos factos esse affirmat. Rom. 8.

Quæ licet sperare?

Omnia quæ voluntas nostra, & naturali ratione, & lumine fidei illustrata, desiderare iustè & dignè potest. Ita nobis promittente Christo: Si *manseritis in me & verba mea in vobis manserint, quodcunq; volueritis petetis & fiet vobis.* Fiet, (inquit) quodcunque petieritis manentes in me, hoc est, sequentes exempla doctrinamque meam. Hæc autem omnia, suo ordine in oratione Dominica collocantur. Est enim oratio illa non solum forma ornandi, sed instructio etiam perfectissima.

Spes nostra quo nititur fundamento?

Primum quidem diuinæ bonitati gra-

tiæ

tiæ ac potestati immensæ innititur.

Deinde amplissimis meritis Iesu Christi.

Tertiò maximis certissimisque promissionibus Saluatoris nostri.

Postremò fraternitati vnitatique seu communioni Ecclesiæ, & auxilio intercessioniqueSanctorum in cœlis ac terra degentium.

Qui rectè sperant quibus vtuntur medijs ad ea consequenda quæ sperant?

Primum oratione, deinde bonis operibus atque meritis, gratia Dei cooperante productis, denique conatibus assiduis ad gratiam, charitatem, & cæteras virtutes, atque ad earum augmentum. *Omnis enim*, ait B. Ioannes, *qui habet hanc spem sanctificat se, sicut & ille sanctus est.* 1. Ioan. 3.

Quid est oratio?

Medium quoddam, quo homo cum diuina maiestate negotia sua confert & pertractat. *Franc. Costerus lib. 5 Institut. Christian. cap. 1.*

Quid oraturo præcipuè curandum?

Bonum orandi modum teneat, quisquis cum Deo agere statuit; sicut enim mens eius atque sententia, qui alieno idiomate loquitur, ab eo qui audit, non intelligitur, & qui minus ciuiliter sua proponit, aut parum ad mores & titulos aulicos accommodatè, parum efficit, ita non auditur à Deo, quisquis more cœlestis aulæ orationis suæ modum non instituit. Sic repudiata fuit

2. Mac. 9. ta fuit oratio Antiochi, sic Pharisæus no
Lucæ. 18. fuit exauditus. Et quibusdam fit oratio
Matth. 6. peccatum. Cœleste idioma oblitus Adam
cum vxore, didicit linguam inferorum m
Psal. 108. gisterio serpentis, excusans excusationes
peccatis. CHRISTVS secundus Adam
aula cœlesti versatus, reduxit idioma cœl
ste, suosque ritè Deum comprecari docuit.

Qua orandi formula vtendum?

Multæ quidem fuerunt in veteri lege o
randi formulæ, à Spiritu Sancto præscript
in Psalterio, & libris Prophetarum; sed nul
la conferri cum ea oratione debet, quam
Matth. 6. CHRISTVS DEVS ipsemet tradidit & præ
scripsit.

Primò, quia hanc Filius Dei composuit
quem Pater audiri voluit, cuius verba cog
nosci, præsertim si Spiritu filij pronuncien
tur, neque potest Filius non adiuuare & pro
uehere orationem hanc suam, quam ipsius
1. Ioan. 2. mandato fundimus præceptis salutaribus
moniti, & diuina institutione formati, maxi
mè cum aduocatus sit noster, & patronus
apud Patrem, nosq; tunc exaudiendos dixe
rit, quandocunque in suo nomine quidquid
Ioan. 16. petiuerimus, multoque magis si eius verbis
orantes vsi fuerimus.

Secundò, quia hac oratione omnia quæ
sanctè à Deo peti possunt, & eo ordine, quo
petenda sunt continentur.

Ter-

Tertiò, quia breuissima, vt citius memoriæ mandetur, facilius intelligatur, frequentius repetatur.

Quartò, quia diuersis petitionibus tanquam membris & articulis distincta, occasionem præbet ijsdem crebro proiaculatorijs orationibus, etiam in medijs occupationibus vtendi.

Quæ sunt Dominicæ orationis partes?

Præfatio, & septem petitiones. In præfatione tria sunt verba quorũ 1. (Pater) quo quẽadmodum oraturi in Deum affecti esse debeamus, significatur: 2. (Noster) qua voluntate in proximos. 3. (Qui es in cœlis) quo pacto in nos ipsos constitutos esse oporteat.

Cur vult Deus à nobis pater appellari?

1. Vt conditionis nostræ excellentiã considerantes, nihil ea indignum committamus; impiorũ mores, vt filijs indignos, vitemus; consilia dæmonũ, Deo patri aduersantium, repudiemus; cœlestis patris moribus animũ imbuam[9] (vt *simus imitatores Dei, sicut filij charissimi*) quia merito seqtur patrẽ sua proles. *Rom. 8.*

2. Vt semper beneficiorum diuinorũ memores, gratias agamus: siquidem nõ natura filij sumus, sed gratuita misericordiq; adoptione, qua (nobis communicato & infuso in corda nostra Spiritu filij sui) primò quidem filios Dei nos dici & esse voluit: deinde verò paterna cura pascit, diligit, fouet, re- *Ephes. 5.* *1. Ioan. 3.*

git, beneficijs ornat, & Angelis ſuis nobiliſ-
Pſal. 90. ſimis cœli principibus cuſtodiendos ac pro-
Matth. 18. tegendos committit, & deniq; effuſa libera-
Rom. 8. litate nos hæredes ſuos, Chriſtiq; cohæredes inſtituit & ſcripſit,

3. Vt pręter gloriam patris nihil vnquam quæramus; filiorum eſt enim ſtudere commodis & dignitati parentum,

Poſtremò hac voce monere nos voluit, quo in Deum patrem cœleſtem animo & affectu eſſe debeamus; fide, ſpe & charitate in eum feramur; pietatem & venerationem & obedientiam ei exhibeamus; vires omnes & facultates, & quidquid habemus & ſumus, in eius obſequium expendamus, vt qui eſt moderator, redemptor & amantiſſimus pater noſter,

Nomen patris quas exigit conditiones?

Vnam, vt depoſita voluntate peccandi, reconcilieris Deo, ne vt hoſtis ores, ſed vt filius; alteram, vt magna fiducia ad Deum accedas; quia ab optimo patre nihil non impetrabit filius,

Quare orantes non dicimus pater mi?

Noſter poſuit Chriſtus, non meus, vt quo affectu in proximos Deus adeundus ſit intelligamus: Fratres enim ſumus, quotquot mortales viuimus, vt ſpiritum atque lucis vſuram, ita communem habentes patrem,

qui

qui creauit omnes, redemit, alit, gubernat, seu à vera religione alieni illi sint, siue Christiani.

Peculiari tamen ratione sunt fratres, qui pretioso Christi sanguine à peccatis abluti, eundem Christi Spiritum Sanctum in corda sua quo vegetantur, viuunt, & aguntur de cœlis acceperunt, cohæredes regni cœlestis. Itaque monemur primò hac voce, (Noster) vt ante orationem depositis odijs & inimicitijs, cum proximo in gratiam redeamus, iuxta illud: *Relinque munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo*: proximis nostris, qualescunque illi tandem sint, charitatis affectum exhibeamus, & indigentibus Eleemosyna, & pijs officijs subueniamus; vt hac ala oratio in cœlum attollatur, & euolet. Matt. 5.

Habes & alias causas?

Secundò, vt humilitatis memores, nemo spretis cæteris, sese efferat, aut diuitijs, honoribus, auctoritate maiorem arbitretur se, aut amplius aliquid esse, quam sint pauperes, ignobiles, subditi, cæterique quorum nobis abiectior & obscurior videtur conditio. Hi enim cum Deo loquentes, non alio quàm Patris nomine eum compellunt, & quæcunque demùm sit fortunarum sors atque ratio, talis quisque reuera est, qualis apud Deum patrem æstimatur.

Tertiò, vt hæc oratio communis esset, &

in vtilitatem communem membrorum Ecclesiæ aliquid singulis conferret. Tametsi namque ista oratio (sicut & cæteræ quæ ad Deum funduntur) pro orantis voluntate & mente, possit quibusuis, etiam ijs qui sacris Christianis non sunt initiati, applicari, ex se tamen, viqué sua ad solam eorum vtilitatem refertur, qui in Ecclesia ad communionem Sanctorum pertinent, seu viui illi sint, seu vita functi.

QVI ES IN COELIS.

Quid in cœlis Deum esse dicimus, qui natura sua vbique est, nec vllo loco concluditur?

Deut. 4. Ier. 23. Primò, quia illic cernitur illustrior ipsius operatio, vbi à sanctis videtur & habetur: sicut animæ, quę per totum corpus diffusa est, dicitur caput sedes vel cor, quod in illis partibus magis vigeant eiusdem potentiæ, & operationes.

Secundò, quod illic humanitatem suam Christus collocarit, ibiqué sit sedes beatorum angelorum, sanctorumque omnium, qui in cœlis tanquam in aula Dei commorantur.

Tertiò, quod in cœlo Deus perfectè regnet, eiqué omnia perfectè obtemperent.

Quartò, de cœlo moderetur hunc mundum,

dum, pluuias dimittens, solis luce, lunæque splendore terram illustrans, stellarum, cœlestiumq; corporum dimissa è cœlo vi, corpora hæc naturalia efficiens, sanctis angelis nostri curam committens, &c. D. Aug. epi. 57.

Quare non in cœlo, sed cœlis dicimus?

Quod licet in beatitudine illa æterna mansiones sint multæ, varijque ordines angelorum, in omnibus tamen videatur, & possideatur Deus. Ioan. 14.

Hæc verba cuius rei nos admonent?

Primò, quonam pacto nos ad orationem comparare debeamus, vt mentem à terrenis ad cœlestia eleuemus, vbi pater noster est, quem alloquimur; curasque vanas & inanes cogitationes ab animo remoueamus, secuti exemplum Moysis, qui ad colloquium congressumque diuinum venturus, montem conscendit, & in nebulam, vt oculis nihil terrenum obuersaretur, penetrauit. Exod. 24.

Secundò, vt magna reuerentia tum externa corporis, & gestuum, tum interna animi Deum precemur; quia pater est, non ignobilis, sed cœlestis.

Tertiò, vt nihil à Deo, nisi quod cœleste est, atque ad cœlum nos dirigit vnquam petamus.

Quartò, quo altiùs in cœlum ascendat oratio, corpus & mentem crapula ne grauemus, Luc. 21. Rom. 13.

uemus, sed sobrietatis ac temperantiæ studiosi, ad eleemosynam etiam ieiunium, velut alteram alam orationi adiungamus.

Quid ipsis petitionibus complectimur?

Prioribus quatuor rogamus bona nobis concedi: posterioribus tribus cupimus mala depelli.

PRIMA PETITIO.

SANCTIFICETVR NOMEN tuum.

Quid per nomen intelligis?

NOmen, non dicit hanc vocem, Deus, vel aliam quampiam, quæ Deum significet, sed Deum ipsum, Dei potentiam, maiestatem, bonitatem, cæteraque attributa, quæ in Deo colenda sunt & veneratione prosequenda.

Nomen Dei potest à nobis sanctificari?

Sanctificari, non est, sanctum fieri, quomodo diem sanctum sanctificare iubemur, quia sine nobis nostraque opera, est sanctum nomen eius; sed sanctum agnosci, laudari, magni fieri; iuxta illud: *Magnificat anima mea Dominum*, qua ratione nomen Dei potest & debet à nobis sanctificari. Luc. 1.

Quid primum locum obtinet in omni bona oratione?

Gra-

Gratiarum actio, quam hac petitione Deo habemus, postulantes vt tum pro beneficijs apud nos, vniuersamque creaturam collocatis, tum pro maiestate sanctitateque sui nominis, gloria eius innotescat omnibus, & apud omnes amplificetur. Hoc enim est Deo gratias agere, quando aliud rependere non possumus. Itaque sanctificetur nomen tuum, idem valet.

Primò, gratias tibi ago Deus æterne, propter magnam gloriam tuam, pro beneficijs tuis in me collatis.

Secundò, meipsum tibi in seruum, meaque omnia diuinæ maiestati tuæ consecro.

Tertiò, precor vt præter gloriam nominis tui nihil vnquam desiderem, ad illamque actiones meas omnes semper referam.

Quartò, rogo vt tui notitia, toto orbe diuulgata, ad omnes homines diffundatur, maiestas tua & bonitas ab omnibus vita & verbis commendetur; & sicut in cœlo, ita & in terra, *à solis ortu vsq; ad occasum laudetur nomen Domini*: Et quia pro suo quisque ingenio, hi suauitate ad pietatem ducuntur, alij seueritate impelli debent: precor vt vel benignitate omnes ad Dei cultum trahas, vel verberibus intrare compellas. *Psal. 112.*

Quintò, largire fidelibus cunctis in fide constantiam, vt superatis hæresibus atque

erroribus vniuersis, quam corde tenent fidem ore quoque profiteantur.

Sextò, de cunctis Christianis, verum zelum animarum, vt ad multorum salutem, neque laboribus fracti, neque molestijs fatigati, incumbant, ne aduersitatibus debilitati langueſcant, & magno animo tuoque auxilio salutis impedimenta remoueant.

Septimò, precor denique vt laudem tibi
Dan. 3. dicant creaturæ tuæ omnes, vt *benedicant omnia opera Domini Deo, laudentque & superexaltent eum in sæcula.*

Collige huius petitionis fructum.

Nihil æquandum, nedum præferendum, diuino honori, serioque expendenda beneficia diuina, & pro ijs quotidie ex corde habendæ, agendæque gratiæ.

SECVNDA PETITIO.

ADVENIAT REGNVM tuum.

Quid post amplificationem diuini nominis petendum?

Primo loco bonum illud ad quod creati sumus, quod super omnia nobis est commendatū, quodque omnibus rebus est præ-
Matt. 6. ferendum. *Quærite*, inquit, *primum regnū Dei & iustitiam eius.* Hęc est fœlicitas vitę æternæ.

Reg-

Regnum Dei in ſacris literis quid denotat?

Quatuor: iuxta quatuor modos quibus Deus res creatas regit & moderatur.

Primò, gubernationem totius orbis, iuxta illud: *Regnum tuum regnum omnium ſæculorum. Rex omnipotens Domine vniuerſorum in ditione tua cuncta ſunt poſita.* Heſt. 13.

Secundò, Eccleſiam Catholicam, quod politiam à Chriſto inſtitutam obſeruet, Deique legibus, & à Chriſti vicario, eiuſque miniſtris in terra regatur.

Tertiò, Spirituale & internum regnum, quo ſanctiſſima Trinitas in animas noſtras veniens, & manſionem apud nos faciens per gratiam Spiritus Sancti ſuauiter nos gubernat, facultates ac vires animæ dirigit, atque in ſuo obſequio nos continet. Ita *regnum Dei intra vos eſt*, Chriſtuſque Rex præſidet, comitatus virtutibus, & Spiritus Sancti chariſmatis, quæ animæ potentijs ceu cuſtodes præſunt, ſicut Apoſtolus inquit: *Non eſt regnum Dei eſca & potus, ſed iuſtitia & pax & gaudium in Spiritu Sancto.* Luc. 17. Rom. 14.

Quartò, Vitam æternã in qua tum Deus ipſe perfectiſſimè regnat, obſequentibus ad nutum Sanctis omnibus; tum nos regnabimus cum Chriſto facti Sacerdotes & Reges ſumma libertate, nobilitate, præſtantia, imperantes Dæmonibus, *facientes vindictam in* Pſal. 149.

natio-

nationibus, increpationes in populis, alligantes reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.

De qua regni Dei significatione agitur in hac petitione?

De postrema præcipuè. Petimus itaque primo, hęreditatem cœlestem nobis seruari, ne ab ea vnquam excidamus, neué *alius accipiat coronam nostram*: imò petimus regnum nobis aduenire, tum vt in hora mortis nostræ Christus nos visitet, in suamque gloriã
Ioan. 14. adducat (ita enim promisit, *cum præparauero vobis locum, iterum veniam, & assumam vos ad meipsum*) tum vt in iudicij die, quando de cœlis Christus cum aula cœlesti est descensurus in terram, ad rem commodumq; nostrum veniat, nosque regno suo adscribat.

Et quia ad regnum illud consequendum, multum facit ardens illius desiderium, vt cupiamus *dissolui & esse cum Christo*, desiderium verò illud non parum exardescat cœlestis beatitudinis perfecta notitia; petimus secundo, vt auocata mente à terrenis rebus omnibus, primum quidem consideremus & intelligamus, quanta sint illa, quæ præparauit Deus diligentibus se; deinde verò in illa, omni mentis studio feramur, & præ desiderio illius pretiosi thesauri, arbitremur vt stercora, quicquid adspectui speciosum mundus offert.

Cæte-

Cæterum quia vires nostræ adeò imbecilles & fragiles sunt, vt ad tantum regnum conscendere non valeant, & iter ipsum periculis plenum sit & infestum : rogamus tertiò; vt regnum Dei iuxta tertiam significationem in nos adueniat, hoc est, vt sanctissima Trinitas, sua gratia nos visitet, *& ne regnet peccatum in mortali hoc corpore nostro*, vt Deus perfectè habitet in membris nostris, nosque peracto vitæ huius curriculo, in æternam cœlorum gloriam vehat. Sicut enim tutissimè proficiscitur in regnum, qui est in comitatu Regis, & aulæ Regiæ; ita sine discrimine omni & detrimento, ille perueniet in cœlum, in cuius anima sanctissima Trinitas suam aulam constituit, illamque virtutibus ornatam secum è corpore ducit.

Quartò, potest iuxta secundam regni acceptionem à nobis peti, vt regnum Dei, hoc est, Ecclesia Catholica, destructis hæresibus, & erroribus vniuersis, per orbem terrarum propagetur.

Cur voluit Christus hoc loco potiùs vti vocabulo regni quam vitæ æternæ, vel alio quopiam?

Primò, vt nobis Dei benignitatem commendaret, qui nobis regnum suum offert, dissimilis regibus huius mundi, à quibus petere regnum grauissimum est flagitium.

Secundò,

2. Reg. 2. Secundò, vt discamus mortem non metuere, quæ non ad calamitatem, sed ad Dei regnum aperit ianuam filijs Dei.

Tertiò, vt pauperibus consolationem adferret, qui licet ad tempus hic adfligantur, nati tamen ad regnandum, breui susSap. 3. cepto regno *iudicabũt nationes, & dominabuntur populis*, regnaturi cum CHRISTO in æternum.

Qui hinc nascuntur fructus?

Discimus primò in hac vita nihil vile aut humile cogitare, cuiusmodi est mundus, sed ad regnũ cœleste aspirare; absurdum quippè est hæredem regni, agere porcos, aut aliud vile quidpiam officium exercere.

Discimus secundò, laborem aliquem sumere, ad hoc regnum consequendum, vtpotè quod non datur otiosis, sed laborantibus, pugnantibus, vincentibus.

FIAT VOLVNTAS TVA SICVT in cœlo & in terra.

Post vitam æternam ad quam conditi atque redempti sumus, quid vehementius optandum & petendum?

Media illa quibus ad assequendam eam iuuamur.

Quo-

Quotuplicia sunt media?

Duplicia, spiritualia & corporalia: de spiritualibus, tanquam potioribus, & præstantioribus, agitur hac petitione cuiusmodi est, facere voluntatem Dei, eiusque mandata exequi. *Nō enim omnis qui dixerit Domine,* Matth. 7. *Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem patris cœlestis, ipse intrabit in regnum cœlorum: & qui vult ad vitam ingredi, seruet mandata.*

Faciamus nos voluntatem Dei, quid necesse est petamus vt fiat?

Equidem si primus parens noster inobedientiæ scelere se non alligasset, non esset in diuinorum præceptorum obseruatione magna molestia, quod homines sponte sua ad illa obseruanda traherentur, quemadmodum cæteræ creaturæ, quæ naturę instinctu, cursum suum tenent, & Dei instituta persequuntur; at post peccatum, corrupta natura, in vetitum nititur homo, vt sine peculiari Dei auxilio, cuiusuis potius, quam Dei voluntatem sequatur. Captiuus enim tenetur ad voluntatem dæmonis, conuersatur in desiderijs, & voluntate carnis & cogitationum, quæritque inuenire & perficere voluntatem suam. 2. Tim. 2. Ephes. 2. Isaiæ. 58.

Dei voluntas in scripturis quot modis accipitur?

Duobus: vno propriè, pro ipsa Dei volunta-

luntate, quæ est Deus ipse immutabilis in consilijs: quæ voluntas semper impletur, & neque impediri, neque euitari ab aliquo potest: iuxta illud, *Consilium meum stabit, & voluntas mea fiet*, nec est qui possit resistere huic voluntati: quia *non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Hanc voluntatem non petimus impleri, quippe quæ nobis non petentibus continenter impletur, neque rogamus, vt faciat Deus voluntatem suam, qui *omnia quæcunque voluit, fecit.*

Isaiæ. 46. *Heſt. 13.* *Proue. 21.* *Psal. 113.*

Alio modo voluntas Dei methaphoricè dicitur, quidquid eius voluntatem declarat ab eaque procedit, vt præcepta, leges, institutiones, quas vocat Apostolus voluntatem Dei bonam; Item consilia, quæ voluntatem beneplacentem: perfectissimumque illud mandatum, vt sine concupiscentiæ sensu, toto corde, tota anima, tota mente, & omnibus viribus, continua cõsideratione, & charitate adhæreamus Deo, quam appellat voluntatem perfectam, in æterna demum beatitudine perfectissime implendam; quo cum ducant virtutes, sanctitas, omnisque pietas, ad Dei vtique voluntatẽ pertinebunt, quæcunque sunt à Deo accepta, & vt ait Apostolus: *quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iusta, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ: si qua virtus, si qua*

Rom. 12. *Vide magni mandati expositionem cap. 3.* *Phil 4.* *1. Thes. 4.*

qua laus disciplinæ; hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio nostra.

Vnde Dei voluntas elucet?

Primò, ex scripturis, quæ nobis mandata Dei, generaliaque eius consilia edisserunt.

Secundò, per Ecclesiam, cuius mandatis Christus obtemperari voluit.

Tertiò, per superiores, seu Ecclesiasticos quibus dictum est: *qui vos audit, me audit*, seu sæculares: quibus obedientia præstanda est, non solum *propter iram, sed etiam propter conscientiam; nam qui potestati resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Matth. 28. Rom. 13.

Quartò, ex iudicio rationis, & dictamine conscientiæ, præsertim in negotijs nostris, & quæ pro re nata, occurrunt: quia *si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus, quia mandata eius custodimus.* 1. Ioan. 3.

Paucis ergo quid petamus enarra?

Primò, gratiam obtemperandi diuinis præceptis, & ab alijs abstinendi, quæ Deus prohibuit, eamque in Dei voluntatem perficiendi constantiam, vt mortem qualemcunque eius voluntati posthabeamus.

Secundò, vt contraria velimus, & desideremus ijs, quæ mundus, Caro, & Diabolus amant & suadent, atque superatis vitijs, prauisque affectibus, superbiæ, auaritiæ, &c. contrarijs virtutibus studeamus.

Tertiò, vt in rebus omnibus noſtris voluntatem ſuam, Deus nobis aperire dignetur, vt ſiue genus aliquod vitæ ſit deligendũ, ſiue aliud quiduis aggrediendum, ipſius cõſilio & voluntate, dirigamur.

Quartò, vt ſi fortè vel ignorantia, vel infirmitate humana, id deſideraremus & peteremus, quod ad diuini nominis gloriam, noſtramq; ſalutem minus eſſet aptũ, id nobis pro ſua bonitate Deus recuſet, eiuſque loco tribuat aliquid magis ſalutare, ſæpè etenim, neque quid dicamus cum B. Petro, neque quid petamus cum matre filiorum Zebedæi, neque cuius ſpiritus ſimus, cum eiuſdem filijs, ſatis nouimus.

Luc. 9.

Matt. 20. Luc. 9.

Quintò, denique, hac petitione totos nos damus in manus DEI, vt dummodo in nobis atque per nos ſanctificetur, & celebretur nomen Domini, ipſe de nobis pro bona voluntate ſua in omnibus rebus conſtituat: eſtque perfectiſſima oratio, ſimilis illi orationi Chriſti, qua petebat in horto, non ſuam, ſed Patris ſui voluntatem fieri.

SICVT IN COELO ET in terra.

Quid appendicula, Sicut in cœlo & in terra?

Poſtulamus formam huius obedientiæ, vt nempe dirigatur ad normam obedientiæ cœle-

cœlestis, vbi angeli sancti, à perfecta obedientia, epitheton habent obedientium: *facientes*, inquit Dauid, *verbum eius, facientes voluntatem eius*; sicut in inferno dæmones nomen sathanæ ab aduersando & repugnando. Psal. 102.

At verò propter humanæ nostræ naturæ fragilitatẽ fieri nequit, vt ad eum perfectionis gradum ascendamus.

Vocula (Sicut) non æqualitatem sed similitudinem significat; vt sicut omnes angeli semper alacriter, integre, spõte sua, nullo suo commodo, sed gloriæ Dei intuitu ad nutum obtemperant, vt ita in hac vita omnes Deo pareant, postulamus.

Fructus huius petitionis qui sunt?

Discimus primò, vt in obseruatione mandatorum Dei, non intueamur; quid homines agant, nec per illorum inobedientiam, excusemus nostra peccata: non enim ad homines mortales remittimur, sed ad angelos; & multitudo peccantium, nec eripit à gehẽna, nec minuit pœnam, sed auget: quia non minus ardet, sed vehementius, qui cum multis ardet.

Discimus secundò, quanti facienda sit virtus obedientiæ, à qua potissimum nobilissimi illi Spiritus commendantur; quam vt præstaret Christus, de cœlis ad nos venit. *Descendi*, inquit, *de cœlo, non vt faciam voluntatem* Ioan. 6.

tem meã, sed eius qui misit me Patris: quam tanto desiderio præstitit, vt diceret: *Meus cibus est, vt faciam voluntatẽ eius, qui misit me, vt perficiam opus eius*: quam denique tantoperè nobis commendauit, vt summam in ea dignitatem poneret. *Qui fecerit*, ait, *voluntatem Patris, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror & mater est.*

Ioan. 4.

Matt. 12.

Discimus tertiò, in obedientia non intueri personam hominis, sed Dei iubentis, cuius personam representat homo superior, & qui à Deo præcipiendi potestatem legitimè est consecutus.

QVARTA PETITIO.

PANEM NOSTRVM QVOTIdianum da nobis hodie.

Quare prius spiritualia bona, ac deinde temporalia petimus.

PRimò, quia quæ prioribus postulantur, sunt præstantiora, & bona ex se naturaque sua, sunt enim spiritualia ac perpetua, & eiusmodi propter quæ potissimum homo est à Deo creatus; ea quæ modo petimus, licet ab hominibus passim auidius desiderentur, & diligentius curentur, viliora tamen sunt, vtpotè corporalia, caduca, & non per se sed quæ ex parte, ad vitæ sustentationem sunt necessario, expetenda.

Secun-

Secundò, quia non meretur impetrare temporalia, nisi qui prius pro spiritualibus bonis fuit sollicitus. Igitur hic oramus nobis à Deo dari necessaria ad vitam tolerandam, & ad officium nostrum colendum vtilia, ne vel pressi inopia, peccatis indulgeamus, vel nimia sollicitudine terrenorum, animum à cogitatione rerum diuinarum abducamus, vel nimis diuitijs elati, insolescamus, voluptatibusque dissoluamur. *Pro. 30.*

Cæterum, quia hominum curæ, & quotidianæ sollicitudines, ferè non alio, quam ad temporalia bona consequenda diriguntur, ne prolixius minusque decenti oratione, pro hisce Deum obsecraremus, voluit Christus verba ipsa præscribere, quæ & modestia sua, & quia filij Dei sunt verba, maiorem vim haberent ad impetrandum, quam quæuis alia tametsi copiosa, & rhetorico artificio ad persuadendum de industria comparata.

PANEM

Nomine panis quid intelligis?

OMnia quæ ad hominis sustentationem requiruntur; quo modo petebat Salomon sibi *tantum tribui victui necessaria*, comprehendens sub victu etiam vestitum, domum, & reliquas vitæ commoditas. *Prou 30.*

Quare voluit Dominus à nobis peti non carnes, pisces, aut alios cibos, sed solum panem?

Primò, vt ex his terrenis nihil desideremus amplius, quam quod ad alendum corpus est necessarium.

Secundò, vt si præter panem, & necessariam sustentationem, aliquid detur, id omne cum magna gratiarum actione accipiamus, & in magni ac singularis beneficij loco reponamus, neque enim digni sumus pane illo quo vescimur.

Tertiò, vt imbecillitatem nostram profiteamur, qui ne panem quidem ipsum, nobis ad vitam necessarium, sine Deo parare possimus.

Quartò, vt Deo in rebus omnibus fidamus, qui tantam nostri curam gerit, vt non
Matth. 6. maiora solum, sed minima quoque illa, vt panem & aquã, benignissimè liberalissimeque nobis largiri sit paratus.

NOSTRVM

Quid verbo illo (nostrum) indicatur?

Primò, Dei charitas, qui facit vt nostrum sit, quod suum erat; & malis filijs nullo titulo debebatur.

Secundò, vt vitæ necessaria nobis, iusto titulo paremus, ne aliena furto, malisque artibus, inuadamus & vsurpemus: vt labore & ho-

& honesto lucro vitam propagemus, omniumque malorum fontem otium fugiamus.

Tertiò, vt meminerimus cibos omnes, æqualiter omnibus hominibus, à Deo creatos; ne diuites sibi delicias deberi putent, pauperibus panem cibarium, & atrum.

Quartò, (nostrum,) id est, qui naturæ conueniat, ne illa vsurpemus, quæ nobis officiunt, vt fungos ad cibum, vestes ad corporis valetudinem non rectè paratas.

QVOTIDIANVM

Cur non potius Paschalem panem, quam qui est in quotidiano vsu petimus?

Primò, vt non consectemur corporis delicias & superfluas commoditates, non auaritiæ, non opibus coaceruandis studeamus; sed *habentes alimenta, & quibus tegamur. his contenti simus.* 1. Tim. 6.

Secundò, vt fragilitatis nostræ memores, nõ superbiamus; nisi enim quotidiano cibo vires repararemus, citò interiret vita nostra. In hoc etiam bestijs & plantis miseriores, quod hæ vilioribus vescantur, reddantque præstantia, poma, vinum, lac, lanam, &c. nos meliora consummamus, & præter inutilia stercora, nihil ex corpore demus.

D A

Quare petimus vt nobis det Pater cœleſtis panem?

DIſcimus primò, ad humilitatem nos omnes eſſe mendicos Dei, ſeu diuites, ſeu pauperes, atque ad ianuam magni patris familias eleemoſynam petere. Quapropter ſicut abſurdum eſt pauperem vnum, aduerſus alterum ſuperbum ſe præbere ob fruſtũ panis, paulò maius ſibi mendicanti datum; ita ridiculum eſt in conſpectu Chriſti atque ſanctorum, hominem mortalem inſolenter ſe offerre, propter exiguam, quam præter cęteros, à ſummo rerum omnium Domino, portionem accepit.

Secundò, diſcimus nihil quicquam, niſi de manu Dominici accipere, hoc eſt, iuſtè, & ad Dei voluntatem, quia eius ſolius eſt *orbis terrarum & plenitudo eius*, mentituſq; eſt Dæmon, cum diceret: *Me ſunt omnia, & cui volo, do ea.* Luc. 4.

Tertiò, diſcimus comparationem rerum ad viuendum neceſſariarum, plus à Deo, quam à noſtris viribus & laboribus pendere; quia *niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.* Itaque diligenter eſt ad Deum confugiendum, vt labores conatuſque noſtros fortunare dignetur, vt conſeruet nobis donata: ne *ſperemus in incerto di-* Pſal. 126. 1. Tim. 6.

to diuitiarum, sed in Deo viuo, vt quæ sumpturi sumus, diuina sua benedictione sanctificet; denique siquid fortè occultæ iniustitiæ, quæ prætereat nos, in bonis nostris lateat, ipse misericordia sua abstergat, ne inde aliquod in capita nostra supplicium redundet.

NOBIS

Quare non vnusquisque sibi, sed nobis petimus dari panem?

SIgnificatur primò, orationem non pro illo duntaxat, qui eã pronunciat, sed pro alijs quoque diuino auxilio indigentibus fieri.

Secundò, bona quæ nobis petimus, sic nobis petenda esse à Deo, vt non in nostram tantum vtilitatem conuertamus, sed illis proximorum quoque necessitates subleuemus.

Tertiò, bonis ijs, quæ largitur Deus, non ad animæ detrimentum, sed ad eius salutem vtendum esse, neque grauanda corpora nostra crapula aut ebrietate, sed cibo potuque cum gratiarum actione moderatè sumpto, ad obsequium Dei recreanda. *Luc. 21.*

HODIE.

Cur vult Deus vt pro præsenti tantum die res ad necessarios vitæ vsus petamus?

Primò, vt Deo discamus fidere, qui sicut olim Israelitico populo, quotidiè de cœlis manna demittebat, ita nobis quotidiè paternè prouidebit. Exod. 16.

Secundò, ad nimiam sollicitudinem futuri temporis deponendam, vt quieti Deo, sine anxietate seruiamus.

Tertiò, vt vitæ nostræ incertitudinem ob oculos habeamus. Hodie enim petimus, quia cras fortè hac petitione nō erit opus, si (quod fieri potest) ex hac vita demigremus. Luc. 12.

Collige fructum.

Vt spiritualem animæ cibum, quotidiè petere & manducare admoneamur, quia nō minus pro anima, quæ est potior pars nostra, atque pro corpore conuenit nos esse sollicitos.

Quis est spiritualis animæ cibus?

Primò, Christus ipse à nobis viua fide susceptus, qui in animam sua gratia illapsus, eam interna quiete & pace conscientiæ continenter reficit: curanda est igitur pax conscientiæ perpetua, ne vlla ratione, per peccatum turbetur. Matth. 4.

Secun-

Secundò, Verbum Dei lectum, vel auditum, vel interna inspiratione deuotè susceptum; quod est nobis curandum quotidiè, ne vlla dies sine oratione meditatione que transeat; sed audiamus quotidiè, quid in nobis loquatur Dominus.

Tertiò, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, panis ille viuus è cœlo delapsus, & hominum saluti admirabili Dei bonitate ac potentia consecratus, qui mirificè cum corpus, tum animã reficit, fouet, alit, sustentat; ac proinde quotidiè spiritualiter, frequenter re ipsa, in sacramento accipiendus est. *Ioan. 6.*

ET DIMITTE NOBIS DEBITA nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Quid sibi vult quinta petitio?

SEquentibus petitionibus rogamus à nobis tria malorum genera dimoueri, præterita, præsentia, & futura, & quinta quidem ista petitione conamur amoliri mala præterita, hoc est, peccata à nobis commissa, petimusque primò omnia peccata nobis gratis condonari, per Christi passionem; venialia quidem per hanc orationem, aliaq; media, quibus illa pro sua misericordia & benignitate clementissimus DEVS, remittere solet, vt est aspersio aquæ benedictæ, confessio, sacerdotalis benedictio: Mortalia verò, per pœni-

pœnitentiæ Sacramentum, quod nobis rogamus ſuis temporibus impertiri, ne ſine eius beneficio ex hac vita diſcedamus.

Secundò, gratiam rectè confitendi coram Sacerdote de peccatis noſtris, recentem peccatorum memoriam, ſincerum dolorem propter offenſum Saluatorẽ, conſtans emẽdationis propoſitum, integram peccatorum omnium, apud vicarium Chriſti enumerationem, voluntatem & facultatem prodelictis ſatisfaciendi, & quæ iniuſtè alijs ablata fuerunt, ſiue res ſit, ſeu fama, ſeu honor, quo par eſt modo, reſtituendi.

Tertiò, ſi quo caſu non ſit integrum peccata confiteri, atque ex hac vita migrandum ſit abſque pœnitentiæ Sacramento; vt veram largiatur contritionem, cuius virtute, cum deſiderio cõfitendi, peccata deleantur.

Quartò, vt pœnam peccatis debitam clementer relaxet, omniaque quæ agimus & patimur, in ſatisfactionem peccatorum ſuſcipiat.

Quintò, vt media ſuggerat, & donet vitandi in poſterum peccata; ſingula porro verba huius petitionis vim habent ſuam.

DIMITTE

Cur rogamus debita dimitti?

VT ſignificetur primò, Deum ſolum offendi

fendi peccatis omnibus, etiam illis, quæ in proximos committuntur.

Secundò, Deum solum dimittere: nam Sacerdotes sunt eius ministri, per quos, ceu per vicarios ipse verba Sacramentorum profert.

Tertiò, neminem mortalium esse soluendo; itaque precamur, vt gratis dimittat, Christique passionem, pro peccatis nostris accipiat.

Quartò, adferendas esse conditiones eius, qui veniam petit, quæ sunt, vt doleat de offensa, vt statuat in posterum non offendere, vt speret veniam.

NOBIS

Dictio (nobis) quid hoc in loco indicat?

SIgnificantur primò, hanc orationem esse communem, qua quisque sic sibi orat peccata condonari, vt pro proximis omnibus Christianis idem petat. Verè magna felicitas hominis Christiani, pro quo singuli Christiani, in quotidianis orationibus sunt solliciti.

Secundò, neminem omninò esse hominem, *qui non solum humiliter, sed etiam veraciter* (ait D. Aug.) *hanc orationem dicere debeat*, vtpote cui non desint peccata, saltem venialia, sine

sine quibus vita ista non ducitur ; & fortè pœnæ aliquæ restant expiandæ.

DEBITA

Quamobrem peccata nostra debita vocantur?

Primò, quia prævaricatorem ad pœnam diuinis legibus constitutam obligant, non aliter atque humanarum legum violatores pœnis suis obstricti tenentur.

Secundò, quia obligant ad restituendum Deo ablatum honorem , irrogatam iniuriam, vsurpatam illicitam voluptatem : ista enim quolibet mortali peccata committuntur.

Quantum porro debemus?

Horum debitorum magnitudo, tum ex infinita maiestate Dei offensi æstimanda est, ex qua infinitam sortiuntur ipsa malitiam & turpitudinem , tum ex vilitate offendentis, tum ex grauitate mali commissi ; quo spreto Deo Opt. Max. transimus ad castra aduersarij improbissimi tyranni, proculcatoque Christi sanguine , & reiecta Spiritus Sancti gratia, honorem Deo debitum , impertimus sathanæ, vnde fit, vt omne peccatum mortale, sempiterna supplicia apud inferos promereatur.

NO-

NOSTRA.

Quare vocantur Noſtra debita?

Primò, quia pura noſtra voluntate commiſſa.

Secundò, quia in noſtris animabus hærent: Diſcimus igitur 1. peccatorũ meminiſſe. 2. ea non extenuare, ſed magnificare. 3. non alijs ſed nobisipſis affignare.

Collige hinc fructum aliquem.

Excitatur in peccatore magna fiducia obtinendæ veniæ; quia Deus offenſus, inuitat ad veniam petendam, petentibus liberaliter veniam offert.

Cum cæteras petitiones abſolutè poſuerit Dominus, cur huic addit conditionem?

Primò, vt quia, nulla eſt maior gratia, quam remiſſio peccatorum, qua peccator & hoſtis Dei, reconciliatur creatori ſuo, & ex reo inferni, transfertur in hæreditatem regni cœlorum: ea gratia non tribuetur, niſi etiam ipſi aliquid præſtemus. *Vide cap. 4 de pœnitentia.*

Secundò, vt facilitatem obtinendi huius beneficij cognoſcamus, quod à nobis ipſis Deus p ndere voluit; vt ſi cõdonemus alijs; dimittatur etiam nobis: conditio quippe facillima eſt, & quam præſtare poſſunt omnes, quæ non opere aut verbis, alioué labore indiget, ſed ſola voluntate perficitur. Sicut; eſt vocula ſimilitudinis, includens conditio-

ditionem, si non ignoscamus, nec Deum nobis ignoturum. Rogamus itaque, vt quomodo nos dimittimus, ita dimittat Deus: si semel tantum, si solo verbo, si exigentes aliquam pœnam, si imperfectè, vt pari modo nobiscum agat Deus.

Non licet à proximo quod debet postulare?

Hic de offensa agitur, non de debitis pecuniarijs, aut honore, famaque violata, quæ sibi restitui quisque velle potest, & aliquando debet; sicut exposcere potest à lædente quandoque pœnam, non ad vindictam, sed ad illius, vel aliorum vtilitatem.

Abstinendum ne illi ab hac oratione qui non vult ignoscere?

Si quis in animũ suum inducere non possit, aut nolit, vt proximo ignoscat, ei tamen oratione Dominica non est interdicendum, si illud (nos) non ad se referat, sed ad Ecclesiam, cuius ipse est membrum & pars: in qua Ecclesia boni non solum dimittunt, sed pro persequẽtibus etiam Deum precantur: sibi verò roget eundem animum dari, & inimicam voluntatem ad amorem & beneuolentiam flecti.

ET

ET NE NOS INDVCAS IN tentationem.

Ad quid necesse est petere ne in tentationem inducamur?

POst peccatum nullũ est grauius malum, quàm periculum peccandi, quod nobis à tentationibus impendet; quas quidem tentationes cum suscitent Dæmones, qui nunquam vel transuersum digitum à nobis discedunt; mundus, qui nos circundat; & caro domesticus hostis, quem circumferimus, facilè intelligitur, quam sit necessarium crebrò istam petitionem iterare.

Quibus modis tentamur?

Tentare, est experiri & periculum facere. Hoc ex varia intentione eius qui tentat; varijs modis, nunc rectè fit nunc malè.

Primò, enim tentat quis vt norit, quid in alio lateat, quo modo examinatur discipulus à præceptore, vt periculum faciat eruditionis. Deus qui omnia nouit, & quem nullum latet secretum, hac ratione neminem tentat.

Secundò, vt is ipse cum quo agitur, se nosse discat, & virium suarum vel imbecillitatem, vel robur perspiciat, sic CHRISTVS Philippum tentauit dicens: *vnde ememus panes vt hi manducent*

Tertiò, vt alijs cuiuſpiam conditio patefiat: ſic coram parentibus fit periculum de filij eruditione, & eo modo tentauit Deus Abrahamum, Iob, Tobiam, vt poſteritati horum Sanctorum virtus probaretur.

Quartò, vt ad malum inducatur, quo pacto hoſtis ſui vires quiſpiam explorat, vt tentando noceat. Hic modus eſt dæmonis miniſtrorumq; eius, impiorum hominum; qui etiam dæmon, ab hoc officio, nomen inuenit tentatoris, quia in eo omnis eius induſtria deſudat, vt tentando decipiat, noceat, perdat.

Matt. 4.

Quos tentat Dæmon?

Omnes omninò homines, in quibus eſt rationis vſus, nemini parcens, nec bonis, nec malis; & quidem mali, quod tentatoris voluntati ſemper obtemperent, non ſentiunt tentationis moleſtiam, tanto peiori loco, quod in poteſtate ſint immaniſſimi tyranni, exiſtimantes pacem, cum nulla ſit pax impijs. Boni verò, qui tẽtationibus repugnant, magnam ex illis moleſtiam percipiunt, ſeque tutos minimè eſſe, ſed periculoſum bellum continenter gerere, facilè intelligunt.

At quibus modis?

Modi quibus homines dæmon aggreditur, tametſi ob innumeras eius artes, longamque experientiam, & mentis ſubtilitatem, exponi facilè nequeant, conſtat tamen, quod

quod aliquando per se ipse adoriatur hominem, sicut Euam, & Christum; aliquando administros adhibeat mundum & carnem: Et illos quidem per se malis suggestionibus vexat potissimum, qui relicto Mundo, carnem suam cum vitijs & cõcupiscentijs mortificarunt: Cæteros verò, qui vel magnam habent cum mundo consuetudinem, parumque studij ponunt in reprimenda petulantia carnis, per hæc ipsa solet exagitare.

Et primò quidem more Ducum exercitus, circumiens inuestigat infirmiora loca, per quæ minore negotio possit irrepere; explorat nempe ad quæ vitia magis homo propendeat.

Secundò verò, ea parte obijcit aliquid sensibus, vt passio excitetur, quam ipse pro viribus promouet interno motu: tum magno strepitu adhibitis omnibus machinis impetum facit, vt hominem multitudine hostiũ terreat; hinc Mundus, hoc est, quidquid Mundus habet, insurgit, irrisiones sociorum, indignatio amicorum, exempla praua malorum, improba doctrina Hæreticorum, prosperitas & commoda, aduersitates & pericula. Inde dæmon ipse vitia extenuat, virtutumque nomine in præsenti negotio vestit, superbiam honestatem; auaritiam prouidentiam; gulam, discretionem; iram zelum; inuidiam iustum dolorem; luxuriam

xuriam delectabilem recreationem; acediam curam sanitatis, appellitans, virtutes autem habitu vitiorum repræsentat. Hunc impetum senserunt Iob, Tobias, Antonius & Christus ipse; cuius tamen animam nullus sensus attigit.

Cæterum quia hostis tunc securus pugnat, quando antagonistam armis, quibus se defendat, nudauit; hoc sedulo studet dæmõ, vt arma abijciamus, aut in ijs vtendis impediamur.

Quæ sunt arma aduersus hunc hostem?

Primò, oratio, à qua conatur abducere turpibus cogitationibus, infidelitate, scrupulis, tedio, &c.

Secundò, bona opera, præsertim consuetudo confitendi & communicandi, quibus obijcit impedimenta, vel occupationum, vel aduentus amici, vel prætextu maioris boni, vel alterius rei, vt vel semel intermittantur: sic enim augentur ei vires, depositis à nobis tantisper armis.

Tertiò, conscientia confessario, viro docto, probóque aperta; quam rem ita malè fert dæmon, vt suas suggestiones, & scelesta consilia omnibus modis occultari studeat; ne si prudenti viro detegantur, sola narratione (quod nõ rarò euenit) sordescant narranti, dolique earum & fœditas appareat; vel

sano

sano consilio repellantur, & in posterum caueantur.

Quartò, humilitas, quæ vt internum gratiæ fructum conseruat, ita terrori est atque inuisa superbo dæmoni, qui quærit vt garrulitate, ad Euæ exemplum aliquid effutias & iactes, quo gratia humilitateque spolieris.

Vt ab omni tentatione simus immunes petimus?

Non vult hoc nos petere Dominus, propter multas tentationum vtilitates, quæ sunt primò imbecillitatem nostram agnoscere, in humilitate conseruari, à Deoque auxilium flagitare.

Secundò, Naturam, vires & artes Dæmonis intelligere, ad nostram aliorumque institutionem.

Tertiò, Peccata vitare, quibus subministrantur aduersario arma; sectarique virtutes quibus adimuntur.

Quartò, semper in acie stare paratos ad pugnam, quia aduersarius nunquam dormiens *circumit quærens quem deuoret.* 1. Pet. 5.

Quintò, Post certamen & victoriam coronari, & triumphare; *nemo enim coronabitur,* 1. Tim. 2. *nisi qui legitimè certauerit.* Vult autem Christus nos esse sollicitos, ne in tentationem inducamur, hoc est ne à tentatione absorbeamur & superemur.

An Deus aliquando ducit in tentationem?

Dicitur Deus in tentationem inducere, non quod ad peccatum hortetur, aut quenquam impellat; sed primò quidem, quod nos sua gratia prior ipse à nobis desertus, deserens, vel ad tempus pro nostra instructione, humilitate, maioriq́ue sollicitudine, destituens, patiatur in potestatem venire Diaboli, qui paratus ad deuorandum, exspectat solius Dei ab anima discessum, sicut lupus discessum pastoris, & canis, vt inuadat relictam ouiculam.

Secundò, quia multis beneficijs nos ornat, quibus vitio nostro, ad interitum nostri ipsorum quandoque abutimur, quo modo dixit Poëta, Perdit patrum indulgentia natos.

Expone ergo quid hoc loco petamus?

Primò, Gratiam, ne aliquando consentiamus peccato, sed si tentari nos volet Deus,
1. Cor. 2. faciat etiam cum tentatione prouentum, vt possimus sustinere.

Secundò, Ne occasionem demus, vt me-
Gen. 3. rito à Deo deseramur: vel superbia vt Eua,
Matt. 26 vel præsumptione, vt Petrus, vel alia quauis ratione.

Tertiò, Vt si vitio nostro in peccatum aliquod lapsi fuerimus, ne cor nostrum, instar
Exod. 7. Pharaonis induret; sed statim emolliat atque conuertat, vt resipiscamus.

Quar-

Quartò, Vt beneficia quibus abutere- *Dan. 4.*
mur, à nobis auferat, & cum Nebuchodonosore potius abijciat, & faciem nostram ignominia repleat, quam vt à nobis diuinam suam maiestatem offendi patiatur.

Quintò, Vt vires & impetum Dæmonis frangat, infirmitatesq; nostras sanet, ne inde arma Dæmoni, ad nos prosternendos subministrentur.

Sextò, Vt perseuerantiam largiatur in bono, omnesque peccatorum occasiones remoueat.

Fructum collige.

Discimus hominis vitam militiam esse *Iob. 7.*
super terram, quodq; bonos milites decet in ciuitate ab hostibus cincta, id nobis imitandũ; itaq;. Primo consilia, mentemq; aduersariorum perueſtigemus, quid verbis, factisque intendat exploremus; quia enim angelus satanæ in angelum lucis, nõ rarò se transfigurat, hoc modo intelligemus esse impias dæmonis suggestiones, si per illas à Deo nos *2. Cor. 11.*
alienores fieri cognoscamus, hoc est, si in homine pio, quietem internam perturbent, intellectui tenebras offundant, feruorem deuotionis minuant, ad sancta exercitia orationum, confessionis, communionis, & aliorum huiusmodi minus aptos reddant; & denique si animum ad externa solito magis abducant.

Secundò, Portas istius castri nostri vigilantissimè custodiamus, hoc est, sensus & linguam, ne quid irrepat, quod animam lædat, aut efferatur per inanem sermonem, quod ad munitionem pertineat.

Tertiò, Vt domesticum hostem, qui fœdus cum externis aduersarijs dæmone, & mundo iniuit, ceu notum proditorem, mortificemus, carnem dico cum vitijs & concupiscentijs.

Quartò, Vt in ducem nostrum Christum continenter intueamur, eius auxilium imploremus, magna fide, in eũ speremus, omnia nobis de eius viribus, bonitate & charitate promittamus.

Quintò, Tametsi aduersarius quandoq; magno impetu insultet, varijsque partibus ac modis nos adoriatur; Mundi irrisionibus, aut conuitijs, clamores excitet, inopiam minetur, mala exempla proponat, improbos Doctores submittat, nihilque intentatum relinquat, nihil nos vel terreamur, vel moueamur, sed forti animo in pugna perstemus; & libidinosas quidem tentationes, declinando occasiones, excutiendoque impuras cogitationes superemus: cæteras verò, contrarijs virtutum officijs, superbiam humilitatis, iracundiam mansuetudinis; gulam temperantiæ; in ipsis quoque medijs peccandi occasionibus, luctantes vincamus. Ea

est

est enim conditione satanas, vt semel fortiter prostratus, debilitetur viribus, minusque sequentibus pugnis, quam primo insultu possit.

Sextò, vt dæmonis occultas suggestiones, viro prudenti, atque experto, candidè aperiamus, eiusque consilio vtamur, tametsi vel exiguitas rei, vel fœditas pudorem fortassis inijciat; hostium enim consilia manifestanda sunt illi, qui loco Christi Ducis in hoc bello te dirigit, superiori inquam, confessario, aut viro in hac arte perito & exercitato.

SED LIBERA NOS à malo.

Hæc petitio cur vltimum locum obtinet?

PRimo, Quia videtur complecti summam præcedentium petitionum, quibus rogamus partim quædam mala à nobis propulsari, partim bona concedi; quibus carere malum est ingens.

Secundò, Quia inter mala sunt illa minima: quæ nobis plus molestię exhibent; nempe calamitates & miseriæ, quas etiam Christus vltimo loco collocauit in oratione sua iturus ad passionem: *Rogo vt serues eos à malo.* Ioan. 17. Ob has duas prædictas rationes, populus in Missæ sacrificio, hanc petitionem profert, tum vt approbet quæcunque à Sacerdote in

præcedentibus petitionibus orationis Dominicæ postulata fueruut:tum quia vulgus hominum vehementius, quã optimates,calamitatibus oppressũ, ab illis cupit expediri.

Quæ mala hoc loco deprecamur?

Malum hoc loco non accipitur pro peccato;aut culpa, sed pro pœna ; suntque tria potissimũ mala quibus affligimur ; quæ hoc loco deprecamur. Primò,Dæmon , qui licet natura sit bonus, malus tamen, aut malum dicitur;tum quia primus autor peccati, tum quia inueteratus nihil præter malum cogitat, continenterq; hominibus singulis præsens,omnem quęrit & arripit,ad nocendum malumque inferendum ansam.

Secundò, Concupiscentia,quæ ex peccato originem ducens,ad malum nos inclinat;
Rom.7. de qua Apostolus; *Non habitat in me*, hoc est, *in carne mea bonum:&,malũ adiacet mihi.*Hæcque ferè sola causa est, quamobrem externa illa,alioquin adiaphora molestè, impatienterque tolerentur, & mala nobis efficiantur.

Tertiò, afflictiones quælibet molestæ, siue externæ illæ sint , siue internæ ; quibus omnes conflictamur, nemine prorsus excepto,etiam iusti & sancti, adeò vt res illa non solum offenderit ethnicos , qui ob id negarunt Dei prouidentiam , sed etiam fideles
Iud. 6. quosdam, vt constat de Gedione,Dauide, & alijs

alijs Prophetis: vnde illa Psalmistæ vox: *Mei pene moti sunt pedes.* Hinc intelligimus, quam sit necessaria ista petitio, cum tam vniuersalis sit homini tribulatio, vt nullum sit eius membrum, nullaque potentia, quæ sua afflictione, molestiaque careat, nullaque creatura quæ non miserum hominem vexet. *Psal. 72.*

Hanc à malis omnibus liberationem vt quid à se peti voluit Deus?

Primò, vt nobis pium suum, paternumque animum in nos declararet; qui talis est, vt cupiat nos quietam molestijsque vacuam ducere vitam in hoc mundo, atque tandem ex hac temporali quiete, ad æternam requiem migrare.

Secundò, ne aliunde remedia, quam à Deo, aut secundum Deum quæramus: non à Sagis, aut Dæmonibus; neque à medicis, nisi se placato prius, & inuocato: Dei enim solius est depellere mala, qui solus infligit pœnas omnes, iuxta prophetiam: *Non est malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit*: quod agnoscens Iob, neque dæmoni, neque hostibus quidquam acceptum tulit, sed demisso pacatoque animo dixit: *Dominus dedit Dominus abstulit.* *Amos 3.* *Iob. 1.*

Quare optimus sapientissimusq; Deus suos afflictat?

Vt alteri malo longè pernitiosissimo medeatur. Sicut enim medicinam amaram acci-

accipimus;aut membrum aliquod ſecari patimur, valetudinis reſtituendæ, vel conſeruandæ gratia; ita poſtquam culpa noſtra irrepſit peccatum, quod eſt omnium malorum maximum terribiliſſimumq; (vtpote quod priuat hominem Deo,ſummo bono) immiſſa ſunt mala alia & calamitates,magna Dei prouidentia.

Primò, vt homo ex paruo malo intelligeret, quantum malum ſit ſummum malum, hoc eſt, peccatum.

Secundò, vt malum hoc magnum,paruo malo pellatur,atque in poſterum vitetur;fit enim non raro, vt qui propter peccatum afliguntur,poſtea ad ſeipſos, reuerſi, ardentius viam diuinorum mandatorum currant; ſicut illi, qui ambulantes nonnihil offendunt & ceſpitant,ſolent exilire.

Tertiò, vt priuati hominis afflictio, toti Reipub.corpori proſit, vel exemplo patientiæ,vt in Iob,& Tobia:vel meritis,vt in martyribus.

Quartò, vt augeatur bonis corona gloriæ, quæ tanta eſt, vt mirum ſit non plures immitti moleſtias in hoc mũdo, aut aliquid boni hic concedi ijs qui ad gloriam illam parantur:ſicut è regione, tanta imminent peccatoribus mala atque ſupplicia apud inferos, vt merito nemo illis inuidere debeat, ſum-

ſummam huius vitæ gloriam, & delitias etiam maximas.

Quomodo nos exercet Deus?

Quandoque vtitur creaturis rationis expertibus, vt peſte, fame, grandine, incendijs, ſiccitate, &c. quandoque malitia dæmonũ, vel improborum hominum peccatis; quomodo vſus eſt inuidia fratrum in traditione Ioſephi, & Phariſæorum in morte Chriſti. Nullum tamen peccatum committit Deus, neque ad peccatum cooperatur; licet opus illud ipſe quoque præſtet, quod homini quidem eſt peccatum tum quia vetitum, tum quia malo animo, atq; ad malum finem relatum: Deus autem actionem ipſam, quæ in ſe res bona eſt operatur, eamque ad finem ſanctum ac iuſtum dirigit: ſicut igitur, ſi ad porrigendum inimico venenum, quiſpiam medici operam conduceret; quod venenum cum noſſet, medicus homini illi ad ſanitatem ob occultum ſibique ſoli cognitũ morbum mirè, profuturum, gauderet ſibi datam diu optatam occaſionem hominis iuuandi, is ſuaſor peccaret, ſeque grauiſſimo homicidij ſcelere aſtringeret; medicus autem, non modo nullum peccatum admitteret, ſed optimè de viro illo mereretur: ita Deus peccata noſtra, vel in noſtrum, vel in Eccleſiæ bonum conuertit, malaque à nobis fieri permittit, ad maius bonum; quemadmodum

ligna

ligna noſtra accendimus atq; conſumimus, vt ex eorum combuſtione calor exiſtat, aut cibus paretur, aut aliud quippiam, noſtris vſibus vtile ac neceſſariũ efficiatur. Notandum verò non nominari tribulationes, ſed malum; quamuis enim ex ſe tribulationes omnes malæ ſint atque affligant, ex occaſione tamen ſunt interdum aliquibus bonæ.

LIBERA

Cuius rei admonemur illa dictione LIBERA?

SEntiendum eſſe onus tribulationum, ſi eo liberari atque exonerari velimus, dandam operam, vt non ſimus inſenſibiles, qui neque dæmonum impetus, neque concupiſcentiæ moleſtias, aduertamus.

Quibus modis liberat nos Deus?

Primò, Arcendo ne adueniant.

Secundò, Tollendo ſi adſint; quod tunc perfectiſſimè futurum eſt, quando in cœlo ſumma fœlicitate ſine vllo malo perfruemur.

Tertiò, Conſeruando in periculis, vt Danielem inter leones.

Quartò, Dando patientiam, vt B. Paulo in ſtimulo carnis: & conſolationem, vt martyribus.

Com-

Complectere paucis quæ hoc loco postulamus.

Primò, A Dæmone liberari, ne nobis vel per se, vel per ministros suos molestus esse pergat petimus.

Secundò, Concupiscentiam quę in membris nostris latet, valdeque pios affligit, vel penitus extingui, vel infirmari.

Tertiò, Auerti à nobis atque tolli bella, pestem, famem, aliaque tum publica, tum priuata incommoda, vt sine molestia seruiamus illi.

Quartò, Vt in tribulationibus patientiam conseruemus, consolatione fruamur, gaudeamusque, vel quod pro admissis peccatis satisfaciamus; vel pro nomine IESV cõtumeliam patiamur; vel quod tribulationibus merita augeamus.

Quintò, Vt ab æterna morte, summoque malo nos liberet.

Sextò, Petimus dissolui & esse cum Christo, vt tandem omnibus malis expediti, sempiternis in cœlo bonis & delicijs circumfluamus.

Cur in fine AMEN dicitur?

Vox hæbraica, appellantis, aut affirmantis, concludit orationem. Primò, vt omnia antedicta aliquo feruore Deo rursus commendemus hoc sensu; O vtinam Deus ista præstes.

Secundò, vt si forte vitio nostro, inter orandum

randum minus attenti fuissemus, hic nos colligamus, & petitiones noua attentione confirmemus.

Fructum collige.

Primò, vt peccata miseriarum malorumque omnium segetem ac materiam omni conatu fugiamus.

Secundò, vt afflictionibus benè vtamur, voluntatemque nostram cum Dei intentione coniungamus; itaque neque blasphemias euomamus, neque conuitia iactemus; neque ira, aut impatientia commoueamur, neque pusillanimitate deijciamur, neque vlli praeterquam nobismet ipsis, mala nostra attribuamus, (hæc enim nihil ad leuandam molestiam valent) sed expitatis per Sacramentum pœnitentiæ peccatis vitam benè beateque instituamus; Deo gratias, quantas possumus maximas agamus; quod nos, ad instar chariſſimi sui filij, pati aliquid velit, diuinæque ipsius prouidentiæ totos nos, quanti quanti sumus, gubernandos committamus.

EXPLICATIO SALVTATIONIS ANGELICÆ.

Quis auctor salutationis huius?

NOn aliusquam Spiritus Sanctus, cuius mandato præcipuam partem Angelu

Gabriel è cœlo tulit, alteram B. Elizabeth eodem numine plena fudit, postremam Ecclesia communis omnium nostrum mater, eiusdem Spiritus Sancti instinctu (qui orare nos docet & *pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus*) tanquam coronidem adiecit, ad fructum ex antecedentibus laudibus colligendum. Proinde hæc salutatio & gratissima est Deiparæ, vtpotè quam tunc audiuit, cum parens summi rerum omnium Domini fieret, & magna arte à summo artifice & ordine pulcherrimo facta. Rom. 8.

Quot sunt eius partes?

Quatuor ; Honorifica compellatio, incomparabilis laus virginis, gratiarum actio, ac beneficiorum postulatio. Nam post prima salutationis verba (AVE MARIA) tres eximiæ virginis laudes sequuntur, quarum prima (GRATIA PLENA) quomodo in se ipsa affecta sit significatur, nempe gratia Dei, omnibus virtutum ornamentis, diuina quadam pulchritudine insignis, Deo cœlitibusque omnibus mirificè accepta.

Secunda, (DOMINVS TECVM) quomodo cum Deo se habeat, cuius sit mater, à quo nunquam deseratur, qui in ipsa reluceat.

Tertia, (BENEDICTA TV IN MVLIERIBVS) quomodo erga creaturas ; quarum est Domina, Regina orbis, patrona nostra.

Adiungitur deinde laus Christo & gratiarum actio, (BENEDICTVS FRVCTVS VENTRIS TVI) qui talem matrem delegerit, atque inter se & genus humanum mediatricem, constituerit.

Demùm Ecclesia, vt salutatio in orationem desineret, & virgo mater tanti in se Deo collati propter nos beneficij memor, causam nostram apud Filium charissimum strenuè ageret, his verbis salutationem terminauit; Sancta Maria mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostræ, Amen. Vt & in hac vita nobis continenter adsit, nostraq; studia & actiones gubernet, & animas nostras à morte in fidem suam acceptas, saluas & incolumes in cœlo ponat.

Quid sibi vult honorifica illa compellatio
AVE MARIA?

Aue, gaude, lætare, salue.

Franc. Coster. lib. 5. Instit.

MARIA nomen proprium, quod Dominam significat, & stellã maris, ac si diceremus verè Domina nostra es, ô MARIA humani generis patrona, & stella maris, peccatorum refugium, & consolatrix afflictorum, Gaude quod virtutibus ornata, quod virgo intacta, quod eiusdem personæ vera mater, cuius omnipotens Deus verus est pater. Quod sanctissimæ Trinitati singulariter dilectà, quam Spiritus Sanctus igne charita-

ritatis, suarumque gratiarum vbertate supra humanas vires ita repleuit; vt ad sustinendā vim incredibilem diuinæ in te liberalitatis, necessaria fuerit *obumbratio altissimi*: quam pater ipse cœlestis præsentia sua capacē reddidit Dei, & viribus auxit, quibus contereres caput serpentis. Ex cuius purissimis sanguinibus Deus filius sibi corpus elegit, quamq; vicissim omni sapientia diuina instruxit. Cui tota Trinitas nō sine excellenti munere Dei filium vt matri commēdauit, sub cuius voluntate filium ipsum verum Deum, reuerenter subiectum & obedientem esse voluit. Magna dignitas tua virgo beata; gaude igitur & exultet Spiritus tuus in Deo salutari tuo, meque miserum clientem tuum istius tui gaudij participem facito. Hoc modo salutata virgo pro sua benignitate resalutabit.

Luc. 1.

Gen. 3.

Lucæ. 1.

Qua ratione Angelus Dei, mandato, gratia plenam dixit?

Illud gratia plena, græcis est, gratiosa, hoc est, tota pulchra, tota decora, tota amabilis, in qua nihil sit non gratiosum, non delectabile, non suaue, ne tantillum quidem atque est pilus capitis, quia etiam crinis vnus colli minus decorus vulnerat cor sponsi cœlestis.

Cant. 4.

Itaque primò, nunquam vel minimum habuisti peccatum, siue quod à primis humani generis parentibus propagatum; siue

quod culpa aliqua tua commissum esset etiam leuissimum, & venia facile dignum, nihil vnquam vel opere, vel verbo, vel cogitato inquam admisisti, quod non vsquequaque gratissimum esset Deo.

Secundò, omni affluens & ornata fuisti virtutum genere, ex ipso etiam vtero matris tuæ, in anima, & omnibus mentis tuæ integerrimæ facultatibus.

Tertiò, concepto Deo plenitudinem habuisti diuinitatis in te habitantem corporaliter.

Quartò, enixa Deum, non inanis à diuinitate mansisti, sed pleniſſima Spiritu filii tui, quia nouem mensium hospitium, locuples hospes prolixè persoluit.

Quintò, iam porrò in regno cœlorum repleta gloria, omnem prorsus creaturam pulchritudine vincis.

Cum Dominus sit cum omnibus creaturis, quid mirum quod sit cum MARIA?

Sensus hic est. Dominus omnis creatura tecum, O MARIA, est longe alia & excellentiori atque cum cæteris omnibus ratione, & modo.

Primò, ab æternitate & ante omnium sæculorum memoriam, in matrem te sibi elegit.

Secundò, corpus tibi puriſſimum, atque ad omnem sanctitatem aptissimum (instar arcæ

arcæ fœderis, quæ ex nobili ligno, quodque nec putredine, nec diuturnitate posset corrumpi, intus & foris auro vestita, constabat) ex sanctissimis parentibus aptauit.

Tertiò, ab incunabilis tuis in te dilectam suam, oculos perpetuo conuersos, & intentos habuit.

Quartò, nouem mensibus in vtero tuo virginali commorari voluit.

Quintò, ad annum deinde tricesimum ætatis suæ, à te nõ recedens, quotidianis colloquijs instruxit, officijs suis ministrauit, iucundissimo suæ consuetudinis fructu est cõsolatus, & continuo charismate donauit.

Sextò, mortalis vitæ suæ postremo triennio, quando perambulabat regiones Iudeæ, non te deseruit, qui & moriens dilecto discipulo suo te commendauit. *Ioan. 19.*

Septimò, rediuiuus ab inferis te primam inuisit, & iam in cœlos assumptus, te præter cæteros omnes Christianos abundantiori Spiritus sui copia repleuit.

Octauo, morituræ astitit, animam sanctam dulcissimè inuitans, in amplexus suos euocauit, quam delicijs affluentem, & super dilectum suum innitentem æterno patri obtulit, & iuxta se super omnes creaturas visibiles atque inuisibiles euectam, summa in gloria collocauit: Et quidem cæteræ virgines in cœlis *sequuntur agnum quocunque ierit;* *Cant. 8. Apoc. 14. 1. Thes. 4.*

& nos *semper cum Domino erimus*, in eius pe
petuo intuentes voluntatem : Tibi auten
ſemper adeſt agnus ille tuus filius, nihil alie
num faciens tua voluntate , ſemper erg
nunc tecum eſt Dominus , tuoque ſic ga
det honore, vt qui tibi matri honorem d
fert, ab eo ſibi reputet eundem filius exh
beri: Nam quod mater honoratur ob fili
totus honor redundat in filium. Eia igitu
Domina noſtra, hunc filium tuum , quo
nunquam deſeris mihi quæſo concilia, ei
mihi fauorem impetra, ad eum me ducit
Nobiſq; clientibus tuis *poſt hoc exilium oſte
de*; Hæc enim perpetua tua cum filio indi
ſolubilis coniunctio facit, vt vita ſis noſtr
quæ Chriſtum vitam noſtram geſtas & pra
bes; vt ſis noſtra dulcedo, quæ fructum it
ſuauem ventris tui nobis offers; vt ſis ſpe
noſtra, per quam peccatores conſeruati a
interitu fuimus, & pœnitentes ad Chriſtum
reducti, atque in eius gratia reconciliatio
nem accepti ſumus.

An ſolum inter mulieres benedicta?

Benedicta quidem es, ô virgo , ſupra om
nes creaturas , qua nulla ſanctior , nulla fel
cior , nulla ſublimior. At peculiari ration
benedicta ſupra mulieres.

Primò, quod mater & virgo.

Secundò, quod mater tanti filij.

Tertiò, quod enixa ſine dolore.

Quartò

Quartò, quod assecuta summam dignitatem, quæ in muliebrem sexum conuenire poterat. Duo erant conferenda officia, alterum viro, esse Regem orbis; alterum fœminæ, esse Reginam orbis: illud datum est filio, (*Mihi* inquit, *data est omnis potestas in cœlo & in terra*) Matt. 28. istud tibi concessum est matri, quæ redimita corona stellarum duodecim, pro purpura vestita Sole, Lunam habes sub pedibus tuis, Apoc. 12. vniuersam Ecclesiam hominum atque Angelorum, quia exaltata super choros Angelorum ad cœlestia regna, assumpta es ad æthereum thalamum in quo Rex Regum stellato sedet solio. Merito igitur Regina misericordiæ, Regina nostra verè misericors, ad te clamamus exules filij Euę, meritò ad te suspiramus gementes & flentes, in hac lachrymarum valle; meritò supplicamus, vt per te aditus fiat nobis ad filium, meritò per te rogamus, vt diuina charismata in corda nostra diuinitus infundantur. Tu mediatrix nostra ad filium, illi defers preces nostras, ab ipso refers misericordiam & gratiam. Quod collum inter caput & corpus, hoc tu inter Christum & Ecclesiam. Tu contriuisti caput serpentis, omnes hæreses tu sola interemisti in vniuerso mundo, Tu præbes virtutes contra hostes tuos. Nihil enim Rex cœli, nisi de voluntate genitricis suæ, Reginæ mundi, nobiscum agit: & censetur

setur facere mater, quicquid precibus obtinet, vt fiat à filio: Iacob enim Patriarcha cũ de Sichimis loqueretur, quos non ipse sed
Gen. 48. filij expugnauerant, ita dicebat Iosepho: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrheorum, & in gladio & arcu meo.* Sanè sicut Eua incredula à serpente seducta, omnium errorum mater fuit, ita MARIA, quæ veritatem ipsam mundo peperit, caputque serpentis seductoris contriuit, non immeritò dicitur hæreses omnes interimere & errores fugare.

Vnde benedictio illa in virginem manauit?

Ex inexhausto omnis benedictionis fonte Dei filio. Et BENEDICTVS FRVCTVS VENTRIS TVI IESVS; magna prærogatiua quod mater sis Dei super omnia benedicti, qui de tuo sibi corpore corpus accepit, mater IESV, hoc est, mater saluatoris, mater misericordiæ. Ad te igitur pertinet misereri semper & parcere, ne mater filio suo dissimilis, diuerso pietatis affectu videatur.

Verè, benedictus fructus iste, semperque benedicendus IESVS, qui talem matrem nõ tam sui, quam nostri causa elegit. Erat ipse super omnem creaturam, neque parem habens neque superiorem, factus homo virgunculam humilem, benignam, misericordem, affabilem, sibi præfecit in matrem, cuius tanto efficaciores essent pro nobis apud se ef-

se effusæ ac oblatæ preces, quanto maiori illa in filium DEVM polleret authoritate; neq; reluctari posset voluntati matris, qui parentibus omnem voluit honorem haberi.

Fausta precatione conclude salutationem.

Sancta MARIA mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostrę, Amen. Merito rogare potes, quia vt filia Abrahæ, caro nostra es: vt Domina, curam nostri geris: vt orbis Regina, nihil non potes: vt mater Dei, cuncta impetrabis, filius est quem rogas; pro tuis clientibus rogas: & ea quæ filio tuo accepta sunt rogas: oramus enim mala omnia illa à nobis auerti, bonaq; concedi, ad quæ propulsanda filius DEI in vtero tuo, carne assumpta, factus est homo. Per te igitur quæso omnia bona impetremus, per quam bonorum omnium authorem accepimus.

CAPVT TERTIVM.

DE CHARITATE SEV PRÆCEPTIS.

Estné necesse vt pareamus præceptis diuinis?

Ex Metho. Confes. & Petri de Soto in eam annotationibus. Matt. 19.

OMninò, siquidem Dominus ait: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*: Quoniam in decē præceptis legis Mosaicæ omnis reuerentia diuini cultus relucet.

Quid in præceptis considerandum?

Non tam considerandum est quale aut quantum sit quod iubetur, quam quantus sit ille qui iubet, & quam magna polliceatur mandata eius exequentibus: eam ob rem optimo cuique obseruanda sunt DEI præcepta: à quibus adimplendis si labor deteret, præmium inuitare debet. Omne enim opus fieri solet leue, quum eius precium cogitatur: & spes præmij, solatium est laboris. Considera quęso magnitudinem præmij tui: si tamen considerari potest, quod immensum est.

Quid ita?

Post abscessum animæ, post carnis interitum,

tum, post fauillas & cinerem, in meliorem statum es reparandus, corpus tuum terrenum in cœlum eleuandum est. Si hæc seruaueris, angelorum es donandus consortio, regnum accepturus cœlorum, & in perpetuum cum eo mansurus, qui hæc tibi obseruanda præcepit. Quem igitur laborem durũ putabis cuius tanta sunt præmia? Vt igitur ad vitam ingrediaris, serua mandata: quorũ quidem obedientiam indulgentissimus ille pater tantum à nobis requirit, pro tantis suis in nos beneficijs: sed & illa sub æternæ mortis pœna obseruanda præcepit. Nihil autem DEVS iubet, quod sibi prosit: sed illi cui iubet. Ideo verus est Dominus, qui seruo non indiget, & quo seruus indiget.

PRIMVM PRAECEPTVM.

EGO SVM DOMINVS DEVS tuus. Non habebis Deos alienos corã me: non facies tibi sculptile vt adores illud. *Exod. 20.*

In singulis verbis præceptorum explicandis valdè insignis est Catechis. Rom. quæ consulas.

Quid hoc primo præcepto iubetur?

Præcipitur nobis latria, id est, seruitus, adoratio, honor, & reuerentia soli Deo exhibenda. Quæ fit corde, per fidem, spem, & charitatem in Deum habitam, & corpore, per adorationem, laudem Dei vocalem, sacrifi-

crificium, ieiunium, & alios gestus, cedentes in honorem Dei.

Quænam fide credere tenemur?

Duodecim fidei articulos explicitè, & implicitè omnia quæ sancta Ecclesia credit, & habere interiorem mentis deuotionem in DEVM, & eius sanctos propter eum. Sed quia *fides sine operibus mortua est*, sicut & opera sine fide: & fides viua per opera comprobatur: & quia *probatio dilectionis exhibitio est operis*: idcirco præcipitur nobis, Deum adoremus & veneraremur etiam actu exteriore: quales sunt capitis inclinatio, manuũ complicatio, genuum flexio, pectoris tunsio, laus Dei vocalis, aurium ad laudem Dei arrectio, carnis maceratio, & similes gestus.

Iacob. 2.

Greg. Homil. 30.

Eademné qua Deum benedictum Sanctos ipsos veneratione prosequimur?

Absit: Sanctam enim & indiuiduam Trinitatem, IESVM CHRISTVM, sacrosanctam Eucharistiam vna & eadem adoratione, cultu scilicet creaturæ incommunicabili, venerari iubemur.

Virginem autem MARIAM honore hyperduliæ, excellente scilicet, sed creaturæ debita reuerẽtia: Angelos verò, & maximè angelum nostræ custodiæ designatum, Sanctos & Sanctas honore duliæ, creaturæ scilicet conuenienti, honorare iubemur. Nec enim

sancti

sancti sic à nobis sunt adorandi & honorandi, vt in eis præcipuam spem collocemus, & plus quam in Deo, aut certè æquè atque in DEO. Crucem verò, signum Christi, vestimenta, clauos, lanceam, & cætera Christi tactu sanctificata; imagines Dei, & sanctorum, horum ossa & reliquias, propter eos, quorum sunt, debito honore veneramur.

Quid Spei nomine præcipitur?

Firmiter confidere in Deo, quod ex sua misericordia & gratia, nobis fideliter cooperantibus, æterna beatitudine nos donabit.

Quid denique per charitatem?

Deum super omnia diligere, sic vt nullam creaturam plus quam Deum, aut æquè vt Deum diligamus: propter quam nimirum Dei amorem & gratiam perdere velimus. Immensus enim Deus sine mensura debet amari, præsertim à nobis, quos sic amauit, sic saluauit, pro quibus tot & tanta fecit. Igitur Deus à nobis amari debet ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente. Totum namque hominem exigit, qui totum hominem fecit.

Quanta est vis dilectionis?

Verè in Canticis dicitur: *fortis sicut mors dilectio.* Qui enim diligit nõ abducitur blanditijs, non seducitur fallacijs, non frangitur iniurijs. Dilectio facit vt malimus animam Cant. 8.

nostram

noſtram ſeparari à corpore, quàm à Deo? Hæc omnia grauia & difficilia facit leuia & facilia. Ideo ſancti martyres omnia tormentorum genera, tanquam dulcia, non ſolum patienter, ſed etiam hilariter præ ardentia more ſuſtinebant. Et ſancti patres in deſertis præ huius amoris ingenti ardore, in ieiunio, fletu & planctu ſaporem, delectationem & dulcedinem magnam ſentiebant: vtētes pro alimento herbis & arborum corticibus, ſicco pane, & aqua frigida, terra pro lecto, lapide pro ceruicali, & cilicio pro veſtimento. Qui enim huius amoris guſtu inebriatus fuerit, ad omne opus bonū hilareſcit, dolet & non ſentit, laborat & non laſſatur, deridetur nec aduertit. Conſtans enim & perfectus eſt ille amor, vt (ſi neceſſe ſit) homo pro amore illius moriatur, qui pro eius amore placidè ac benignè mori dignatus eſt.

Qua ratione in fidem peccemus paucis explica.

Primò, per infidelitatem: ſiue ſit hæreſis poſt fidem receptam: ſiue ſit gentium aut Iudæorum infidelitas. Hi enim omnes peccatum infidelitatis peccant poſt auditum Euangelium.

Secundò, per apoſtaſiam à fide, ſeu totius fidei deſertionem, atque profeſſionem alterius religionis. Equidem optimo cuique Chri-

Christiano tanta debet esse constantia, vt prius auferatur vita quam fides.

Tertiò, per magnam socordiam negligentiamué addiscendi, cognoscendi, atque cogitandi ea, quæ fidei sunt: quæ sanè cum valdè est supina atq; notabilis, est nonnunquam graue atque lethale peccatum.

Quartò, per omissionem confessionis fidei: cum id vel ad Dei gloriam, vel ad ædificationem proximorum est necessarium. *Corde* enim (inquit Paulus) *creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Vnde Dominus: *Qui confitebitur me* (ait) *coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo.* *Rom. 10.* *Matth. 10.*

Quintò, Multo verò grauius peccatur contra hoc præceptum, per negationem fidei, aut confessionem oppositi, quod idem est. Quamuis enim oppositum mente teneatur, veraque fides insit cordi: graue tamen atque lethale peccatum hoc est. *Fides*, inquit D. Augustin. *officium à nobis exigit & cordis & linguæ.*

Qua ratione in spem peccatur?

Per duo peccata spei contraria: scilicet aut per desperationem cum quis aut peccatis, aut fragilitate propria deterritus, dicit cum Cain: *Maior est iniquitas mea quam vt veniam merear:* aut per præsumptionem, cum vltra id quod à Deo promissum est, quis sperat: vt veniam in *Gen. 4.*

pec-

peccato perseuerans, aut fœlicitatem sine meritis. Cogitent huiusmodi Deum in minando non minus, quam in promittendo esse veracem.

Peccata contra fidē & spem habes Catechista, ordine in praxi Treuiren. numer. 9.

Hic notandum est; Desperationem peccatis grauissimis longe esse grauiorem: Prima enim salus est, declinare culpam. Secunda, eius non desperare veniam: quam qui desperat, aditum sibi obstruit ad consequendam Dei misericordiam, peccata sua eidem comparando. Quid enim aliud est desperare? Nam qui à Deo non sperat veniam, non animaduertit Dei clementiam plus posse, quam sua peccata; nec summi boni bonitatem maiorem esse, quam suam nequitiam. Itaque ille solus desperet, qui tantum peccare potest, quantum Deus bonus est: quod cum fieri non possit, qui timet de se malo, confidat de Deo meliore. Non enim potuit tanta peccata committere, etiam si ea omnia commisisset, quæ ab origine mundi sunt commissa, quin ea DEVS possit remittere. Eorum enim numerus est finitus, misericordia autem & Dei bonitas est infinita, igitur per eam possunt remitti. Sed & minima gutta sanguinis pretiosi Domini nostri IESV Christi in passione pro nobis effusi, præponderat omnibus peccatis, quæ fuerunt ab origine mundi.

Quot

Quot sunt speciales & soli charitati contrariæ transgressiones?

Quatuor enumerantur quibus in dilectionis præceptum peccatur.

Primùm, per nimium aliarum rerum amorem: cum aliquid vel plusquam Deus, vel quantum Deus amatur à nobis: vt vita, honor, pecunia, filius, vxor. Tenemur enim sic semper viuere, vt Dei amor præponderet, atq; præemineat cunctis alijs, quæ amantur: ita dicente Christo in Euangelio: *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus. Et qui amat filiũ, aut filiam super me, non est me dignus.* Atq; pari ratione posset dicere: qui amat æque vt me: quod alibi dicit: Si quis venit ad me, & non odit patrem, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc & animam suam, non potest esse discipulus. Odit (ait) mei respectu, atque comparatione & quatenus mihi sunt illa contraria. Quod ad temporalia attinet, ita ijs vtendum, ne obsint æternis, vt in via qua veluti peregrini ambulamus, hoc placeat, quod ducit ad patriam: Mundi enim amor & Dei, pariter in vno corde cohabitare nõ possunt: quemadmodum oculi cœlum & terram nequaquam simul respiciunt. Matth. 10. Lucæ. 14.

Secundò, per odium Dei primum maximumq; peccatum, damnatorum proprium, in quod desperantes atque nimium peccatis

Ioan.15. assueti, quandoque deueniunt : iuxta illud Euangelij : *Viderunt & oderunt me, & patrem meum.* Apprehendentes enim Deum vt contrarium, prohibentemq; atque punientem suos prauos affectus, oderunt, detestantur, nollentque esse.

Tertiò, acediam huic proximam, tædium scilicet atque tristitiam, torporemque quo spiritalia fastidiuntur (& quod grauius est) quo diuina ipsa ita displicent, atque amara fiunt, vt tristemur de illis : quod vocant sancti acediam, fastidium, mentis nauseam, atque abominationem : qua præ infirmitate, gustuque deprauatione diuina Deusque ipse incipiunt displicere. Est etiam hoc cum pleno consensu rationis committitur, grauissimum peccatum, & non nisi perditissimorum hominum.

Postremò, contra dilectionem Dei sunt contemptus Dei : atque peccata in Spiritum Sanctum grauissima sanè, atque solum desperantium in malis : iuxta illud Salomonis

Prouer.18. *Impius cum venerit in profundum malorum contemnit.*

Vnde hæc peccata tam enormia nascuntur?

Ex nimia assuetudine peccandi, ex qua fit homini connaturale peccare. Sunt verò hæc

Primùm, cum quis peccat tantum vt faciat contra Dei præcepta : quoniam hoc illi solum est gratum, quia peccatum est. Amat enim

enim animus sic dispositus non subijci: iuxta illud Hieremiæ: *dixisti non seruiam.* *Hier 2.*

Deinde, cum aliquis animum in peccatis obfirmat: ea per quæ à peccatis retrahitur fugiens, quales sunt ij, de quibus loquitur Esaias: *Populus* (inquiens) *ad iracundiam prouocans est, filij mendaces, filij nolentes audire legē: qui dicunt videntibus nolite videre, & aspicientibus nolite aspicere ea, quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores, auferte à me viam, declinate à me semitam, cesset sanctus Israël à facie nostra.* Hi videlicet sunt, qui nolunt ea per quæ à peccatis retrahuntur, audire vel cogitare: sed illis obstinata mente resistunt. *Esaiæ 30.*

Et denique cum animo proponit quis, se à peccato non recessurum: & cum veritatem agnitam impugnat, quippe suis affectibus contrariam: & cum gratiæ Dei inuidet, doletque quod increscat. Quæ omnia directè sunt contra charitatem Dei.

Est né idololatria contra hoc præceptum?

Maximè, quia per eam fides, spes charitas & honor soli Deo debitus, eō, quod Deus non est tribuitur; vt cum creatura aliqua in se, aut in imagine, aut quod stultissimum est, imago ipsa, tanquam diuinitatem habens, colitur, quod his verbis vetuit Deus. Non habebis deos alienos coram me.

vnde fit manifestum sanctorum imagines reliquias Catholicorum ritu colere ab idolatria esse alienissimum.

Quibus modis idolacoluntur?

Tribus: Primo manifestè, manifestis vocationibus, oblationibus & sacrificijs, dis & id genus alij.

Secundò, occulte seu arcano quodam fœdere, vt fit cum quispiam futura, præsertim quæ ex libero hominis arbitrio pendent per artem diuinatoriam, auguria, somnia, sortes vel alia huiusmodi cognoscere velit. Est enim in his omnibus occultatio uocatio dæmonis: atque quodammodo illi attribuitur diuinitas. Hoc enim est soli Deo proprium futura illa, & causam indefinitam habentia, cognoscere. Vnde ait Esaias: *Esaiæ. 41.* *Quæ ventura sunt, annunciate nobis, & dicemus, quia Dij estis.* Quare Dominus de hoc præcepit *Deut. 18.* præceptum specialius: *Non inueniatur in te (inquiens per Moysen) qui ariolos scisciteur, aut obseruet somnia, aut auguria: nec sit maleficus, aut incantator, nec qui Pythones consulat, nec diuinos & quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus:* Et per Hieremiam *à signis cœli (inquit) nolite timere, quæ timent gentes.* *Hier. 10.* Et Apostolus Paulus seueriſſimè admonet nos omnes, Galatas reprehendens, ne illis innitamur. Ait enim: *nunc autem cum cognoueritis Deum, imò cogniti sitis à Deo, quomodo con-* *Gal. 4.*

uerti-

uertimini ad egena, & infirma elementa, quibus denuò seruire vultis: dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos. Timeo vos, ne fortè sine causa laborauerim in vobis.

Tertiò, per obseruationem vsumué aliquorum signorum, siue aliarum rerum ad effectos aliquos: vt ad sanitatem, aut bonum aliud consequendum: aut ad malum vitandum: ad quod non habent virtutem vel naturalem, vel à Deo supra naturam datam: veluti cum carmina dicuntur: aut breuia collo suspensa geruntur: aut obseruationes aliæ vanæ fiunt ab ijs, qui aliquid inde expectant. Sunt enim hæc omnia vana, habentque occultam quandam dæmonis inuocationem: cum fidelis sola oratione atq; spe in Deum, naturalibusque rebus vti debeat: iuxta illud Psalmi: *Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius, nec respexit in vanitates & insanias falsas.* Psal. 39.

Peccatis hisce quantum insit malitiæ, explica.

Sunt hæc tria sæpius lethalia peccata, aliquando tamen in hoc tertio peccato, & in secundo bona fides, aut ignorantia, aut aliquid aliud excusat.

Quid igitur ad morbos pellendos fugandosq; dæmones, sanitatem & alia huiusmodi consequenda rebus benedictis vtimur?

Tho. VValdenſ. de Sacramentalibus. *Vide Ioan. Heſſelium in Decalogum c. 60.* *Franciſc. Coſt. Inſt. lib. 4.* *Matt. 10.* *Luc. 10.* *Ioan 9.* *Mar. 7.* *Ex. 15.* *4. Reg. 2.* *Tob. 11.*

In benedictione herbarũ, ſalis, fructuum cæreorum, cinerum, &c. à Deo petitur, vt ſanitas, liberatio ab infeſtatione dæmonum & ſimilia per iſta præſtentur; nihilque agitur iſtis Eccleſia, quam quod poteſtatem ſuam ſibi à Chriſto conceſſam, exercet. *Dedit inquit* Euangeliſta, *illis poteſtatem Spirituum immundorum, vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem.* Sicut enim Diabolus Chriſtianos infeſtare non deſinit, ita hæc poteſtas Eccleſiæ nunquam penitus deficit: quam non ſolum verbis, ſed & corporalibus rebus, tanquam quibuſdam viſibilibus verbis adhibet Eccleſia hominibus imitata ſponſum ſuum, qui cœcum à nativitate luto & aqua illuminauit: qui ſpuo ſuo & immiſſione digitorum in auriculam ſurdum & mutum curauit: imitata & Moyſen & Heliſæum, quorum ille ligni immiſſione in aquas, eis amaritudinem abſtulit, hic ſale ſteriles aquas ſanauit. Tobiam quoque qui iecore piſcis oculos patri liniens viſum ei reddidit.

Poteſtné quiſpiam peccare verum Deum nimium colendo?

Poteſt, per ſuperſtitionem nimirum, quæ eſt veri cultus exceſſus, quod fit cum falſum aliquid in Dei cultu aſſumitur, vel contrarium Eccleſiæ definitioni & ſenſui: vt ſi quis miracula falſa, aut hæreſin doceat, aut prædicet

vel sine vestibus aut vulgari sermone velit celebrare, aut aliquid aliud, de Dei cultu decretorum in Ecclesia transgredi : vel etiam inhonestas aut vanas cantilenas officio Dei adiungat.

Hæc quidem omnia ex se grauia sunt & lethalia: licet aliquando possit aliquid excusare.

Deinde quoque est in Dei cultu excessus: cum aliquid assumitur, vel ad Dei gloriam, aut ad mentis nostræ in Deum sublcuationem, aut ad moderatam carnis maceration nem non pertinens : vel præter communem consuetudinem Ecclesiæ. Ad quod pertinet cum festa non recepta celebrantur, aut nouæ Missæ siue cæremoniæ inducuntur. Quæ quamuis ex se nõ sint peccata lethalia, maximè tamen sunt vitanda: vt scilicet Deus iuxta antiquum Ecclesiæ ritum colatur. Itaque tres sunt hæ species superstitionis.

Peccata cõtra charitatem ex praxi pete. num. 9.

SECVNDVM PRAECEPTVM.

NON ASSVMES NOMEN DOmini Dei tui in vanum. *Exod. 20.*

Quid secundo Præcepto cauetur?

Ne male iurando, vouendo aut blasphemando nomen diuinum inceſſamus, quin potius summa deuotione ac reuerentia præ-

dicemus, iuremus sanctè, & quæ aut iureiurando aut voto laudabiliter promisimus, fideliter præstemus.

Quid verò est iurare?

Est veritatis dictorum testem Deum invocare, siue expresè eius diuinam maiestatem pronunciando; siue creaturam quampiam, quatenus diuinitatis splendor in ea eluceſcit.

Licetné iurare?

2. Cor. 1. Phil. 1. Apoc 10. Hebr. 6. Gen. 12. Psal. 109.

Quid nî liceret, quando non ipsi Apostoli tantum, sed & Angeli, imò & Deus iurauisse, in scripturis leguntur: Nec illius obscura est ratio, si iuramenti ortum finemque intueamur. Etenim iusiurandum à fide originem ducit, qua homines credunt, totius veritatis esse Deum autorem, qui nec decipi vnquam possit, nec alios decipere, cuius oculis nuda sunt omnia & aperta, qui denique vniuersa admirabili prouidentia moderatur. Hac igitur fide imbuti homines Deum testem adhibent, cui fidem non habere impium & nefarium fuerit. Quod verò ad finem attinet eo tendit iusiurandum, vt hominis iustitiam & innocentiam probet, finemque litibus & controuersijs imponat.

Hinc quantum insit mali periurio collige.

Qui falsum iurat, Deo quantum in se est fidem

fidem derogat, & orbem vniuersum litibus nonquam finiendis confundit.

Quid ergo? vt hanc in Deum fidem nostram exerceamus, nec controuersiæ vlli amplius sit locus crebro iurabimus?

Nequaquam, Sapiens enim dicit: *Iurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa*: Et iterum, *Vir multum iurans replebitur iniquitate nec recedet de domo eius plaga.* Iureiurando enim nobis tanquam medicina vtendum, quam nemo sanæ mentis, nisi necesse sit adhibet, nemo frequentat, nisi sibi perniciem inducere velit. *Eccles. 23.*

Quando licitè iuramus?

Prudens homo medicamentum adhibiturus, primò id curat vt probatum sit ac salutare quod sumit, non autem pestilens aut pernicioſum. Deinde verò non per vim alteri extorquet, aut iniuria aliena sibi comparat, neque cum Dei offensione. *Aug. lib. 1. de serm. Domini in monte. ca. 30. & ca. 15 de mendac.*

Postremò verò, hac est animi prudentia, vt si aliter possit sanitatem consequi à medicamentis abstineat. Sic qui hanc animæ medicinam velit vsurpare, nouerit, quod asserit, verum esse, & neque in Dei neq; in proximi iniuriam cedere, & tale vt iurare sit necesse, quia videlicet alias non creditur, & permagni interest vt credatur. Adsit igitur oportet iuranti veritas certa & explorata, iustitia & iudicium.

Quando hæc ipsa desunt?

Primum quidem deest veritas, cum iuratur scienter falsum: vel quod falsum esse à iurante putatur; aut non cognoscitur certo verum esse. Periurat etiam qui aut iurat, aut vouet non intendens se obligare, aut quod promittit non seruare, aut suo tempore cum debet promissionem iuratam aut votum, non implet.

Quando deest Iustitia?

Quando id quod dicimus cum Dei honore aut proximi vtilitate pugnat, vt fit in detractione, proditione Secreti, occultorum peccatorum reuelatione atque iniquis comminationibus & huiusmodi alijs, in quibus iurare omnino non licet: Sicuti enim falsitatis, ita & iniquitatis Deum testem facere nefarium est. Cæterum si quid mali promiseris, memineris Regulæ Isidori: *In malè promissis rescinde fidem, & in turpi voto muta decretum.*

Quando desideratur iudicium?

Cum in re leui iuramus; aut graui quidem, sed absque necessitate, quia videlicet etiam non iurantibus fides datur, & cum iurantes, Deo, quem testamur re ipsa ac præsenti animo debitam reuerentiam, ad minimum interiorem non exhibemus, Quanta hæc sint peccata & nonnulla alia, vide in praxi.

Num-

Nunquid iurandi consuetudo excusat?

Minime verò: Sicut enim consuetudo nocendi proximo, non attenuat, sed potius aggrauat iniquitatem: ita etiam hæc consuetudo irreuerentiam in diuinam maiestatem. Memorabilis est illa D. Hieronymi & quidem tanto viro digna sententia: Mentiri atque iurare, lingua tua prorsus ignoret, tantusque in te sit veritatis amor, vt quicquid dixeris, iuratum putes.

Vide Praxin de magnitudine huius peccati & intelligentiã locutionũ quarundã vulgariũ. Num. 10. & 11.

Quid blasphemia?

Maximum peccatum ac damnatorũ proprium: cum aut verba de Deo, Sanctisue efferuntur impio affectu, & quasi detestatione quadam: aut cum operibus ipsis, Deo Sanctisue honorem detrahimus: vt in conculcatione imaginis & similibus.

Vide plura in Praxi Num. 11.

Quæ in praxi de eliminanda iurandi, maledicendi, & blasphemandi impia consuetudine proposita sunt, tum sæpè aliâs, tum hoc præsertim loco, magna animi contentione Catechista explicabit.

Praxi. Numer. 38.

Suntnè & alia in Deum irreuerentiæ peccata quæ huc referuntur?

Sunt equidem. Et horum primum est Dei tentatio: cum aliquis à Deo miracula petit, & præter communem viam aliquid habere vult sine vlla necessitate, & Dei instinctu vti qui petit sibi reuelari horam mor-

mortis, vel vitæ tempus, &c. Estque de hoc præceptum legis à Christo Domino in Euangelio adductum. Scribitur enim in lege: *Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis.* Petierant namq; carnes, cum à Deo alerentur manna. Est autem hæc DEI magna irreuerentia, ex se quidem grauis, excusat tamen eã aliquando ignorantia.

Matth. 4. Lucæ. 4. Deut. 6. Num. 11.

Quodnam secundum?

Superbia. Vitium nimirum propriè, quo contra DEVM extollitur homo: cum vel à se, aut suis meritis gloriatur aliquid se habere, illoque vt proprio inflatur: vel cum super ea quæ habet, extollitur: vel cæteros despicit. Hæc enim omnia præ se ferũt magnam DEI irreuerentiam. Vnde scriptum est: DEVS *superbis resistit.* & in Psal. *Superbi iniquè agebant vsquequaq;* id est, valdè, admodum.

Iac. 4. 1. Pet. 5. Psal. 118.

Quidam etiam huc sacrilegium referunt, de quo nos in præcepto tertio.

TERTIVM PRAECEPTVM.

MEMENTO VT DIEM SABbati sanctifices.

Quid tertio mandato præcipitur?

VT tempus ad colendum atque honorandum DEVM, debitamque ei religionem exhibendam designatum, piè ac religiosè impendamus.

Qua

Qua ratione id præstabimus?

Si abstinuerimus ab ijs, quæ festo die per agere non licet, & religionis ac misericordiæ exercitio dediti sedulò ac impensè DEO placere studuerimus.

Quæ sunt festo prohibita opera?

Non seruilia tantum, sed & alia quædam hominem à Dei cultu abstrahentia: vt mercatus, placitum: siue ad aliquid decernendũ congregatio concilij, iudicare aliquem ad pœnam vel mortem, præstare iuramentum, nisi fiat pro pace vel alia necessitate. Itẽ strepitus iudiciarius, nisi forte necessitas vrgeat, vel pietas suadeat.

Actus Religionis, quibus nos in festis præcipuè operam dare conuenit, recense.

Primus horum deuotio atque promptitudo ad se Deo exhibendum ad omnia paratissimum: quæ meditatione beneficiorum Dei, atque bonitatis ipsius, & cogitatione propriorum peccatorum excitatur. Quod significatur illo Psalmo: *Iubilate Deo omnis terra, seruite Domino in lætitia.* Et idem etiam sonat totus ille Psalmus. *Venite exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro.* Psal. 99. Psal. 94.

Secundus est oratio: quam CHRISTVS præcipit: *Oportet* (inquiens) *semper orare & non deficere.* De qua & Paulus: *Volo* (ait) *viros* Luc. 18. 1. Thes. 2.

orare

orare in omni loco, leuãtes puras manus. Per quos duos actus, cordis obsequia & cultus Deo offerimus. Tenemurq; præstare illos propter necessitatem consequendæ salutis: quæ maximè est promissa orationi. Nam *quæcumque* (ait Dominus) *orantes, petitis, credite quia accipietis & euenient vobis.*

Ad hanc verò orationem requiritur deuotio iuxta illud Psal. *Delectare in Domino: & dabit tibi petitiones cordis tui.* Atqui hi quidem sunt actus religionis interiores.

Actus autem religionis exteriores quod sunt?

Etiam duo: quorum prior est adoratio, corporalis in Dei reuerentiam inclinatio. De qua sæpè legitur in sacra scriptura: vt in illo Euangelij: Procidentes adorauerunt Magi Christum. Et in Psal. *Venite adoremus & procidamus ante Deum.*

Matth. 2.
Psal. 94.

Posterior est sacrificij, alicuiusué rei exterioris oblatio, facta Deo in protestationem illius excellentiæ aut beneficiorum, &c. De quo Psaltes: *Afferte* (ait) *Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum.* Quæ quidem nunc in sacrificio altaris maximè fiunt.

Psal. 28.

Est præterea votum oblatio quædam rei promissæ, simpliciterque actus religionis, vt & eius adimpletio, quemadmodum iuramentum est Dei ineffabilis veritatis confessio. Item vocalis laus & cantica, oblatio quę-

dam

dam sunt; De qua Dauid: *Psallite*, (inquit) *Deo nostro psallite.* Et rursum: *Vouete & reddite Domino Deo vestro omnes; qui in circuitu eius affertis munera.* Huc etiam pertinet oblatio primitiarum & aliorum quæ ad sustentationem ministrorum dantur: vt sunt decimæ, quas præstare tenetur quis, vel propter necessitatem ministrorum, vel propter Ecclesiæ statutum, vel propter consuetudinem. Est autem in omissione horum aliquando graue peccatum. *Psal.* 47. *Psal.* 76.

Deinde quoque ex Ecclesiæ statuto, & consuetudine, tenemur iuxta hoc præceptum. Deum Sanctosque reuereri actibus illis, temporibus atque modis, quibus Ecclesia instituit. Contra quod peccatur: cum diebus festis ea quæ præcepta sunt omittuntur: vt auditio Missæ, aut cum ieiunia vigilijs festorum, atq; aliâs indicta, aut ciborum delectus, quem Ecclesia ex Apostolorum Christiq; traditione sanctissimè constituit, aut confessio peccatorum, aut communio in Paschate, aut satisfactio à iudice spiritali in confessione imposita, aut alia id genus negliguntur. In quibus omnibus sunt graues omissiones.

Denique circa ipsa etiam diuina officia, quæ ex præcepto vel audire, vel dici debent, ob mentis diuagationem separatioremque à debita attentione, peccatur tantò magis, quan-

quantò illa fuerit maior, aut magis voluntaria.

Tantumné temporis sacri prophanatio hic prohibetur?

Nonnulli omnia omnino sacrilegia, quibus res quæcunque sacræ Deoque dicatæ violantur, hic prohibita esse intelligunt. Etsi verò horum quædam in alia præcepta relata sint, hic tamen ea doctrinæ gratia simul explicari non erit alienum.

Quid est Sacrilegium?

Irreuerentia illata rebus sacris diuinoque cultui deputatis.

Quæ sunt Sacrilegij species?

Multæ illæ sunt, quarum prima est cum personæ Deo sacratæ contemnuntur, aut irridentur, aut percutiuntur.

Secunda, cum in Ecclesijs ipsis, lociſque sacris, indigna tractãtur; aut fiunt prohibita in eis: vt si quis negotiationes exerceat, immunitatem violet, inhonesta faciat aut loquatur.

Tertia, cum Sacramenta indignè tractantur, aut sumuntur, aut cum ad illicita eis quis vtitur, vt si quis non integrè confiteretur, aut contaminatus peccato reciperet corpus Domini.

Quarta, cum ipsa verba DEI, aut sacra scrip-

scriptura peruertuntur aut corrumpuntur, aut trahuntur ad inhonesta, vel vana.

Quinta, cum irreuerenter tractantur res aliæ sacræ, vt vestes Ecclesiæ, vasa, aut alia ornamenta, sal, aqua, cæreus paschalis, benedicta, &c.

Sexta ponitur etiam inter has species sacrilegij, fractio voti vsusue hominis DEO dicati ad contraria illis, quæ Deo offerens promittit, qualis est inhonestas profitentis cœlibatum, rei alicuius tanquam propriæ vsurpatio religionem professi.

Septima species sacrilegij est, Simonia: cum spiritalia aut eis annexa dantur nō gratis, vt à Christo Domino præceptum est.

Octaua denique est Ecclesiasticæ potestatis vel pœnæ contemptus, aut transgressio præcepti vel excommunicationis. Quod sanè graue sacrilegium est. Verum in his omnibus multa sunt grauia lethaliaque ex se alia verò non adeo, quæ sic percurrisse satis est.

Cur inter omnia præcepta, tertium hoc in Decalogo & exactißimè traditum & in lege ac Prophetis persæpè repetitum?

Quia nimirum fidelium plurimum refert, vt colantur dies festi. In hisce enim ad verbum Dei audiendum conueniunt, quo intelligant quæ sit Dei voluntas, vt ad cor-

dis compunctionem, & peccatorum pœni
tentiam, incitẽtur, vtque offenso Deo con
cilientur: Sacrosanctæ hostiæ offerendæ a
sistant, eamq; aut Sacramento ipso, aut Spi
ritu, participent, vnde vires efficaciamq
hauriunt, & ad benè operandum, & ad spir
tales nequitias, atrocissimosq; salutis hos
repellendos, atque deuincendos.

Deinde quis nescíat homini longè vtilis
simum esse, fidem, spem & charitatem, qu
inter virtutes ac Spiritus Sancti charisma
primas obtinent, exercere? Porrò quis
colit religiosè, mysteria fidei meditatur, s
suam in Deo eiusque larga benedictionem
ponit, non in opere manuum suarum. N
fieri potest, quin pietatis exercitio, ac di
narum rerum meditatione incalescat, atq
ad ardentem Dei amorem prouehatur.

Denique festi sanctificatio signum e
idque admodum augustum, quod temeran
extremæ impietatis fuerit argumentum.

Cuius quæso signum?

Indicat homines se dedicare oporte
Deo, Sanctosque eidem præbere, cum die
etiam propterea ei dicatum videant, (*Vide*
Exod. 31. ait Dominus DEVS,) *vt sabbatha meum o*
Ezec. 20. *stodiatis, quia signum est inter me & vos in ge*
rationibus vestris, vt sciatis quia ego Dominus, q
sanctifico vos.

Deinde signum est, & quasi monumen
tum

tum conditæ huius admirandæ vniuersitatis, quod beneficium, vt primum est ordine, ita perpetua animi gratitudine prosequendum. *Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requieuit in die septimo.* Exod. 20. At postquam venit temporis plenitudo, contulit Deus hominibus beneficium aliud creatione longè præstantius, reparationis videlicet ac redemptionis. Quid enim prodesset, Deum nos creasse, si infectam, & quodammodo deletam imaginem suam, animæ nostræ impressam, ipse non reformasset, & suo sacratissimo sanguine non illustrasset. Ideo cum Christus Redemptor noster, die Dominico à mortuis resurrexerit, Sabbathum, quod olim propter creationis beneficium, vt festiuum celebrabatur, propter beneficium redemptionis, in Dominicam translatum est.

Signum præterea fuit sabbathum Israelitarum memoriæ traditum, quo admonerentur, se Dei auxilio à durissimo Ægyptiacæ seruitutis iugo solutos, ac liberatos esse. In nobis verò impleri debuit, quod apud Ieremiam Dominus locutus est: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicent vltra viuit Dominus, qui eduxit filios Israël de terra Aegypti: sed viuit Dominus, qui eduxit, & adduxit semen domus Israël, de terra Aquilonis, & de cunctis terris ad quas eieceram eos.* Ier. 23.

Est signum item tum spiritualis tum cœlestis sabbathi.

Spiritale sabbathum in quo consistit?

In sancta quadam & mystica quiete, nimirum cum vetus homo, Christo consepultus ad vitam renouatur, atque ijs actionibus, quæ Christianæ pietati conueniunt, studiosè se exercet, vt *qui aliquando tenebræ erant, nunc sint lux in Domino, ambulentq; vt filij lucis in omni bonitate, iustitia & veritate, neq; vnquam communicēt operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguant.*

Ephes. 5.

Cœleste sabbathum quid sit scire velim.

Beatissima illa vita, in qua *Deus absterget omnem lachrymam ab oculis suorum Sanctorum, in qua nec luctus, nec dolor,* sed cum Christo pace fœlicitateque æterna fruemur. *Festinemus* (ait Apostolus,) *in hanc requiem ingredi*, omnia enim bona in visione Dei mens nostra adipiscetur.

Heb. 4.

Quid hinc colligendum?

Eos qui dies festos facilè, & quasi contemptim violant, quia liberos suos, familiam, aliosue quo minus & ipsi religiosè obseruent, impediunt, cum valdè esse impios, tum Reip. Christianæ imprimis perniciosos, quod ipsi, si qui alij ad Christi in terris regnum labefactandum; Satanæ verò introducen-

ducendum amplificandumque ſtrenuè laborent, vt videri poſſint in eā rem, tanquam operæ conductæ eſſe.

Hoc manifeſtè oſtende. Eſt enim dignum admiratione.

Id minimè operoſum fuerit: Etenim ſacri temporis profanatores re ipſa omnibus teſtatum faciunt, aut ſe à DEO ſanctificari minimè credere: aut vt ſanctitate ab eodem ornentur, ſibi haud magnopere curæ eſſe, Conditionis, Redemptionis, Spiritualis ac Cœleſtis quietis, beneficia videlicet Dei lōgè maxima, hoc eſt regnum cœlorum & merita eiuſdem pro nihilo ducere: temporalia hæc quæ etiam non Dei dona, ſed ſuo labore parta arbitrantur, eſſe ſuam portionem. Quibus ad ſummam impietatem, quid addi poſſit non video.

Quomodo ijdem regnum Chriſti euertunt?

Facilè hoc eſt aduertere. Externus enim cultus interioris, qui in duobus primis ac præcipuis mandatis iubetur, eſt veluti fructus quidam, & niſi feriæ piè celebrentur, religio ne quidem ſtare poteſt, quandoquidem populus aliâs ſuum officium vix edoceri poteſt.

An in ſcripturis vſpiam hoc diſertè traditur?

Id ſane. Sic enim Dauid: *Quanta maligna-* Pſal. 73.

tus est inimicus in sancto? Et *gloriati sunt qui oderunt te: in medio solemnitatis tuæ.* Et Paulò post *Incenderunt igni sanctuarium tuũ in terra: polluerunt tabernaculum nominis tui:* hoc est Ecclesiam sanctam Dei. Vide autem qua ratione extremam vastitatem se adducere posse arbitrentur. *Dixerunt in corde suo*: QVIESCERE FACIAMVS OMNES DIES FESTOS DEI DE TERRA. Hi sunt qui contra Deum loquuntur, dicunt: *Vanus est qui seruit Deo.* Nec prius Antiochus se Iudæos à cultu veri Dei abducere posse putauit, quam sabbathi ac solemnitatum religiosam celebrationem interdiceret.

Psal. 73.

Mal. 3.

1. Mac. 1.

Quare in tertio solum præcepto vox illa (memento) præfigitur?

Primò, quia nunquam defuturæ erant occasiones, quamobrem nos huius præcepti capiat obliuio, vel aliorum qui illud negligant exemplo adductos, vel auaritia, spectaculorum ludorumque studio, quibus plerumque ab huius diei sancto religioso cultu abducimur.

Secundò, vt modum rationemque colligamus, qua in tota hebdomada opus nostrum facere conueniat, ita scilicet, vt diem festũ semper spectemus, quo die cum actionum & operum nostrorum, Deo quasi reddenda ratio sit, eiusmodi opera efficiamus quæ neque Dei iudicio repudientur, neque nos

nobis sint in singultum & in scrupulum cordis.

Tertiò, festum meminisse & præuidisse oportet, ne aliquid eorum, quæ alijs hebdomadæ diebus fieri agiue conuenit, in festum reijciamus, atque ita animus à rerum diuinarum cura studioque auocetur.

Quæ in praxi de modo vtiliter audiendi verbum Dei, & missa, deque religiosè celebrandis festis, habentur hoc in loco commodè explicabuntur.

Peccata contra hoc præceptum in eadem praxi require. Num. 12. & 13.

DE PRÆCEPTIS SECVNDÆ TABVLÆ.

Quid sequentia præcepta exigunt?

Vt quam debemus proximo dilectionem, iustitiamque exhibeamus.

Quæ peccata proximum nostrum impetunt?

Doctiores vix intelligunt quæ sint specialia peccata contra præceptum dilectionis proximi, nisi quantenus contra præcepta secundæ tabulæ fiunt. Ne itaque confundantur Catechistæ & auditores, omittenda hæc omnia vsque ad QVARTVM PRÆCEPTVM præsertim, qa specialia quæ hic ponuntur in ipsis præceptis, quantum instituto satis, declarantur.

Multa peccata sunt in vniuersum contra proximi dilectionem: qualia sunt quæ contra præcepta erga proximum fiunt, vt occidere, detrahere, &c. Specialia verò contra hoc præceptum sunt: Primum quidem schisma, cum quis se ab vnitate Ecclesiæ separat aut nolens se tanquam membrum veræ Ecclesiæ & vicario Christi subdi: aut illam volens destruere. Hoc peccatum planè est contra charitatem, qua Ecclesiam Christi tenemur prosequi, maiori certè, quam singularem aliquem Christianum. Possunt etiam in religionibus esse schismata.

Secundò, peccatur contra proximi dilectionem per odium proximi.

Tertiò, etiam per inuidiam. Quorum vtrumque lethale peccatum est, cum pleno consensu rationis committitur: vt cum malum proximo volumus, quia malum est illi, vel de eius bono quia illi est bonum, vel quia nobis efficitur superior, dolemus.

Quartò, quoque peccatur contra præceptum de dilectione proximi, per omissionem subuentionis, atque operum misericordiæ & corporalium & spiritalium, quæ proximis tenemur in articulo necessitatis impendere. Maximè verò tenemur ad præstanda spiritalia contra peccata ipsa quæ maxima certè mala sunt, quęque ad vltimas hominem miserias, perducunt.

Vide Prax. Num. 15.

Horum

Horum primum est, peccatorem corrigere,& quantum in nobis est à peccato abstrahere,iuxta id Euangelij : *Si peccauerit in te frater tuus corripe eum.*

Secundum, ignoscere cum in nos peccat.

Tertium,sustinere cum est grauis.

Quartum , orare etiam pro eo,iuxta id Euangelij : *Benefacite ijs,qui oderunt vos. Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.*

Præterea tenemur quoque contra mala alia animæ , prout possumus & necesse esse videbimus afferre remedia : vt consolari tristem, instruere & docere ignorantem,dubio hærentique consilio assistere. Quæ in septem opera spiritualia misericordiæ, nobis distinxerunt patres.

Deinde verò obligamur ad corporeas etiam necessitates proximorum pellendas quantum est in nobis: de quibus & Christus Dominus in die iudicij singularem se rationem exacturum dicit : quas & sancti ad septem misericordiæ opera reduxerunt , colligentes ex illo Euangelij : *Esuriui & dedistis mihi manducare. Sitiui & dedistis bibere* ; *Hospes eram & collegistis me*: *Nudus & cooperuistis me, infirmus & incarcere & venistis ad me.* Vbi duo connumerarunt sancti patres, captiuorum redemptionem & infirmorum visitationē: quibus & addiderunt mortuorum sepulturam;qua Tobiam Deo placuisse constat. De

Matth.25.

Tob.12.

his ergo curam singularem habere tenemur. Estque eorum omissio peccatum, idque graue cum magna est ipsa omissio, & quidem lethiferũ cum necessitati proximi desumus.

Postremò, contra dilectionem proximi peccatur per scandalum cum quis proximũ ad peccatum trahere ex intentione & proposito vult: vel cum aliquid sic facit, vt inde sequatur proximis peccandi occasio aut peccandi exemplum, atque nihil id curat. Hoc enim est scandalizare fratrem. Ad quod reducitur, cum à bonis operibus quis malitiosè retrahit proximum.

QVATVM PRAECEPTVM.

HONORA PATREM TVVM & matrem tuã, vt sis longæuus super terram, quam Dominus DEVS tuus dabit tibi.

Cur reliqua omnia, præceptum de honorandis parentibus antecedit?

Prima naturæ lex diligere parentes. Val Max. lib. 5. c. 4.

Quia illis præ cæteris proximis plurimum debemus, vtpotè qui secundum Deum nostri sunt principium, & alijs multis nominibus.

Quidnam debemus parentibus?

Honorem, seu vt Philosophi dixerunt, Pieta-

Pietatem, quæ virtus in parentibus patriaq; colenda versatur.

Quasnam partes honor seu pietas complectitur?

Reuerentiam, obedientiam, & subuentionem. Reuerentiam quidem, parentes amando, eis bona præstando, pro eis orando, & sedulo cauendo, ne dicto aut facto eos offendamus, eis assurgendo, & honorem exhibẽdo, primas illis per omnia tribuendo, in colloquijs, in conuiuijs, in confessibus, in humanitatis studio, in disponendo de rebus domesticis, in consultando, ac alijs. Obedientiam autem eis morem gerendo in omnibus, quæ ad bonos mores pertinent, & ad vtilitatem rei familiaris: exemplo Domini nostri IESV CHRISTI, totius virtutis exemplaris, qui MARIÆ matri, & Ioseph propter MARIAM se semper morigerum præstitit. Ad huius imitationem *quicunque timet Dominum, honorat parentes, & quasi Dominis seruiet his qui se genuerunt.* *Eccles. 3.*

Enimuerò honos magnus est parentum habere filios dicto obedientes: Sicut confusio est patris Filius indisciplinatus. *Eccle. 22.*

Subuentionem, eos consolando, & necessaria eis ministrando. Hinc Dominus redarguens quosdam dicebat: *Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* *Matth. 15.*

ſtram? Nam dixit Deus *honora patrem & matrem.* Et, *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicunque dixerit patri vel matri, munus quodcunque eſt ex me, tibi proderit, & non honorificabit patrem ſuum & matrem ſuam: & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram.* Et recte, ſiquidem vt magna eſt afflictio parentum, ita certe nō modica videtur confuſio, derelinqui in egeſtate & anguſtijs, etiam ab ijs, qui quod ſunt, non niſi de ipſorum viſceribus ſunt. Parentum ratione conſanguineis & affinibus, qui ſunt illorum quaſi viſcera, honorem ac pietatem exhibere tenemur.

Quam habet hoc præceptum repromiſſionem?

Præmium promittitur nobis, longitudo vitæ naturalis, ſi nobis prodeſt ad ſalutem, & ad commodum maius. Quia diu benè beateque viuere, Dei eſt magnum beneficium: ſicut è contrario, diu in peccatis viuentes, peius damnantur.

Promittitur & longitudo vitæ gratiæ in præſenti vita, quæ naturali vita maior eſt; & longitudo vitæ gloriæ in futuro ſeculo, quæ eſt maxima.

Quid filijs parentes debeant enarra.

Vt à filijs honor debetur parentibus: ita paren-

parentes filijs præstare debent, vnde coram Deo hunc honorem & mereantur & tueantur. Vnde cum dixisset Apostolus, *honora patrem tuum & matrem tuam (quod est mandatum primum in promissione.)* Subiecit, *Et vos patres nolite prouocare ad iracundiam filios vestros: sed educate illos in disciplina & correptione Domini.* *Hess. in 4. præcept. c. 25. Ephes. 6.*

Primò itaque debent prolibus parentes amorē, ex quo diligenter eos educent: vt videlicet iam inde ab initio conceptionis accuratè foueantur, & custodiantur, vsque ad robustam ætatem.

Secundò, debetur liberis secundum naturalis amoris affectum sustentandæ vitæ prouidentia, siue prouentus. *Debent enim parentes thesaurizare filijs, siue agros aut reditus comparando, siue curando vt opificium addiscant, quo illi vitam honestè transigant.*

Tertiò disciplinam, vt eos erudiant in recta fide & Christianis moribus. *Qui docet filium laudabitur in illo, &c.* At quia plerumque parentes, aut non norunt, aut impediti alijs, non valent filios suos instruere: tales magistros debent procurare filijs, qui Christianam fidem & vitam eos optimè doceant, efficiantque vt lectionem Catechisticam sicubi habeatur, sedulò frequentent. *Syn. Mogunt. can. 45. Eccle 30. Deut. 11.*

In disciplina & regimine filiorum qua prudentia opus est?

Pri-

Primò, fugienda est modis omnibus præpostera cura & admiranda cæcitas, quæ multorum parentum corda occupauit, qui quidem magnos thesauros filijs relinquere, illosque docere, qua ratione diuites & magni in hoc sæculo euadant, admodum sunt solliciti: fidem verò ac religionem, quibus possent in æternum viuere, eis tradere negligunt.

Secundò, vt in disciplina parens modum teneat, nec æquo sit austerior. Austeritate enim imperij fit, vt pueri disciplinam odisse & fugere incipiant, priusquam eius gustauerint vtilitatem. Hinc pusilanimes & desperati redduntur. Vnde mandat Apostolus: *Patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant.* Si quando delinquunt filij vestri, ô parentes, sic obiurgandi, aut si oportet castigandi sunt, vt correctos malitis, quã punitos, & magis à futuris peccatis eos abducatis, quam pro præteritis puniatis. Pessimè enim agunt parentes illi, qui magis ira, quam ratione in filios sæuiunt, & etiam correctis implacabiles sunt, item qui filijs suis maledicunt. Metuendum est, ne sæpè eorum maledictiones exaudiantur à Domino, in magnam eorum & filiorum perniciem.

Ephes 6.
Colos. 3.

Tertiò, quia nimia indulgentia planè corruptos reddit, parenti omnino deuitanda est.

est. Qui enim à puero disciplinæ non fuerunt subiugati, grandiores facti non sustinent eam, siquidem *adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Hinc Sapiens: *Qui parcit virgæ, odit filium suum, qui autem diligit instanter erudit.* Et idem alio in loco: *Noli subtrahere à puero disciplinam: Si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.* Proue. 21. Pro. 13. Pro. 23. Vide Eccles. 30.

Episcopis, Pastoribus, Sacerdotibus, Doctoribus, Prædicatoribus verbi, Principibus, Rectoribus Reipub. tutoribus, & matri nostræ Ecclesiæ Christi quid debemus?

Sunt & illi quodammodo parentes nostri, ideoque tria illa, quæ sub nomine honoris comprehenduntur, eis exhibenda sunt scilicet reuerentiam vnicuiq; in gradu suo, & secundum meritum ministerij quod impendit. Secundo obedientiam, tertio subuentionem in temporalibus. Quod ad obedientiam attinet sic ait Apostolus: *Obedite præpositis vestris, & subiacite eis: ipsi enim peruigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris, vt cum gaudio hoc faciant, non gementes.* De reuerentia & rerum temporalium subministratione. Idem ad Timotheum: *Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrina. Dicit* Heb. 13. 1. Tim. 5.

enim

enim scriptura: Non alligabis os boui trituranti.
1. Cor. 9. Et, *Dignus est mercenarius mercede sua.* Quod insigniter alibi demonstrat, tam ex lege naturæ, quam Mosaica, & Christi ordinatione fieri oportere. De Principibus, hoc est, patriæ patribus. Similia inuenies 1. Pet. 2. & Rom. 13. & passim in scripturis.

Quid si parens, aut alius quispiam quem parentis loco habere debeo, præcipiat quod cum virtute ac honestate pugnet, aut à perfectionis studio auocet?

Hic certe oportet promptum habere in
Actor. 5. corde & in ore illud Apostolorum: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Vnde si ad religionis ingressum vocari te sentis, licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem (ait D. Hieronymus) siccis oculis ad Christi vexillum euola: solum pietatis genus
Luc. 14. est, in hac re esse crudelem. Nam & Dominus sic ait: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem suam, &c. non potest meus esse discipulus.*

Quæ sunt pietati virtutes affines?

Primum obseruantia qua ijs qui in dignitate sunt, cultum honoremque tribuemus.
Rom. 13. De qua re Apostolus: Reddite omnibus debita: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.

Secundò gratitudo, qua beneficis tenemur

mur nos gratos exhibere, affectu, verbo, atque opere, cum opus fuerit. Atque hæ virtutes hoc præcepto includę intelliguntur. Peccant etiam, & quidem grauissimè Matri Ecclesię honorem debitum negantes Schismatici, qui nimirum se ab vnitate Ecclesiæ separant, nec volunt se tanquam membrum veræ Ecclesiæ & vicario Christi subijci. Hoc peccatum absque hæresi diu durare non potest, vt videmus in Gręcis, Rutenis, & Bohemis. Religiosi item qui in peculiari suo ordine, siue Religione ad quam vocati sunt, quemque magis honorare quam peculiarē, quemcunque parem tenentur, schismata excitant, aut fouent ac sectantur.

Peccata habes in Praxi Na. 14.

QVINTVM PRAECEPTVM.

NON OCCIDES.

Exod. 20.

In reliquis præceptis quid agitur?

Prohibentur optimo ordine proximorum læsiones damnaque, opere & verbo, imo & arcano mentis desiderio illatæ: idque secundum ordinem grauitatis ipsorū. Tanti enim te facit, ô homo, qui & creauit te Deus, vt nec mortalium vlli, nec mundo vniuerso concesserit, vt te, non dicam re aut verbo, sed nec signo aut nutu, nec denique desiderio aut animi cogitatione in minimo lædere contristareue liceat.

Quid prohibet quintum præceptum?

Homicidium nominatim vetatur: implicitè autem omne nocumentum, quo animæ aut corpori proximi nocere possumus, vt sunt omnis iniusta percussio, etiam citra mortem & sanguinis effusionem, maleuolentia, odium, ira, aborsus & sterilitatis medicamenta & similia. Odium & inuidia vtrumque letale peccatum est, cum pleno consensu rationis committitur: vt cum malum proximo volumus, quia malum est illi: vel de eius bono quia illi est bonum, vel quia nobis efficitur superior, dolemus.

Licetné aliquando irasci & vindictam exposcere?

Absque causa irasci, aut iniustam vindictam exigere nunquam licet; sed nec iustam quidem iniustè, hoc est prauo animo, vt videlicet malum illi sit, cui sumus offensi, sed zelo iustitiæ in animæ offendentis vtilitatem, aut saltem bonum nostrum. Sed nec signa inimicitiæ ostendere, nec amicitiæ denegare licet, iuxta illud: *Diligite inimicos vestros: benefacite ijs, qui oderunt vos: orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Sunt in hoc genere peccati gradus quidam, quos Dominus ipse apud Euangelistam Matthæum exponit.

Matth. 5.

Licet-

Licetné Magistratui sontes plectere?

Vtique, hoc enim præcepto non omnis occisio vetatur: sed tantum iniusta hominũ occisio, iniustumque hominum nocumentum. Potest itaque Respublica, siue iudex Reipub. vicarius, in sontes animaduertere, & vita aut membro viuo priuare. Pater etiam in liberos: & præceptor in discipulos potestatem quidem habet, sed eam imperfectam: nempe duntaxat infligendi leuiores pœnas, & quæ non inferunt irrecuperabile nocumentum.

Quot modis animaduertendo in alium peccare contingit?

Tribus. Primò, Si in hominem, sontem quidem & supplicio dignum animaduertatur, sed grauius quàm pro delicto: aut minus quam decet: ita vt nocens nõ pertimescat recidere in idem peccatum.

Secundò, Si in hominem sontem quidem iusto supplicio, & seruato iuris ordine animaduertatur: sed non animo iusto & beneuolo, imò appetitu vindictæ, & alieni mali. Vetita est enim omnis passio iræ, maximè in animaduertendo in alterum. Debent enim dolere vicẽ & peccatum eius, in quem animaduertunt: quod in ira fieri non potest: sed ea voluntate alterum corripere debent, qua pater filium paruulum, quem odisse non potest.

Tertiò, Si in hominem sontem quidem & iusto animaduertunt supplicio, non tamen seruato iuris ordine: vt si puniendi legitimam non habeant potestatem: aut si inde cta causa, aut tempore, loco, modo, non debitis puniant.

Quorum est in alios animaduertere?

Castigatio ad solum Prælatum, & potestate præditum pertinet: admonitio verò omnes, quãdo scilicet aliquis mortali peccato detentus, probabiliter creditur admonitione & correctione liberandus. Quia si peccato alioquin resurrecturus creditur, si homo sit conscientiæ suæ scrutator: aut per admonitionem deterior euasurus putatur, ad correctionem fraternam non tenemur.

Quales existimandi, qui bonæ indolis iuuenes ad malum incitant, eorumq; bonos mores corrumpunt?

Dæmonibus verissimè assimulantur, Animarum enim damnationẽ insidijs suis procurant, pro quarum salute Christus sanguinem suum fudit: & membra Christi, membra nituntur efficere diaboli. Bern. Si Christus proprium sanguinem suũ dedit in precium redemptionis animarum, non tibi videtur grauiorem ab eo sustinere persecutionem, qui suggestione maligna, exemplo per-

nitio-

nitioso, scandali occasione, auertit ab eo animas quas redemit, quam à Iudæo, qui sanguinem illum fudit?

Viciſſim maximum ſacrificium Deo eſt zelus animarũ: Maius enim (inquit B. Gregor.) eſt miraculum prædicationis verbo, atque orationis ſolatio peccatorem conuertere, quam mortuum ſuſcitare. In iſto enim reſuſcitatur caro iterum moritura: in illo verò anima in æternum victura. De qua re plura ſupra de præcepto quarto circa finem.

SEXTVM PRAECEPTVM.

NON MOECHABERIS. *Exod. 20.*

Quid habet ſextum præceptum?

NOminatim vetatur adulterium. Implicitè etiam omnis illicitus concubitus extra matrimonium: & omnis illicitus & inordinatus, ſiue etiam innaturalis vſus, vel contactus membrorum, qui fit ad procurationem illicitæ voluptatis, & cauſa experiendæ venereæ delectationis. Vbi contingit aliquando peccata fieri grauiſſima, & à quibus maximè cauẽdum eſt: propter quæ duæ vrbes Sodoma & Gomorrha cum omnibus incolis, & regione circumiacente in abyſſum corruerunt. Vitia propria idololatrarum, quibus, vt Hieronymus inquit, *Græci & Ro-*

mani grauissimè laborauerunt, donec sub Constantino imperatore Christi Euangelio coruscante, & infidelitas vniuersarum gentium, & turpitudo deleta est. Vnde vnusquisque debet circa illa valde aduertere, ne committat aliquid carnale, in quo conscientia eius remordeat, & naturaliter erubescat: aut recta ratio dicta ineſſe turpitudinem, quam non auderet palam facere aut diuulgare.

Quid de osculis, cantionibus lubricis, choreis, & colloquijs inhonestis, tactibus impudicis, visu procaci & id genus alijs?

Hæc impuræ libidinis præludia sunt, eamque vehementer inflammant, ideoque hoc præcepto prohibita esse intelliguntur. Nam *quicunq; viderit mulierem*, ait Dominus, *ad concupiscendam eam, iam mœchatus est in corde suo.* Igitur & qui osculatus est, qui propter lusit, qui choreas simul duxit, qui miscuit pedes: si modo id ipsum fecerit ad concupiscendum eam, hoc est, ad illum finem vt concupiscentiam vel excitet, vel expleat. Vt mittas saxa deorsum non est opus impetu, ipsa suo pondere ruunt. Sensus & cogitatio humani cordis per se in malum prona sunt, præcipuè in opus concupiscentiæ, non minus quam saxa in motum deorsum. Quis igitur addit osculo, lusus aliaque incitamenta lasciuiæ, & dicit: Nolo quod reliquum est, non minus insanit, quam qui oleum igni iniiciat

Matth. 5.

Sonnius in hoc præcepto. cap. 7.

inijcit,& dicit: Nolo vt ardeat. Vnde Apostolus: *Fornicatio autem & omnis immundicia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquiũ, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinẽt: sed magis gratiarum actio.* Et Ecclesiasticus: *Noli circumspicere in vicis ciuitatis, nec oberraueris in plateis illius. Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hac concupiscentia quasi ignis exardescit. Speciẽ mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt. Colloquium enim illius quasi ignis exardescit. Cum aliena muliere ne sedeas, neque accumbas cũ ea super cubitum.* Hinc lamentans quidem aiebat: *Et oculus meus deprædatus est animam meam.* Ephes. 5. Eccles. 9. Thren 3.

In his omnibus magis minusuè peccare contingit. Prudens Confessarius in confessione ipsa iuxta conditionem confitentis, dabit conueniens remedium, & ad cognoscendum & præcauendum hunc contagiosum morbum, de quo extra salutare illud iudicium, admodum parce loquendum.

Quid faciendum hisce inquinamentis suam conscientiam expiare volenti?

Primùm, perspiciat num corde tantum, an verò etiam opere ipso peccauerit.

Secundò, cuius naturæ scelus, si quod commissum fuerit, existat: Sunt enim in hoc peccati genere variæ formæ, natura sua seiunctæ.

Tertiò, numerus peccatorum tam cordis, quàm operum cuiuscunque speciei seu naturæ certus in confessione Sacramentali explicandus, quod si id fieri nequit, tantum indicandus, quantus esse, post diligentem disquisitionem, bona fide à pœnitente iudicatur. Si nec incertus ille iniri possit, tempus quo in fœtido illo luto fixus inhæsit, & frequentia peccati, ac peccandi occasiones, ac delinquentis in vitium pronitas erunt manifestanda.

Qua ratione corde peccatur?

Cordis oblectatione illicita duplici modo omnino delinquimus. Prior est, cũ quidem turpe quid facere nolumus, etiamsi nec occasio, nec timor, aut pudor humanus à facinore retraheret; voluimus tamen volentes ac scientes animo inhonesta, propter eã, quam ex ipsorum meditatione, percipimus voluptatem.

Posterior est, & quidem priore grauior, cum non tantum placet, ex rei turpis consideratione, oborta delectatio, sed in opus perpetrandum, si facultas esset, nec timor, aut pudor humanus, aut simile quid obstaret, voluntas superata consentit. In vtroque horum, peccatum est mortiferum, & eiusdem quidem naturæ seu speciei, cuius est & opus.

Qua

Quas habet luxuria ſpecies?

Lues hæc tam eſt non fœda modo, ſed & contagioſa, vt non niſi magna moderatione & prudentia, coram promiſcua plebe ſit loquendum. Omnibus tamen hoc noſſe conuenit: peccatum, id in ſolutis, fornicationem: in virginibus ſtuprum: in coniugibus adulterium: in conſanguineis vel affinibus, incœſtum: in caſtitatis voto aſtrictis, ſacrilegium dici. Si ad aliquod horum vis accedat, addit nouam malitiam, & facinus ipſum raptus nuncupatur.

Cur non annumeras iſtis concubinatum?

Concubinatus non tam eſt impuritatis ſpecies, quam ſtatus quidam eorum, qui extra matrimonium quaſi matrimonialiter viuentes, conuictu, domo, thoro rerum denique & corporum vſu indiuidui, qui omnia quæ matrimonij ſunt ſibi vſurpant, præter inſtitutum Dei ab initio factum inter maſculum & fœminam, bonum prolis & ſanctiones Sacramenti. Siquidem hæc tria oderunt: reliqua verò, quæ ad libidinem ſpectant, laudant, volunt, amplectuntur, non obſtante iniuria prolis, non Dei & naturæ inſtituto, non poſitiuæ legis prohibitionibus, non ſcandalis, non periculis mortis, nõ ſtatu damnationis in quo ſunt, quamdiu in eadem domo etiam caſtè viuunt, non ſine de-

Concubinarij non minus temerarij quam ſunt frontoſi.

honestatione suarum personarum ac familiarum: quoniam infames habētur, quicunque tales sunt, denique non obstante iactura temporis, ætatis bonorumque operum. Hi enim meritum nullum habent, etiamsi omnem substantiam suam in eleemosynas pauperum distribuerent. Porrò hoc in Clericis scandalum est longè turpissimum, ob quod Innocentius secundus iam olim officio & beneficio Ecclesiastico priuandos statuit. Cum enim ipsi, inquit, templum & vasa Domini ac sacrarum Spiritus Sancti esse debeant & dici, indignum est eos cubilibus & impudicitijs seruire.

Idem infames nihil illis prosunt Eleemosynæ al áque opera alioquin bona.

Dist. 28. c Decernimus.

Estné satis vt concubinarius & concubina ad pœnitentiam recipiantnr absoluanturq́, si à prana consuetudine impuroq́ commercio abstineant?

Scripturæ sacræ non peccata tantum, sed & scandala, quibus offendũtur fratres, prohibent, inter quę, non extremum est concubinatus, qui & incentiuum libidinis includit, & continuationem rei illicitæ. Quocirca ad sui veram pœnitentiam exigit, non tantum omissionem actus carnalis, sed & recessum à tali statu, sic vt abijciatur scortum à conuictu & cohabitatione, omniq́ue familiaritatis consuetudine, nedum à thoro & thalamo. Qui vel concubinas vel concubinarios

binarios ipsos præsumpserit absoluere, cum adhuc in eodem contubernio morantur, sacrilegè agunt, & non minus, forte etiam magis, quam concubinarij ipsi delinquunt. Et hoc non de Ecclesiasticis tantum, sed & Laicis cuiuscunque illi sint conditionis: status, & dignitatis dictum sit.

Nota Confessarie cõcubinariorum & cõcubinarũ.

Vt suos Ministros sancta mater Ecclesia hoc flagitio purgaret quam prudentiam seueritatemq; adhibuit?

Quantis pœnis, fœdam hanc impuramque hominum colluuiem, suis decretis Pontifices, & sacris sanctionibus concilia addicant, reperias passim cum agitur in iure de vita & honestate Clericorum, deque cohabitatione eorundem ac mulierum.

Nouissime sancta Synodus Tridentina prohibet Clericis quibuscunque, ne concubinas aut alias mulieres, de quibus posset haberi suspicio, in domo, vel extra detinere, aut cum eis vllam consuetudinem habere, audeant. Si à superioribus admoniti non abstinuerint, priuant eos facto ipso tertia parte fructuum, obuentionum ac prouentuum beneficiorum suorum quorumcunque: sin verò in eodem delicto cum eadem, vel alia fœmina perseuerantes, secundę monitioni adhuc non paruerint, prouentus omnes eo ipso amittunt, & à beneficij administratione sunt suspendendi, si nec sic eas

Sess. 25. de refor. cap. 14.

expu-

Quæ sit Prælatorũ pœna ad flagitia Clericorum conniuentiũ. De vita et honestate Clericorũ c. vt Clericorum.

expulerint, priuandi sunt perpetuo omnibus officijs & beneficijs Ecclesiasticis, denique si nihil hæc profuerint, excommunicationis gladio sunt plectendi.

De Prælatis qui tales fouent, maximè obtentu pecuniæ, vel alterius commodi temporalis, vt pari vltioni subiaceant, quibus ipsi delinquentes, in generali Concilio sub Innocentio tertio, statutum est.

Quid præterea hic prohibitum intelligitur?

Gula ipsa libidinis, nimirum seminarium & fomes de qua re serio nos Dominus admonet: *Attendite* (inquit) *ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate.* Et Paulus: *Non ambulemus, ait, in comessationibus & ebrietatibus.* Requirit è diuerso vt modestiam in rebus omnibus seruemus.

Lucæ. 21. Rom. 13. De cõmessatione & ebrietate popularia multa & digna quæ explicentur vide Hesselium in hoc præceptum à capite 16. vsque ad finem. Quare exiguum aut nullũ pleriſque vi-

Quid sit gula & quas habeat species, expone.

Gula cibi potusque quædam est immoderatio, cuius quinque enumerari solent species. Etenim aliquis excedit, aut comparans cibos nimis precioſos, aut curioſius paratos quærens: aut vltra modum cibum sumens, aut anticipans tempus, aut ardentius in cibos inhians. Suntque omnia hæc peccata aliquando lethalia: aliquando minora. Ebrietas verò, in qua mens rationis vſu priuatur, ex se peccatum lethale est.

Dese-

Defectus rationis in ebrijs estne peccatum?

Comessationes & ebrietatem inter scelera ea quidem recenset Apostolus, quæ à regno Dei excludunt: Veruntamen destitutio vsus rationis peccatum nõ est, sed potius immoderatio potationis, quæ peccatum est, effectus, & peccantis miseria est rationis euersio. Est autem inter hæc differentia, quod ebrietas vna, quantum in se est totum hominem indis ponit vt in Loth. D. Ambrosius notat, quod non facit excessus vnus in cibo. Vnde vna ebrietas voluntaria est peccatum mortale. Dico voluntaria, quia si subreperet per ignorantiam potus inebriatiui vel non aduertenti homini sobrietatis studioso, peccatum mortale non esset censendum. Potest autem vna comessatio etiam ex proposito parata contingere absque mortifero reatu.

Rom. 13. 1. Cor. 6. Gal. 5.

Lib. de Abraham. c. 6.

Quid de potatoribus sentiendum qui nunquam inebriantur?

Non est cur sibi blandiantur qui consuetudine potandi fortes facti sunt, vt citra ebrietatem multũ vini ferre possint. Hi enim non solum per multam & frequentem potationem, officia sibi incumbentia (ex quibus forte religionis & bonæ politicæ incolumitas pẽdet) negligunt, sed & notabiliter mentem suam grauant, cogentes eam ferre potum immoderatum, vnde & vitam suam abbre-

abbreuiant sui ipsorum homicidæ. Ideoque
Esa.5. Propheta eos damnat. Væ inquit qui potentes estis adbibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.

Ebrietatem quæ mala sequuntur?

1. Comessationes & ebrietates spinæ sunt vel maximè suffocantes semen verbi Dei, neq; enim possunt vacare voluptatis sectatores, vt considerent opera domini; aduersus quos exclamans Isaias: Væ, ait, qui con-
Esa. 5. surgitis mane ad ebrietatem sectandam vsque ad vesperam vt vino æstuetis. Cythara, & Lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuijs vestris: & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis.

2. Ex his innumera oriuntur peccata, præcipue autem libido & inexplebilis auaritia.
Prou.23. 3. Hinc morbi ac miseriæ corporales prope infinitæ cui Væ, inquit sapiens, cuius patri vę? cui rixæ? cui foueæ? cui sine causa vulnera? cui suffossio oculorum? nonne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flaueſcit cum splenduerit in vitro color eius. Ingreditur blandè sed in nouissimo mordebit vt coluber & sicut regulus venena diffundet oculi tui videbunt, & sicut regulus vene-

venena diffundet, & eris sicut dormiens in medio mari & quasi sopitus gubernator amisso clauo. Et dices, verberauerunt me & non dolui; traxerunt me & ego non sensi. Item vigilia & cholera & tortura viro infrunito somnus & sanitas in homine parco. Vinum in iucunditatem creatum est, & non ad ebrietatem ab initio. Exultatio animæ & cordis vinum moderatè potatum. Sanitas est animæ sobrius potus. Vinum multum potatum irritationem & iram & ruinas multas facit. Denique propter crapulam multi obierunt. *Eccles. 31.*

Quos præ alijs maxime dedecet ebrietas & comessatiò?

Duo præcipué mala hæc ipsa inducunt. Corpus ad libidinem inflammant, & rationem impediunt atque obsuscant. Vnde eos quos par est præ reliquis castitati studere, vsuque rationis præualere hæc maxime dedecent vt sunt.

1. Sanctimoniales, viduæ, & omnes qui castitatem vouerunt aut profitentur. Vidua enim in delitijs viuens mortua est. *1. Tim. 5.*

2, Mulieres omnes, cuius sexus præcipuum ornamentum est pudicitiæ. De quibus Timotheo suo præcipit Paulus sobrias esse oportere, & non male Poeta quam-

quamuis gentilis. Turpe iacens mulier multo madefacta Lyeo. Optime sapiens. Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in via ab omnibus prætereuntibus conculcabitur.

3. Omnes quorum est alios regere, aut verbo aut exemplo alios docere, quod nisi temperantes sint præstare nequeunt.

Quinam sunt illi?

In his primi sunt Episcopi, Prælati, Pastores, Sacerdotes, Canonici & prædicatores, in quibus adeo turpis est ebrietas, vt B. Paulus à sacris ordinibus suscipiendis vinolentos arcendos sanxerit. Immo vt in veteri testamento terribili exemplo Dominus Nadab & Abiu filiorum Aaron per ignem egressum docuit internecione quam in suis ministris detestetur temulentiam. Itaque dixit Dominus ad Aaron, Vinú & omne quod inebriare potest, non bibetis: tu & filij tui quando intrabitis in tabernaculum testimonij, ne moriamini, & vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & prophanum, inter pollutum & mundum, docetisque filios Israel omnia legittima mea. *Leu. 10.*

2. His proximi sunt Reges; Duces, Iudices & senatores, væ enim terræ cuius Rex puer est & cuius principes mane comedunt. *Eccl. 10.*

3. Post

3. Post illos sequuntur Patres ac Matres familias, & senes omnes de quibus Tito mã- *Tit. 2.*
dat Apostolus vt senes deceat sobrios esse, anus similiter non multo vino seruientes vt doceant. Hortandi demum iuuenes vt sobrij sint quandoquidem ipsi sua sponte proni sunt ad libidinem.

Quas ob causas aut parua aut nulla peccata vulgo existimantur Ebrietas & comessatio.

Prima causa est vehemens inclinatio & amor huius mali. Bonum enim esse quisque æstimat, quod diligit, etiãsi alij, qui ita affecti non sunt, malum esse aperte videant, patet hoc in eis quæ de re aliqua contendunt. Sæpè enim manifestum est alijs vteriniquam causam foueat, quæ tamen ipsam tuenti iusta videtur. Verissimum namque est quod dici solet, vnumquemq; in sua causa esse cæcum.

Secunda est consuetudo, à qua iam dicta *Ench. c. 8.*
prima causa sumit incrementum. De hac *& 80.*
re S. August. Peccata quamuis magna & horrenda cum in consuetudinem venerint aut parua aut nulla esse creduntur vsq; adeo vt non solum non occultanda, verum etiam prædicanda ac diffamanda videantur, quando sicut scriptum est, laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, qui iniqua agit benedicitur. Hæc iniquitas clamor est, de quo

Esa. 5. Isaias. Exspectaui vt faceret iudicium, fec autem iniquitatem, & non iustitiam sed cl morem. De quo etiã in Genesi. Clamor Se Gen. 18. domorum & Gomorrhæorum multiplic tus est sic & nostris temporibus mala etsi talia in apertam consuetudinem iam ven runt vt prohis non solum aliquem Laicu excommunicare non audeamus sed nec cl ricum degradare. Hæc Augustꝰ. Verbum ho veriſſimum experimur hodie in comes tionibus & ebrietatibus. Vt enim de Eccl siasticis taceamus, plebei postridie quã ebri fuerunt gloriantur, ebriosque se pridiem isse libenter commemorant. Nobiles ver primates & ditiores ineptis & sumptuos comessationibus tumescunt.

Tertia, quæ ex his sequitur, opinio se vel alium inebriare partim esse necessitatis, par tim etiã virtutis. Necessitatis quidem, quia multi etiã ex eis, qui nihil dubitant ebrieta tem malã esse, timent offensuros alios, nisi se & illos inebrient, vel superfluis comessatio nibus tractent. Et dum hominibus carnali bus placere quærunt, Deum offendunt. Vir tutis vero esse putatur, dum luxuriosa ebrio saque conuiuia & comessationes, velut ad amicum spectantia, pro beneficijs habẽtur; imo & religionis, quando his ipsis patronos suos, sanctos, præcipua festa, dedicationis Ecclesiarum, natiuitatum, nuptiarum, & fu nerum solemnia celebrant. Quar-

Quara, quod his vitijs obnoxij sint homines pietatis speciem in aliquibus habentes, quamuis virtutem abnegent, & voluptatum sint magis amatores quam Dei. Hac enim specie pietatis fit, vt ipsemet sibi persuadeant, se nõ multum peccare, vtpote iustos, & alij idem reputent. Quæ ratio haud parum valet in sacerdotibus, Concionatoribus, Doctoribus & Religiosis, contra huiusmodi Propheta sicut ait Dauid putauerunt se habere vasa cantici bibentes vinũ in phialis & vnguento optimo delibuti, & nihil cõpatiebantur super contritione Ioseph. q.d. Quia ore canebant Psalmos Dauidicos, reputauerunt se sanctos sicut Dauid: cũ tamen dediti essent temulantię, & non tangeret eos miseria populi, & nec lugerent super iniquitatibus eius, sicut solet Dauid tabescere zelo legis Dei. 2. Thim. 3.

Quinta causa. Quia multi laborant grauioribus iniquitatibus, vt fornicationibus oppressionibus aliorum, fraudulentijs hinc fit comparatione vt ebrietates & comessationes, aut parua aut nulla esse videantur peccata. Contra quod malum Apostolus clamat opus suum probet vnusquisque, & sic in semetipso tantum gloriam habebit, & non in alio vnusquisque enim onus suum portabit, quod d. Examinet quisque opera sua ad normam legis diuinæ,

deatur ebrietas, vide c. 20. Hessel. Eccle. 28. & non putet se ideo sanctum quia alius p ior est, vel apparet.

Quid est modestia?

Virtus quædam, quæ modum regula que in omnibus statuit. Atque ideo est ter perantia quædam. Nam vt de singulis l quamur, de auditu sapiens ait: *Sæpi aures n spinis, & noli audire linguam detrahentem:* Et lingua: *facito* (inquit) *frenos ori tuo.* Et Iac Iacob. 1. bus: *qui se putat* (ait) *religiosum esse, non refre linguam suam, sed seducens cor suum, huius va* Iob. 31. *est religio.* De oculis autem dicit Iob: *Pe fœdus cum oculis meis, ne cogitarem quidē de v* Psal. 118. *gine.* Et Dauid ita precatur: *Auerte oculos m os, ne videant vanitatem.* Ac denique de cet ris omnibus corporeis gestibus & motib Eccle. 19. scriptum etiam sic est: *amictus corporis, ri dentium, & gressus hominis indicant de eo.* Pecc tur itaque per immoderatum vsum horu

Circa ludum quoque, solatiaque hum næ vitæ aliquando necessaria, esse debet quædam temperantia & modus: excessus Lucæ. 6. in eis iuste prohibetur. Vnde CHRIST Tob. 3. clamat: *Væ vobis, qui ridetis:* & in Tobia S ait: *Nunquam cum ludentibus miscui me, nec cum eis, qui in leuitate sensus ambulant, partic me feci.* Est autem excessus in his peccat maius aut minus pro materiæ varietate.

In vestibus ornatuq; seruanda ne est sua tempe rantia & regula?

Etiam, nam & mulieribus ipsis, quibus natura ornatum ampliorem permisisse videtur, Apostolus modum in ornando ponit, scribens: *Ornantes se cum verecundia & sobrietate, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste preciosa, sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per bona opera.* Quæ quidem multo magis viris dici possunt. *1. Tim. 2.*

Sunt ne & alia huc pertinentia?

Possunt ad hoc præceptum reduci præcepta de fortitudine, virtutibusque illi coniunctis. Item prohibitiones vitiorum oppositorum. Sicut enim temperantia delectabilibus vitæ moderatè vtitur: sic hæc dolores, vulnera, & mortem ipsam sustinet, ac contemnit. Itaque consistit hæc virtus in moderato vitæ, atque incolumitatis amore, vitam tamen ipsam propter melius bonum, Dei scilicet honorem, virtutem, salutem animæ, aut Reipub. defensionem despiciens. De quo est illud præceptum Christi: *Ne terreamini ab ijs, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius, quid faciant. Ostendam autem vobis, quem timeatis. Timete eum: qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Est ergo immoderatus timor hoc præcepto prohibitus. *Fortitudo in quo consistat.* *Lucæ. 12.*

Fortitudini quæ virtus cohæret?

Primò, patientia, qua homo non deijci-

tur tristitia in malis aduersisque, sed fo
Lucæ. 21. stat animo: de qua Dominus: *In patientia* (i
Iac. 5. quit) *vestra, possidebitis animas vestras.* Et Iac
bus: *Patientes,* (ait) *estote fratres.* Prohibet
igitur hic deijciens illa tristitia, de qua Pa
2. Cor. 7. lus: *Sæculi* (inquit) *tristitia mortem operatur.*

Item perseuerantia, longanimitasq; fu
fortitudo quædam: per quas homo, nec di
turnitate laboris, nec longiori dilatione pr
mij deijcitur à virtute: & de quibus Dom
Matth. 10. nus inquit: *Qui perseuerauerit vsq; in finem, sa
uus erit.* Prohibetur itaque leuitas, atque in
constantia: per quas facilè homines retroc
dunt propter occurrentes molestias, aut de
fectum delectationum; contra quos Dom
Lucæ. 9. nus dixit: *Nemo apponens manum ad aratrum
& respiciens retro, aptus est regno Dei.*

Magnanimitas etiam fortitudo quædam
est, qua magna, quando opus est aggredi
mur: nec retrahimur difficultatibus: cui op
ponuntur: tum pusillanimitas, quæ præ de
iectione animi non audet aggredi ea, qua
debet: tum præsumptio, quæ ea, quæ sunt su
pra vires aggreditur.

Est autem omissio actus fortitudinis, &
extremorum eius commissio pec-
catum nonnunquam et-
iam graue.

SEP

SEPTIMVM PRÆCEPTVM.

NON FVRTVM FACIES. *Exod. 20.*

Quid septimum complectitur?

NE vi, fraude, aut quomodocunq; præter ius fasque rem alienam, aut alienæ rei vsum, Domino inuito vsurpemus vetat, aut quouis modo in temporalibus damnum adferamus.

Hoc primum fit per furtum, & per rapinam: cum vel clam, vel aperte, & vi alienum capimus.

Secundò, per iniustam quamcunq; commutationem: vt cum pluris venditur, vel minoris emitur res, quam valeat: aut cum fraus alia ab emptore vel venditore committitur in occultandis vitijs venditæ rei: aut alio id genus modo.

Tertiò, per iniustitiam in mutuo dando. Est enim ea vsura aperta, vel palliata. Quod prohibet Christus Dominus: *Mutuũ* (inquiens) *date nihil inde sperantes.* *Lucæ. 6.*

Quartò, per peccata iniquitatis iudicij, quod est circa bona, siue commodum aliquod, aut incommodum: siue illa iniquitas sit ex parte litigantium, siue patronorum, siue testium, siue iudicis. Hi enim omnes si quid lędunt fraudibus, aut quouis alio modo, peccant, tenenturque resarcire incommodum.

Quintò, per peccata iniquæ distributionis dignitatum bonorumque Reip. cum respicitur in distributione persona: nec consideratio habetur meritorum: vt cum indigni dantur, vel minus digno. Quod etiã & peccatum est, & ad restitutionem obligat eo modo, quo fieri potest.

Sextò, per Dominorum immoderatas exactiones, omniumque iudicum & officialium militumque extorsiones vltra propria stipendia: quod & prohibebat Ioannes Luc. 3. *Estote* (inquiens) *contenti stipendijs vestris.* Et rursum: *Neminem concutiatis.*

Septimò, per eorundem negligentias, atque incurias: Ex quibus damna detrimentaque eueniunt, vel Reipubl. vel subditis vel litigantibus: sicut ex dilatione sententiæ, &c. Quæ omnia etiam ad restitutionem obligant.

Octauo, per subditorum in Dominos fraudem, aut subtractionem debitarum iustarumq; exactionum, contra illud Pauli Rom. 13. *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.*

Nono, potest ad hoc præceptum reduci 1. Tim. 6. auaritiæ prohibitio: quæ est immoderatus pecuniæ amor: quam Paulus *simulachrorum seruitutem* dicit, *radicemque omnium malorum.* Estq; sine dubio lethale peccatũ: cum amor pecuniæ eo hominem rapit, vt contra præ-

cepta

cepta Dei agat, vel in ipsa vltimum finem ponat.

Decimo, prodigalitas, vicium omninò auaritiæ oppositum, qua immoderate quis sua dissipat. Quod fieri vix potest sine eorũ damno quorum cura cuique incumbit. Est certè id peccatum graue, cum grauis fit iactura. In hoc genere pernicioſius peccatur, quam æstimari diciue possit ab ingredientibus religionem, qui & si deinceps de patrimonio Christi victuri sint, non tamen quæ habent Christo largiuntur, in pauperes aliosue vsus erogando, quod religionis Monasticæ fundamentum est sed ad augẽdas consanguineorum, aut aliorum copiosorum hominum opes perditè profundunt. Hi nõ solum B. Francisci iudicio (quamuis id per magni sit faciendum) sed etiam B. Augustini indigni sunt, qui in cœtum religiosorum admittantur. Equidem B. Basilius disertè sacrilegij reos dicit, tam eos qui sua infideliter dispensant, quam qui ingredientium bona aut occupant, aut quouis modo impediunt, quo minus, secundum Euangelium impendant. In qua re non hi tantũ sed & Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, & Gregorius alijque patres mirè consentiunt. De his & de fatuitate seu potius dementia eorũ etiam Laicorum, qui cum opibus præstent, dum moriuntur. Christo iudici suo, vel exi-

guum aliquid comparatione ſuarum poſſeſſionum, vel nihil in teſtamẽto conſcribunt, ſed filijs aut alijs hæredibus relinquunt omnia, de his inquam, tam doctè quam fusè Saluianus bonus & peruetuſtus auctor in nobili illa ſua Epiſtola, ſeu potius opere, quam Timothæi titulo ad vniuerſam Eccleſiam ſcripſit. Qui noſſe deſiderat, Quid de illa ſentiant reliqui patres, legat dictam Epiſtolam, quæ cum reliquorum Patrum teſtimonijs prodijt. Legat etiam Ioannem Molanum de teſtamentis pijs.

Eſt ne magnum delictum iniquitas?

An neſcitis, (ait Apoſtolus) *quia iniqui regnũ Dei non poſſidebunt?* Et S. Auguſt. *Si in ignem mittitur, qui non dedit rem propriam, quò putas mittendus erit qui inuaſit alienam? Si cum diabolo ardet, qui nudum non veſtiuit, vbi putas arſurus eſt qui expoliauit? Quid recipiet qui aliena tulit, ſi ſemper ardebit, qui ſua non dedit?*

Peccata cõtra præceptũ hoc recenſentur in Praxi nũ. 19. & ſequentibus aliquot.

Fœneratorem verò ſic idem Auguſt. alloquitur; *O homo, quid fœneraris homini? fœnerare Deo vſuras, ſcilicet ei in pauperibus ſuis ſubueniendo & centuplum accipies, & vitam æternam poſſidebis. Idcirco nimis es ingratus, qui ad tales vſuras non vis commodare Deo, ad quales mutuares vel Iudæo.*

De vſura, optime Catechiſta, in ipſam Praxim ea retulimus, quæ communem plebeculam ſcire oportere iudicauimus.

De Simonia etiam nonnulla. Tu inde petita diligēter & dilucide enuclees; est enim per necessarium præsertim hoc tempore.

De restitutione agere vtilissimum esset, de qua eos consules, qui conscientiæ casus ex professo pertractant.

OCTAVVM PRAECEPTVM.

NON LOQVERIS CONTRA proximum tuum falsum testimonium. *Exod. 20.*

Quid hoc præcepto vetatur?

NOminatim omne mendacium pernicioſum: siue dum vocaris ad testimonium ferendum, in iudicio siue extra iudicium in vulgari, & communi locutione: Implicite etiam omnia peccata ad locutionem pertinentia: quibus saltem infertur nocumētum proximo: vt sunt detractiones, calumniæ, irrisiones, & huiusmodi.

Estne mendacium omne fugiendum?

Ita Apostolus iubet & suadet ratio. Porrò inter mendacia, quæ pernitiosa dici solent, præcipuè detestanda sunt.

Quænam sunt alia?

Horum tres species numerari solent. Prima eorum qui mentiuntur, vt animæ proximi nocumentum adferant: veluti qui volunta-

luntate fallendi, asserunt aliquid falsum, cõtrarium fidei Catholicæ, aut sacræ scripturæ, aut bonis & Christianis moribus. Et hæc est prima species mendacij pernicioſi.

Secunda, qui mentiuntur volentes tantummodo alteri iniuste nocere, in corpore, in rebus, in fama, & sic mendacium nulli prodest, & alteri nocet. Et hæc est secunda species.

Tertia, qui mentiuntur volentes proximo in bonis suis damnum inferre, sed sibi aut alteri prodesse: vt faciunt mercatores, & calumniatores. Et hæc est tertia species. Quę tres species mendacij pernicioſi mortales sunt, quia os *quod mentitur occidit animam.*

Iocoſum aut etiam officioſum quod vocant mendacium proferre licet?

Summopere cauendum est omne mendacium. Quamuis enim nonnunquam sit aliquod mendacij genus culpæ leuioris, vt si quis pro omnium mentiatur salute: tamẽ difficilia & laborioſa sunt figmenta mendacij: qui autem verum vult dicere, non laborat. Quietiores enim sunt boni quam mali, & absolutiora sunt verba veracium quam figmenta mendacium. Gregorius: *Nihil est ad defendendam puritate tutius, nihil ad dicendũ veritate faciliùs: Nam dum mendax falsitatem ſuam tueri cogitur, duro cor labore fatigatur.* Idẽ:

Qui

Qui amici esse veritatis potuerunt sine labore, vt peccent laborant: cumque viuere simpliciter renuunt, laboribus exigunt, vt moriantur.

Qui dicuntur Simulatores?

Qui factis, scriptis, nutibus, signis, & alijs actibus exterioribus simulant id esse quod non est, vt solent hypocritæ. Per simulationem enim homo mentitur facto, sicut per mendacium mentitur verbo. Ambrosius: *Cauete fratres mendacium: quia omnes qui amãt: mendacium, filij sunt diaboli: non solum in falsis verbis, sed etiam in simulatis operibus mendacium est.*

Simulatio sicut mendacium non est de se mortale, nisi ex fine, vel aliunde adiungeretur alia transgressio.

Quid est calumniari?

Primò, in proximum suum vel falso vel iniustè crimen intendere. Non enim illi tantum calumniantur, qui innocenti crimen impingunt, verum etiam illi, qui veri criminis occulti tamen, absque necessitate, ac rationabili causa palam quempiam accusant, aut reuelant non seruato iuris ordine. *Calumnia.*

Quo equidem peccato peccari potest ex parte iudicis, ex parte accusatoris, ex parte rei, ex parte causidici, ex parte cognitoris ipsius causæ.

Secundò, his annumerandi qui bona alterius

terius opera & benefacta conantur ostẽdere mala, aut ficte facta, vt eũ hypocritam ostendant, aut aliorum ipsi conflent inuidiam.

Tertiò, item qui in iudicio interrogati iuridicè, cum dolo malo respondent, aut cum rei sint, verum fateri nolunt, in casu in quo tenentur fateri veritatem. Quando verò teneantur, ex conscientiæ casibus Catechista petet.

Qui peccant detractione?

Detractio. Primò, qui absentis famam denigrant, voluntate famam lædendi: siue fiat dicendo verum, siue falsum, siue asserendo, siue referendo, siue adddendo, siue minuendo, siue interpretando, siue alio quouis modo, & tales tenentur ad restitutionem famæ, si illa detractio importat infamiam. Auferunt enim homini famam, *quæ melius bonum est, quam diuitiæ multæ.* Vnde Hieronymus contra detractores: *Si vis me corrigere, delinquentẽ aperte increpa, tantum ne occulte mordeas. Quid enim mihi prodest, si alijs mala mea referas? si me nescientẽ, peccatis meis, imò detractionibus tuis alium vulneres, & certatim omnibus narres: si singulis loquaris, quasi nulli alteri dixeris? hoc enim non est emendare me, sed vitio tuo satis facere.*

2. Qui ex loquacitate & non animo, alterius famam lædendi aliena peccata commemorant.

Tertiò, qui ex voluptate quam in audienda

dienda proximi infamia percipiunt, delatoribus aures arrigunt. Bernardus: *Porro detrahere, an detrahentem audire, quid horum damnabiliùs sit non facile dixerim.* Hieronymus: *Si hilari vultu audias detrahentem, tu illi das fomitem detrahendi: si verò tristi vultu hunc audias discst nõ libenter dicere, quod didicerit non libenter audiri.*

Quartò, qui non defendunt famam proximi iniustè diffamati, quando possunt & debent, & propterea læsa est proximi fama: homini enim Christiano parum esse debet, inimicitias aliorum non excitare, vel augere male loquendo, nisi etiam eas extinguere studeat bene loquendo.

Quantum in hisce inest peccati?

Quatuor quæ sub detractione hic ponuntur, duo scilicet ex parte detrahentis, & duo ex parte audientis, sic distinguẽda sunt: vt primum ex se mortale & contra charitatem iudicemus: nisi res tam parua esset, vt pro nihilo duceretur.

Secundum verò, cum scilicet intentio detrahendi deest, iudicetur effectu sequenti. Tenetur enim, cum non intendit lædere, cauere ne lædat.

Audire autem libenter detractiones, aut non defendere famam eius, cui detrahitur, cum in detrahente percipitur iniquitas, & iniustitia in proximum, nec is qui audit, vtili aliqua & iusta causa aures præbet, de se simi-

similiter, sunt proculdubio contra charitatem: maximè verò in Prælatis & Superioribus, quorum est hæc prohibere.

Qui sibi ipsis detrahunt, & seipsos diffamant metu & quęstionibus compulsi, quantum peccent, & an ad restitutionem teneantur, quæstio est difficilis, de qua Doctores variè sentiunt.

DE DERISIONE, CONVITIO, contumelia & improperio.

Qui conuicio, irrisione, improperio & contumelia proximum offendunt?

Qui verbis aut cachinnis aut naso corrugato, alias irrident, aut gestus & corporis habitus figmento illudunt: quod peccatum tanto est grauiùs, quanto maior debetur, reuerentia ijs qui deridentur.

Qui beneficium quod in alterum contulerunt tempore indigentiæ, eidem coram multis exprobrant, in dispendium honoris eius.

Qui animo inferendi iniuriam, aliquid criminosum, aut animæ corporisque vitium exprobrant.

Qui etiam sine animo inferendi iniuriam ea dicunt, si proximo ea iniuria damno est.

Hæc ex intentione lædendi honorem, grauia sunt: nisi circa minima essent: animo verò

verò corrigendi in his qui autoritatem habent sunt etiam licita: semper tamen, etiam cum adest bonus animus, cauendum est ne damnum quod non intenditur, sequatur, multo magis, cum ex leuitate animi hæc dicuntur. Si non cauit, cum ratio doceret esse cauendum imputatur.

Derisio est etiam mortalis, cum confusio intenditur proximi, & mentis quędam amaritudo: quæ non parua damna sunt, sed verè contra charitatem: & tanto periculosiora, quanto nonnunquam minus curantur. Et nonnũquam minimo verbo aut signo, grauis proximo confusio illata est.

Susurro quis dicitur?

Qui verbo vel factis disseminat inter fratres vel amicos discordias, tanto contumelioso & derisore nequior, quanto amicitia maius bonum est, fama ac honore. Hinc Ecclesiast. *Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbauit pacem habentes,* Et Salomon inter septem sceleratos, hunc pessimum esse pronunciat. Quantum verò bonum sit amicum habere fidelem, Sapiens luculenter explicat, dum ait: *Amicus fidelis protectio fortis, qui autem inuenit illum, inuenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis. Et qui metuunt Dominum inuenient illum.*

Susurratio

Eccle. 28. Pro. 6.

Eccle. 6.

Numquis vera ac bona narrando ſuſurro aut bilinguis eſſe poterit?

Ita ſanè: non enim refert an ſuſurro narret aliqua bona, quæ tamen amicis diſpliceant, an mala: an verum dicat, an falſum.

Ad quid obligantur diſcordiæ ſatores?

Tenentur quã diſſoluerunt, iterum colligare amicitiam. Quod ſi id non poſſint, recõpenſationem vtriq; debent in alijs. Quocirca illud ſapientis ſibi quilibet dictum exiſtimet. *Ne appelleris ſuſurro in vita tua, & lingua ne capiaris, & confundaris: Super furem enim eſt confuſio & pœnitentia, & denotatio peſſima ſuper bilinguem: Suſurratori autem odium & inimicitia, & contumelia.* Eccle. 5.

Iudicio temerario aliquos peccantes propone.

Qui aliorum dicta aut facta, ſine cauſa ſufficienti in peiorem partem accipiunt, & interpretantur. Bernardus: *Caue alienæ conuerſationis eſſe aut curioſus explorator, aut temerarius iudex. Etiamſi perperam actum quid deprehenderis, ne ſic quidem iudices proximum, magis autem excuſa. Excuſa intentionem ſi opus non potes: puta ignorantiam, puta ſurreptionem, puta caſum. Quod ſi omnem omninò diſſimulationem rei certitudo recuſat, ſuade nihilominus ipſe tibi, & dicito apud temetipſum: vehemens fuit nimis tentatio. Quid de me illa feciſſet, ſi accepiſſet in me ſimiliter poteſtatem.*

Qui ſine ſufficienti certitudine iudicant pro-

proximum de animo seu voluntate. Nemo enim debet definitiuè asserere, etiam in corde suo, quod nescit, quando sufficientibus coniecturis res non liquet. Vnde qui conscientiæ suæ negligens est perscrutator, alienæ solet esse curiosus explorator. De occultis etiam cordis alieni temerè iudicare, peccatum est. Etenim cuius non videntur nisi bona opera, iniquum est ex suspicione reprehendere, cum eorum quæ homini soli, qui ea admisit, sunt cognita, solus Deus iudex sit, qui iustus est & inspector verus.

Iudicium temerarium, siquidem de mortalibus fuerit, pleno atque integro consensu, contra charitatem, & mortale à Christo manifestè dicitur: Quo (inquit) iudicio iudicaueritis, iudicabimini, &c. Leues tamen motus, aut inuoluntarios circa hæc, patet non esse mortales. Sed opus est multo iudicio circa hæc, maximè in conscientijs timoratis.

Adulatione qui peccant?

Qui laudant aliquem de opere quod est peccatum mortale, quod peccatum est valdè grare. Hinc enim mentes hominum facilè corrumpuntur, & ad ea quæ laudantur (quamuis criminosa) accenduntur, & assuescunt, adeo vt non solum mala non desinant haberi, vt turpia, sed etiam habeantur

vt bona, & laude honore ac præmio digni quo quid peius?

Qui laudant aliquem adulando vt noce ant eius corpori vel animæ.

Qui laudando alterum ei fiunt occasi peccati mortalis: vtpote vanæ glorię, iactan tiæ, &c. Hieronymus: *Adulatores vt inimico caue, quorum sermones super oleum molles, & ips sunt iacula: corrumpunt fictis laudibus leues an mas, & malè credulis mentibus, blandum vulnu infligunt.* Duo priora adulationis genera ma nifestè mortalia sunt. Tertium autem si qui dem fiat animo in peccatum trahendi, au taliter, vt merito timeri possit inde in mor tale trahendum qui laudatur, similiter mor tale, est, non aliàs.

Quis peccat omissione in hoc præceptum?

Prax. Nu mer. 24. Qui pro loco & tempore veritati testi esse recusat, cum nimirum vrget charitas aut necessitas vel proximi vel Reipub. præser tim per publicam auctoritatẽ ad testifican dum requisitus, peccatum mortale commit tit, etiam si propter ipsius testimonium quis piam vita sit priuandus.

NONVM PRAECEPTVM.

Quid prohibet nonum Præceptum?

SExto præcepto vetitum est opus carnale & voluntas ex qua exteriùs oritur libidi nis

nis opus. At ne quis putaret plenum & perfectum desiderium rei venereę non esse peccatum, nisi in actionem exteriorē prorumpat: id circo hoc præcepto nominatim vetatur alienæ vxoris concupiscentia: implicitè etiam omnia illicita desideria carnalia. Multi enim corpore casti sunt, qui voluntate adulterium commiserunt: & voluntas sine opere peccat frequenter: quando videlicet aliunde interuenit aliquod impedimentum impediens, quo minus voluntas in actionem exteriorem prorumpat. De quibus mentis cogitatibus lex humana nō iudicat, sed tantum de ijs quæ exterius apparent, factis scilicet & dictis. Lex autem diuina etiam de intimis cordis nostri cogitatibus. Nam *oculis Dei omnia nuda & aperta sunt*: apud quem omnis plena & perfecta voluntas, siue bona, siue mala, pro facto existimatur. Augustinus: *Voluntas prona faciendi, reputatur pro opere facti.*

DECIMVM PRAECEPTVM.

Quid decimum præceptum vetat?

SEptimo præcepto vetita est, actio furandi, & damnum proximo & bonis suis inferendi nec nō voluntas, ex qua oritur actus exterior iniustè sibi vsurpandi rem proximi sui. At ne quis existimaret solam concupis-

centiam interiorem, sine exteriore actione Peccatum non esse: Idcirco hoc præcepto nominatim vetatur interior illa voluntatis concupiscentia deliberata furandi, & alienæ rem sibi quouis iure quaque iniuria vendicandi, si esset oportunitas & facultas, aut nisi obstaret timor & verecundia. Implicitè etiã vetatur insatiabilis illa iniustè, vel vijs illicitis, habendi cupiditas, tanquam os inferni omnia deuorans, curis sæcularibus mentem iugiter inquietans, & à Spiritualibus auocãs, & directè charitati proximi contraria.

In hæc duo tantum peccatorum genera consensus in vitio est?

Non solum in his duobus, sed in omnibus etiam alijs generibus peccatorum certissimum est, esse quoque peccata ipsos voluntatis consensus in opera peccatorum perpetranda. Nam ita Dominus ait: *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Posita verò sunt hæc præcepta tantum de his duobus, & quia proniores sumus ad concupiscendum: & vt per illa cætera quoque intelliguntur.

Gradus peccatorum esse video quos mihi quæso explices.

Sunt sane illi Christiano, salutis suæ studioso, non solum diligenter cognoscendi, verum etiam, quantum fieri poterit vitandi.

Consi-

Consideremus ergo in omni peccato exterioris operis, duos esse gradus. Quorum primus est operis ipsius perpetratio: vt, homicidium, furtum, aut quoduis aliud: in quo est completio peccati.

Secundus verò est huic propinquissimus, consensus ipse in opus, etiamsi peccatum in opus non erumpat. Est autem hic gradus prior altero in ipsa exequutione.

Sunt duo alij his inferiores in omnibus peccatis, qui ad hæc præcepta reduci possunt.

Horum primus prædictis duobus propinquior est, consensus nempe rationis in cogitationem peccati, atque in solam delectationem cogitationis. Quod patres vocarunt cogitationem morosam. Si quis enim, etiamsi nolit mœchari, tamen velit cogitare inhonesta, atque ipsa cogitatione delectari, peccauit, & mœchatus est in corde suo. Nam hæc prohibet Dominus: *Auferte* (dicens) *malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Deus enim, qui corda intuetur, hæc detestatur. *Esa. 1.* Vnde scriptum est: *Peruersæ cogitationes separant à Deo.* Estq; hoc etiam letale peccatum: cum quis plena deliberatione, atque consideratione hæc facit. *Sap. 1.*

Secundus verò est hoc remotior à primis duobus, motus scilicet quidam appetitus nostri, in illicita ante considerationem

rationis: quem proculdubio non est in potestate nostra prohibere omninò, ne insurgat: sed possumus tamen post considerationem, aut ex toto extinguere, aut certè reprimere, ne ad consensum vsque trahamur. Propter hos motus clamat Paulus: *Ego autem carnalis sum venundatus sub peccato.* Et rursum: *Non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum illud facio.* Quare hæc sunt venialia, atque minora peccata: quæ sancti se confitentur habere pro quibus orant: *Dimitte nobis debita nostra.* Hos ergo quatuor gradus omnis fidelis intelligat, vltimis his præceptis esse significatos.

Rom. 7.

Sunt verò inter hos aliqui alij gradus: vt cum quis dubius est, an consenserit in delectatione cogitationis, an non: aut cum nescit an plene considerauit, an non. Quæ humili animo sunt in confessione detegenda: atque quo ad fieri possit de his instruendus fidelis.

Hisce duobus præceptis nihil prohibetur, quod prioribus non sit vetitum?

Distinctè explicatéque vetantur nonnulla nono & decimo præcepto, quæ sexto & septimo explicate non prohibebantur. Nam exempli causa septimum præceptum prohibuit, ne quis iniuste concupiscat aliena, aut eripere conetur. Verba sunt Catechismi Romani quæ habent difficultatem. Quomodo enim

vetor concupiſcere, quod iure legeque iuſta aſſequi poſſum, licet hoc proximo incõmodet, Qui enim vtitur iure ſuo nemini facit iniuriam, vnum malim ſic recognoſcere.

Hoc autem vetat ne quis vllo modo concupiſcat accedere cauſam, occaſionem aut titulum ob quem iure lege aſſequi id poſſet, ex cuius adeptione proximo damnum importari videat v. g. non licet medico optare multos fieri infirmos vt multũ medicando lucrum faciat. Optare proximi ſui mortem, vt eius vxorem ducas, annonæ accidere penuriã, vt frumenta tua recondita magno vendas. *Vide Catechiſmum Rom. ad Parochos.*

Si hoc placet cenſoribus ita ponam ſin minus, vel ipſi quid ſcribendum ſit decernant, vel quod poſitum eſt retinebo. *Prax. numer. 25.*

Vtrumque extremorum Decalogi præceptorum, ex peccatis ipſis, quæ in Praxi propter ſummam affinitatem ſimul ponuntur, pleniùs intelliges.

DE PRIMO MAXIMOQVE DILECTIONIS MANDATO.

AD CATECHISTAM
Præfatio.

NOuatores ex falso primi dilectionis præcepti intellectu, se suosque horrendis tenebris inuoluerunt. Cum enim illud in hac vita obseruatu impossibile esse a suo Magistro audiuissent, ac proinde iustum in omni opere bono peccare; & nihilominùs peccati stipendium esse mortem, (in qua qui non diligit, manet) ex clarissimis scripturis cognoscerent; omninò sibi desperandum viderunt, nisi sibiipsis ea effingerent, quæ fidei, religionis, & pietatis omnis fundamenta conuellerent. Nam pro fide Catholica per charitatem salutem operante, monstrosam suam, & in Ecclesia Dei ante hac nunquam auditam, ideoque ab illis ipsis haud immerito, specialem dictam, introducunt; hoc est inanem quandam cum scriptura, ratione, & secum pugnantem fiduciam, seu potiùs præsumptionem: cui equidem arbitror diuina prouidentia à suis inuentioribus id nominis inditum, ne quis fallatur, & Catholicam seu vniuersalem esse putet. *In hoc apparuit filius Dei, vt dissol-*

Fides specialis præsumptio infernalis.

1. Ioan. 3. Ephes. 1. Colos. 1.

uat

nat opera diaboli, & iusti efficiamur, ac immaculati in conspectu Dei, idque opera & efficacitate sanguinis agni immaculati, in quo abluimur; quod cum verum esse nequeat, si implere DEI præceptum non possumus, sed insuper in omni opere, & natura sua, & omnibus circumstantijs bono peccamus, omnem iustitiæ veritatem nobis ademerunt, & non solùm vitam sanctorum, sed vnumquodque eorum opus panno menstruatæ compararũt. Quid verò ne desperemus substituunt? Pro vera, nobisque Dei munere inhærente iustitia, imputatiuam. Videlicet agnus ille Dei, non tollit, quod Ioannes ait, sed tegit peccatum: & sanguis Christi *qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo*, non emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti, sed in sua immunditie vsque sordescẽtem, sua puritate, ne pater videat obtexit: nec verum est, quod Romanã eandemque Catholicam Ecclesiam docuit Paulus: *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obeditionem iusti constituentur multi*, vicitque sapientiam Christi Adæ malitia, & delictum dono longè maius est. Verè enim & non apparenter peccatores constituti sumus, propriaq; iniquitate inquinati per inobedientiam vnius hominis, iusti autem

Ioan 1.
Heb. 9.
Rom. 5.

verè

verè per Christum nec sumus, nec esse possumus, iuxta admirabilem hominum istorũ sapientiam. Manifestè enim dicit S. Ioannes;
1. Ioan. 3. *Qui facit iustitiam, iustus est.* Qui autem in omni suo opere etiam quantumuis bono peccat, non potest facere iustitiam, nisi fortè idem sit peccatum & iustitia, hoc est, Deiopus & Diaboli. Ex his principijs tam egregijs id euidenter efficitur, omnem merendi rationem operibus misericordiæ, pietatis, ac religionis detrahendam. Quod si Apostolo reuelatum fuisset, nequaquã Hebræos hortando sic allocutus esset: *Beneficentia & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostijs*
Hebræ. 13. *promeretur Deus.* Neque idem illud: *Nolite amit-*
Nahum. 1. *tere confidentiam vestram quæ magnam habet re-*
Hebr. 10. *munerationem.* Nec alius Apostolus in sua Epistola (quam stramineam dixerunt, qui cõsumentur, quasi stipula ariditate plena) dixIacob. 1. isset: *Qui perspexerit in lege perfectæ libertatis,* seu (vt alij legunt) *in legem perfectam, & permanserit in ea non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.* Debebat enim nouisse, neminem posse permanere in lege perfectæ libertatis, seu in lege perfecta, nec opus eius facere, & facta nostra non nisi peccata esse, tantum abesse, vt quispiam in facto suo beatus futurus sit. Sed nec sapiens dixis-
Eccles. 16. set: *omnis misericordia faciet locum vnicuique se-*
Matth. 6. *cundum meritum operum suorum.* Non dixisset
Matth. 5. Chri-

Christus ieiunantibus ac orantibus à patre Cœlesti reddendam mercedẽ, nec iniuriam patiẽtibus copiosam in cœlo esse repositam. Hoccine est religionem euertere, iustitiam tollere, & Christum ipsum proscribere? Sed ita decuit homines impios, qui gratiam Dei nostri in luxuriam transtulerũt, quiq; olim in hoc iudicium præscripti sunt, viam Dei & quæcunque sancta ignorant, blaspemare.

Cæterum tuæ diligentiæ ac pietatis esse putes, studiose Catechista, ad impietatem radicitus euellendam, ac solidam pietatem in teneris pectoribus plantandam, ad veram intelligentiam mandati peruenire, in quo pendent lex & Prophetæ, eamque quanta fieri poterit perspicuitate animis auditorum infigere. Huc enim spectant, quæ paulò longius hic præfati sumus. Nitemur nos quidẽ præceptum ipsum pro more Catechisticò quæstiunculis dilucidare. Si quæ tamen tibi explicandi magis perspicua ratio occurrerit, vtêre. Cum auditores maioris doctrinæ non sunt capaces, Catechista saltem ex infra positis ea exponet, quibus asteriscos præfiximus.

PRI-

PRIMI ET MAXIMI IN LEGE mandati expositio.

Matth. 22. DILIGES DOMINVM TVVM ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.

Hoc maximum mandatum dilectionis, quæ est plenitudo legis, potest ne in hac vita à quoquam seruari?

Ex Iansen. Concord. Euangel. cap. 81.

QVi suum Euangelium, pugnans cum Dei Euangelio, nostro sæculo, primus in orbem inuexit, seruatu impossibile docuit sicut & illud: Non concupisces: & ne sine ratione insanire videretur, fieri non potest, inquit, quin in hac vita homo amet alia præter Deum, quem proinde non potest diligere ex toto corde. Rursum quia non potest fieri vt homo diligat Deum concupiscentia & affectu carnis, vt quæ semper voluntati diuinæ contranitatur, non potest ergo ex omnibus viribus animæ Deum diligere.

Vide præfationem ad Catechistam huic præcepto præfixam.

Tu verò quid de hac doctrina censes?

Dogma hoc non doctrina sed blasphemia atrox vocari debet, totam Christianam religionem nudo capite, vt dicitur, impetens. Vnde B. Hieronymus & suo, & omnium Christianorũ nomine, ad Damasũ scribens sic ait: *Execramur eorum blasphemiam, qui dicunt*

dicunt aliquod impoßibile homini præceptum eſſe, & mandata eius non poſſe à ſingulis ſeruari.

Quare vocas blaſphemiam?

Primò, quia cum ſcripturis manifeſtè pugnat dicente S. Ioanne: *Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt.* Et rurſum: *Hæc eſt charitas Dei, vt mandata eius cuſtodiamus: & mandata eius grauia non ſunt.* Quod dilectus diſcipulus ex ore magiſtri ſui Domini IESV didicit, qui dixit: *Qui habet mandata mea, & ſeruat ea: ille eſt qui diligit me.* Vnde & alibi dulciſſimus Dominus laborantes & oneratos ad ſe alliciēs: *Venite ad me,* (inquit) *omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiā vos. Tollite iugum meū ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugū enim meū ſuaue eſt, & onus meū leue.*

1. Ioan. 2.

Ioan. 14.

Matth. 11.

Secundò, repugnat hæc intelligentia ipſis mandati verbis. Requiritur enim hoc tantum, vt Deum diligamus ex tota fortitudine, vt Deut. 6. legimus, hoc eſt, ex tota virtute, vt eſt apud Marcum, ſeu omnibus viribus noſtris, vt apud S. Lucam reperimus: quantum videlicet poſſumus & humana fert fragilitas.

Tertiò, de Ioſia apertè dicitur, quod reuerſus ſit *ad Dominum in omni corde ſuo & in tota anima ſua, & in vniuerſa virtute ſua, iuxta omnē legem Moyſi.* Et de Dauide: *Nō fuiſti ſicut ſeruus*

4. Reg 32

3. Reg. 14.

uus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo. Et de eodem adhuc
Eccl. 47. manifestius: *De omni corde suo laudauit Dominum, & dilexit Deum, qui fecit illum*, videlicet de omni corde suo, alioquin non esset laus hæc illi singularis.

Quartò, tollit redditque prorsus inanem Domini nostri incarnationẽ ac totum verbi
Rom. 8. œconomiam, Apostolo dicente: *Lex Spiritus vitæ in* CHRISTO IESV, *liberauit me à lege peccati & mortis. Nam quod impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnem: Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis.* Et Gabriel Da-
Daniel. 9. nieli indicauit, Christo veniente *consummandam præuaricationem, delendam iniquitatem, &*
Gal. 2. *adducendam iustitiam sempiternam. Quod si quærentes iustificari in Christo, inuenti sumus & ipsi peccatores*, quod omninò fieri necesse est, si legem implere non possumus, sed in omni opere etiam bono peccamus, *nunquid Christus peccati minister est? Absit.*

Commonstrasti euidenter dogma illud IESVM *soluere. Quid verò ad SS. Patres Augustinum & Bernardum dicemus, ex quibus Heliam suum Aquilonarem doctrinam illam hausisse prætendunt nouatores?*

Tam

Tam illi longè à vera intelligentia SS. Patrum Auguſt. & Bernardi abſunt, quam à vera religione ſinceraq; pietate vacui, quod ex ipſa mandati interpretatione fit manifeſtiſſimum.

Illam itaq; nobis ediſſere.

Ante omnia, quid per illud (*DILIGES*) præcipiatur ſcire neceſſarium fuerit: deinde, quonam modo illa totalitas toties repetita accipienda: ad extremum, num inter ſe differant, cor, anima, mens, virtus, vires, fortitudo, & quo diſcrimine.

Placet. Expone primum illud DILIGES.

Duobus id modis accipi poteſt: vno quidem vt eo præcipiatur ſpecialiter actus & operatio atque affectio voluntatis, quæ dilectio dicitur, qua homo affectu & actu fertur in Deum, tanquam rem ſummè bonam: alio modo, vt non tantum actualis & interna illa affectio voluntatis eo verbo præcipiatur, ſed & dilectio, quæ habitualis dicitur, & eſt in homine etiam cum de Deo non cogitat, nec in illum actu affectione fertur, cuius ratione etiam omnia hominis opera, quæ ex illa profluunt, pertinent ad mandatum dilectionis. Si priori modo intelligas mandatū eſt ſpeciale, ſi poſteriori, generale compræhendens omnia quæ Deo ſunt placita.

Sub obscura, vt hebeti sum ingenio, hæc mihi videntur.

Det tibi Deus intellectum, meque in explicanda hac re vtilissima, commodum sibi dignetur facere instrumentum. Cum Deus animam hominis sibi despondet, monilia
Gen. 24. ipsi non minus, quam Rebeccæ Isaac, varia & insignia largitur, quibus non solum ipsa supra quam dici potest, exornatur, sed & idonea fit, ad afficienda regia opera, & hostes Dei debellandos. In his primas obtinet Charitas, cuius exercitium propriaque operatio dilectio est. Post hanc Fides, Spes, Iustitia, Temperantia, & cæteræ tum virtutes, tum Spiritus Sancti charismata sequuntur, quæ singula suas etiam operationes habent. Cæterũ quia hæc ipsa eatenus nos Deo cõmendant, quatenus regina virtutum charitate iubente exeruntur, qui ea exercet, Deum diligere dicitur: Diligit itaque propriè, vt priori modo accipitur, qui proprium charitatis actum exercet: Diligit largo modo iuxta posteriorem acceptionem, qui charitate impulsus, opus quodcunque bonum facit.

Intellexi, laus Deo, perge frange & explica illud totum.

Totalitas illa accipi potest, vt significetur omnem vim animi intendendam ad dilectionem Dei, ita vt homo præter Deum nihil

nihil diligat,& tantum diligat, quantum ab eo est diligibilis. Accipi etiam potest vulgari modo, quo dicimus aliquem totum esse in studijs,& toto corde studijs addictum esse, quia videlicet præcipua eius occupatio & cogitatio est in studijs.

Quid inde?

Si totalitas primo modo accipiatur, siue verbo *DILIGES*, intelligatur præcipi specialiter actualis voluntatis affectio, siue habitualis, & generaliter etiam omnis externæ dilectionis per opera demonstratio, certum est hoc præceptum in hac vita impleri non posse. Fieri enim non potest, vt homo affectuali dilectione, sic toto corde in Deum feratur, vt nihil aliud vel actu, aut habitu amet, aut tam perfectè eum complectatur, quam amari ab eo potest, quod propter annexam concupiscentiam carnis, aliquid affectionis habeat cor ad ea quæ sunt carnis & non Dei. Nec opera illa externa sic toto corde ab homine fieri possunt, vt omnis vis cordis in ea intendat, cum ex parte aliqua cor per carnis concupiscentiam vitiatum, in contraria, nempe carnalia, saltem habitu feratur.

Si verò totalitas accipiatur secundo modo, non est dubium, quin impleri possit hoc præceptum, siue accipiatur, vt sit speciale, siue vt sit generale.

* *Quid ergo est dilectione actuali interna Deum ex toto corde diligere?*

Est in ipsum vt in summum bonum pi affectu, ac propensa voluntate ita ferri, v præponat eum vniuersis rebus commutabi libus, ac pro supremo vitæ suæ fine eligere, & malle quibuslibet potius quam Deo care re, ac demum summopere desiderare, vt vni uersæ torius vitæ suæ actiones illi sint pleniſ simè subiectæ, etiamsi non ignoret, id pe carnis imbecillitatē nequaquam futurum.

* *Quo modo impletur hoc præceptum, si vt generale mandatum intelligi debet?*

Si ita intelligamus, vt non tam exigat actualem illam affectionem, quam habitua lem dilectionem cum operum bonorum exhibitione, quæ sunt internæ dilectionis testimonia, tunc diligitur Deus ex toto cor de, cum quis ex intima & syncera erga De um affectione occupatur potissimum in his quæ Dei sunt, præ omnibus illi placere stu dens, ac sollicitus vt non quædam Dei man data perficiat, sed cuncta, idque non segni ter, nec tristi animo, sed grauiter & hilariter dolens ex animo, si quid vel ab alijs, vel à se per carnis infirmitatem admittatur contra rium diuinæ voluntati. Id vt non ab omni bus æquè perfectè præstatur, ita non omnes qui Deum diligunt ex toto corde, æquè per fectè diligunt, sed vnus alio magis.

Scio

Scire velim an præceptum hoc ſecundum mentem legislationis & verum ſcripturæ intellectum ſit ſpeciale, an potius generale?

Quidam ſpeciale eſſe arbitrantur affirmatiuum, quod quidem obliget ſemper, ſed non pro ſemper, vt loquuntur. Proinde diſputant quo tempore obliget, quo opus ſit hunc voluntatis affectum elicere, & per eũ dicto modo ferri in Deum: quod profecto vt eſt ſummè vtile & meritorium, ita difficillimum ei, qui nondum renunciauit carnalibus affectibus. Sed quia Dominus in hoc & ſecundo dilectionis præcepto vniuerſam legem & Prophetas, hoc eſt, omnia alia mandata comprehendi dicit, manifeſtũ fit, non vt generale mandatum eſſe accipiendum. Et vt S. Bernardus ait, vbicunque in ſcripturis dilectio exigitur, non tam exigitur dilectio affectus, quam charitatis opus. Cum enim Dominus dixiſſet: *Diligite inimicos veſtros*; mox velut indicare volens, quomodo ſint diligendi, infert de operibus: *Benefacite his qui oderunt vos.* Et de ſui loquens dilectione: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.* Et B. Ioannes: *Non diligamus verbo neque lingua, ſed opere & veritate*, ſignificans eam veram eſſe dilectionẽ, quæ in operibus conſiſtit atque eam exigi præceptis dilectionis. Hinc cum Dominus de Dauide teſtatus

Serm. 50. ſup. cant.

Matth. 5.

Ioan. 14.

esset ipsum impleuisse præceptum dilectionis, sequendo ipsum in toto corde suo, qua ratione id præstiterit, explicat dicendo: Custodiuit mandata mea, faciens quod placitum esset in conspectu meo.

3. Reg. 14

Quando impletur præceptum hoc in habitu seu externa operatione?

Cum homo in omni operatione sua retinet habitualem dilectionem, quod tum fit, cum nihil vult aut facit dilectioni Dei contrarium.

Quomodo distinguuntur in præcepto hæc, cor, anima, intellectus, vires, fortitudo?

Pro horum explicatione & distinctione varia nimis à varijs dicuntur. Hebræi pro eo quod in Deuter. legimus ex tota fortitudine tua, ex tota substantia, ex diuitijs tuis cótendunt esse vertendum, sicque exponunt, vt primum præcipiatur diligi Deus ex toto corde, quia cor est, quod opus bonum vel malum faciat. Deinde ex tota anima, vt etiam si causa requirat, non trepides pro eo exponere animam, id est, corporalem vitam. Postremò ex tota substantia tua, vt scilicet potiùs omnium rerum tuarum dispendium incurrere velis, quam ab amore Dei deflectere. B. Thomas per cor, quod primo loco ponitur, voluntatem intelligit: per reliqua autem tria, tria actuum principia, quæ monentur

Deut. 6.

uentur à voluntate: intellectum scilicet, qui per mentem significatur: appetitum inferiorem, qui per animam: vim executiuam exteriorem, quæ per virtutem seu fortitudinem aut vires: vt præcipiatur nobis diligendus Deus sic, vt tota nostra intentio in Deum feratur, quod est, ex toto corde: & intellectus noster subdatur DEO, quod est, ex tota mente: & appetitus noster reguletur secundum Deum, quod est, ex tota anima: & exterior noster actus obediat Deo, quod est, ex tota fortitudine.

Chrysost. super Matthæum accipit contrario modo quam dictum est, cor & animã. Aug. lib. 1. de doctrina Christiana, refert cor ad cogitationes, animam ad vitam, mentem & intellectum.

Quidam dicunt ex toto corde, id est, intellectu: anima, id est, voluntate: mente, id est, memoria.

Secundum Gregor. Nisenum cor significat animam vegetabilem; anima, sensitiuam; mens, intellectiuam: vt significetur debere nos ad Deum referre, quod nutrimur, sentimus, intelligimus. Sunt & alij modi quibus plerique hæc distinguunt.

Quæ ex omnibus præferenda est interpretatio?

Sunt bonæ ac vtiles omnes, ad mentem scripturæ tamen loquendo, non videntur curiosè distinguenda cor, mens, fortitudo,

& vires, sed in corde reliqua omnia includi, quæque non nisi maioris explicationis gratia adiecta videntur. Nam in scripturis aliquando illud, in toto corde solum ponitur: aliquando additur secundum, nempè ex tota anima; aliquando etiam tertium ex tota fortitudine seu virtute ac viribus tuis, cum tamen idem semper scriptura velit significare. Dauid in toto corde dicitur secutus Dominum, Iosias ex toto corde, anima & virtute. Samuel hoc tantum exigit à populo vt reuertantur ad Dominum ex toto corde, idem procul dubio quod Moyses exigens, qui omnia præcepto inclusit.

1. Reg. 7.

* *Quomodo quæ cordi adjiciuntur, id ipsum declarent, expone.*

Cordis nomine & intellectus & affectus includitur, proinde ad illius explicationem additur, ex tota anima & mente, quorum illud affectum, hoc verò intellectum significat, vnde apud Marcum pro mente habemus intellectum.

Rursum ad hoc vt toto corde quis dicatur aliquid facere, necesse est vt pro virili faciat, vnde explicationis gratia adiectum est, ex tota fortitudine tua.

Denique vt non aliqua faciat, alia neglegat, sed quæ præcepta sunt omnia. Hinc etsi Iehu dicatur fecisse quod rectũ erat, & omnia

4. Reg. 10.

nia quæ erant in corde Dei contra domum Achab, quia tamen non receſſit à peccatis Ieroboam, dicitur nõ ambulaſſe in lege Domini Dei Iſrael in toto corde ſuo.

Expeditis tribus quæ illis in verbis præcepti obſcura erant, pone mihi nunc ob oculos claram præcepti expoſitionem. *

Diliges Dominum Deum, &c. hoc eſt: Non tantum timeas Dominum Deum, tuum, ſed etiam diligas, idque non lingua tantum & verbo (ſicuti de quibuſdam dicitur: *Pſal. 77.* *Dilexerunt eum in ore ſuo, cor autem eorum non erat rectum coram eo*) ſed etiam ex corde, neque corde diuiſo & remiſſo, ſed toto, id eſt integro, feruenti ac perfecto. *Ex toto corde.*

Intelligo. Cæterum, qui id verè præſtabo? *

Primò, Ante omnia requiritur vt perpenſa Dei erga homines ſumma bonitate, eiuſque æquitate & perfectione animaduerſa, ſic toto affectu in illum tanquam ſummum bonum feraris, vt nihil illi in amore præponas, aut in amoris æqualitatem admittas, ſed illum præ omnibus internè ames: reliqua propter illum, aut ſaltem non contra eius voluntatem aut præceptum. *Ex tota anima.*

Secundò, Deinde vt mente & cogitatione ſic circa illum occuperis, vt in omnibus vijs tuis illum cogites, omnium tuarum ſeriarum actionum & ſtudiorum illum tibi *Ex tota mente.*

finem præstituens, ac nunquam illius penitus obliuiscens, sed, semper sollicitè cogitans die ac nocte.

Ex tota fortitudine, virtute, & viribus tuis,

Tertiò, Postremam vt quæ nouisti illi grata esse, quem interna dilectione prosequeris, exequi studeas, idque non ex parte sed ex toto, nec frigidè, negligenter aut animo tristi, sed pro virili, & quantum humanæ vires ferre possunt, omni diligentia & sedulitate, sollicitus ne quid prætermittas eorum, quæ tibi ab eo sunt præcepta.

* *Quid ex hac oppositione colligendum?*

Primò, Qui ex toto corde Deum diligit, illum propter se diligere potissimum, non autem præcipuè ob bonum ab illo consequendum: alioquin homo se plusquam Deum diligeret.

Secundò, Eundem Dei dilectorem non tantum omnium rerum temporaliũ iacturam, sed etiam vitæ propter illum ferre paratum esse: & si quando res exegerit etiam ferre potius, quàm illum offendere: Alioquin illa magis quàm Deum diligeret.

Tertiò, Ipsum Dei honorem in omnibus & ante omnia desiderare, & spectare, cum id sit diligere amico bene velle, Deo autem nihil optari potest boni, nisi honor.

Quartò, Quæcunque Dei sunt, amare, ac bene erga ea affici: contra quæ Deo sunt ingra-

grata, perfecto odio prosequi, adeo vt ipsum maximè torqueat improborum derelinquentium legem Dei, vita, nec alia vllare magis animo discrutiatur, quam cum contingit ipsum in aliqua re Deum offendisse, aut quod non perfectius eius voluntati obsecundet.

Quintò denique, qui ex toto corde Deum diligit zelo accensus, omnibus quæ diuino honori derogant pro viribus resistere studet. Hisce quasi quinque notis an Deum vt oportet diligas, probare potes.

Videor mihi magnũ illud mandatũ assecutus, ideoque Deo fonti sapiẽtiæ ex intimo cordis affectu gratias ago. Id verò demiror, si magnus ille Augustinus Luthero, vt dicunt tam enormiter contra scripturam blasphemandi ansam dedit.

Calumnia isthæc est in sanctum ac doctissimum Patrem, nec vnquam quæ blasphemant hæretici S. Augustino in mentem venerunt. In libro eius de perfectione iustitiæ sic legimus: *In plenitudine charitatis præceptum istud implebitur. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: Nam dum adhuc est aliquid concupiscentiæ, q̃ vel continendo frenetur, non omni modo diligitur Deus.* Similia habet D. Augustinus

in

in plerisque locis, de præcepto, Non concupiſces. In quibus non negat non posse impleri, sed non omnimodo; id est, perfectè vt in vita futura. Deinde B. Augustinus in præcepto illud (totum) accipit aliquando pro totalitate primo modo sumpta, atque ob id asserit non posse in hac vita impleri, secutus fortè eum huius præcepti intellectum (qui tamen vsitato more loquendi scripturæ non conuenit) vt hoc præcepto reprimeret Pelagianorum errorem & iactantiam. Verum idem Augustinus docet mandatum hoc sic intellectum, non esse homini infirmo sub pœna peccati mandatum, sed tamen propositum, vt scopum & finem ad quem conari homo debeat, vt aliquando perueniat. *Cur* (inquit) *homini non præciperetur ista perfectio, quamuis eam in hac vita nemo habeat? Non enim rectè curritur, si quo currendum est, nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur?* Hic videre licet B. August. primum affirmare, perfectionem illam iustitiæ præceptam esse homini, deinde explicare rationem, qua præcepta est, nempe non vt reum faciat eum, qui non præstat, quod tamen includitur in ratione præcepti propriè dicti, sed vt veluti præscriptum quoddam, & ordinatio, demonstret homini finem, ad quem in vitæ stadio conari debet & contendere, Sequutus est B. Aug. S. Bernardus: *Non tam*

inquit,

inquit, præcipitur dilectio affectus, quam charitas operis: Aut si placet tibi magis de affectuali fuisse datum mandatum, non inde contendo, dummodo acquiescas, & tu mihi, quod minimè in vita ista ab hominum vllo possit vel potuerit impleri. Quis enim sibi arrogare id audeat, quod se Paulus ipse fatetur non comprehendisse? Nec latuit Præceptorem, præcepti pondus excedere vires hominum, sed iudicauit vtile ex hoc ipso suæ illos insufficientiæ admonere, & vt scirent sane, ad quem iustitiæ finem niti pro viribus oporteret: Ergo mandando impossibilia, non præuaricatores homines fecit sed humiles, Hæc Bernardus. Ex quibus patet Augustinum & Bernardum dum dicunt hoc præcepto aliquid impossibile præceptum, non loqui de præcepto propriè dicto, cuius est reum facere eum, qui ipsum non adimplet, sed vt sit quoddam præscriptum, & ordinatio & directio quædam, quomodo præceptum posset dici militiæ Ducis, cuius, mandantis militi, vt vrbem expugnet. Lutherus verò intelligens hoc præcepto perfectissimam dilectionem, & iustitiam homini in hac vita impossibilem præcipi, voluit etiam sic intellectum propria ratione dici præceptum, Ex quo intellectu, sed falso & blasphemo, sibique proprio, qualis hæreticorum esse solent, rectè efficaciterque colligit, neminem in hac vita vllo modo posse hoc mãdatum seruare, & iustum in omni opere bono pec-

no peccare. Quę quidem blaſphemia nõ minus cum Sanctorum Auguſtini & Bernardi doctrina, quam omnium Catholicorum, & ſcriptura vniuerſa pugnat.

Legem, Prophetas & Chriſtũ ignorant Lutherani

Sed & hinc conficitur euidenter Lutherum, eiuſque ſequaces legem & Prophetas, ac proinde etiam Chriſtum, cui teſtimoniũ perhibent, ignorare, quando perperam accipiunt, id ex quo Lex & Prophetæ pendent. Et rurſum, ſicut in ſano huius præcepti intellectu ſcriptura vniuerſa, & quæ ſecundum pietatem eſt doctrina pendet: ita doctrina vniuerſa ex proprio ipſi hæreſiarchæ, ex prauo primi mandati intellectu, veluti putrido fonte hæreſis deriuatur, eſtq; veluti origo, vnde dimanat, irrationabilis impia & blaſphema eius doctrina vniuerſam euertens pietatem, conuellens ſcripturam & Chriſtum proſcribens. De doctrina ei propria loquor. Nam quæ à ſancta Romana Eccleſia mutuauit noſtra ſunt, quæ niſi putentibus dogmatibus à ſe confictis miſcerentur, ſua ipſorum manifeſta abſurditate penitus concíderent. Eant nunc Lutherani, & apud cœcum vulgus à ſe ſeductum, de ſcripturarum, Euangelij, & Chriſti eximia ſcientia ſeſe iactitent.

Ex quali fonte hæreſis Lutherana manarit.

DE

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

Quot sunt præcepta Ecclesiæ?

QVinque præcipua Ecclesiæ præcepta omnibus fidelibus merito tenēda, enumerant pleriq; sed non eadem omnes; sunt enim non pauci, qui aut omittunt primum de festis celebrandis, aut illud cum secundo, de audienda missa, in vnum contrahunt, & tribus reliquis quoddam de decimis soluendis adijciunt.

Canisius vero decimas ipsas, quo ad substantiam Deo eiusq; ministris ac pauperibus naturali ac diuino iure deberi prudenter aduertens, non retulit ipsas inter Ecclesię præcepta. Qui enim has aut non soluunt, aut non integre quatenus Dei oblationes existunt, contra primum, quatenus Ecclesiæ ministris debētur, cōtra quartū; ac deniq; vt panperū, viduarū ac pupillorū annona sunt in septimū decalogi mandatum delinquunt.

Veruntamen nec male, nec sine fructu alij in quinq; Ecclesiæ præceptis suū dant decimis locū quandoquidē nō nisi Ecclesiastico iure cautū sit, & si opus fuerit, in quauis Ecclesia statui possit qui illas reddere teneantur de quibus item rebus, & quotam partem.

Cæterum expedit atq; adeo necessariū est, hoc præsertim tēpore, hanc doctrinā opportune & importune prosequi non tā in Ecclesię mini-

miniſtris ſint prouentus pinguiores ſicuti quiſpiam calumniare poſſet, quam vt munifica pietate & pia munificētia populus Chriſtianus ſe Deo ſuo fidelem præbens munificam in ſe ipſo diuinæ liberalitatis benedictionē experiri mereatur. Sunt & aliæ cauſæ tum multæ, tum graues quas prudens Catechiſtes, vel ex breui quæ hic ſubiungitur tractatione facile colliget.

Nos autem vt nec numerum præceptorum paſſim receptum, nec præcepta ipſa immutaremus; ac nihilominus neceſſariam hanc doctrinam nequaquam negligeremus ad finem quinti Eccleſiæ præcepti quaſi per appendicem.

QVOT SVNT PRÆCEPTA ECCLESIÆ.

Præcipua quinque numerantur.

PRIMVM.

Statutos Eccleſiæ feſto dies celebrato.

SECVNDVM.

Sacrum miſſæ officium diebus feſtis reuerenter audito.

TERTIVM.

Indicta certis diebus ieiunia & à quibuſdam cibis abſtinentiam obſeruato.

QVARTVM.

Peccata tua ſacerdoti proprio aut alteri cum eius facultate ſingulis annis confitetor.

QVIN-

QVINTVM.

Sacrosanctam Eucharistiam vt minimum semel in anno idque circa festum paschæ sumito.

His annumerandum, quidquid sancta mater Ecclesia præscripserit ordinaueritque ad meliorem illius naturalis ac diuini iuris obseruationem, quo integra, perfecta bonaque fide decimarum solutio præstanda decernitur.

Quid exigit primum præceptum?

Vt religiose obseruemus ferias indictas. Sicut enim in veteri testamento non solum præcipiebatur Sabbathi obseruantia sed etiam aliarum solemnitatum: haud secus in nouo Testamento non solum diei Dominici præcipitur sanctificatio sed etiam aliarum solemnitatum.

Quomodo celebrandi sunt Christo festi dies?

Si obseruatis ijs quæ in tertio Dei præcepto traduntur, de cultu sacrorum dierum, ea crediderimus quæ eo tempore in Ecclesia celebrantur, maxime si ad fidei articulos spectant: Vt, in festo Trinitatis debemus credere, quod Deus est vnus in substantia & trinus in personis, inter se per omnia æqualibus. In festo Natiuitatis, quod Iesus Christus Dei filius ex Maria Virgine natus. In pas-

sione, quod pro nobis passus, mortuus & sepultus est. In festo Ascensionis, quod ad cœlos ascendit. In festo Pentecostes quod Spiritum Sanctum discipulis suis misit. In festo Corporis Christi, quod Iesus Christus Dei Patris & hominis matris vnigenitus Filius verissime continetur in Eucharistia. In festo omnium Sanctorum, quod animæ eorum quæ in hac vita bene vixerunt, nunc cum Christo lætantur in cœlis. In commemoratione mortuorum quod est purgatorium, post quod animæ ad vitam glorioſam ascendent resumptura in die nouissimo corpus glorioſum.

Qua ratione pie & cum fructu sanctorum festiuitates celebrantur.

Respondet D. Bernardus. Tria sunt quæ in festiuitatibus sanctorum vigilanter considerare debemus: auxilium sancti, exemplum eius, confusionem nostram.

Auxilium eius quia qui potens in terra potentior est in cœlis ante faciem Dei sui, si enim dum hic viueret misertus est peccatoribus: & orauit pro ijs nunc tanto amplius, quanto verius cognoscit miserias nostras orat pro nobis patrem, quia beata

beata illa patria charitatem eius non imminuit sed augmentauit : neque enim quia impassibilis omnino, ideo & incompassibilis factus est, sed nunc potius sibi induit viscera misericordiæ cum ante fontem misericordiæ existit.

Debemus etiam attendere exemplum eius, quia quamdiu in terris visus, & cum hominibus conuersatus est ; non declinauit ad dexteram, neque ad sinestram sed regiam viam tenuit, donec veniret ad illum qui dicit. Ego sum via veritas & vita &c.

Sed & diligentiori intuitu confusionem nostram inspiciamus, quia homo ille (nimirum sanctus) similis nobis fuit passibilis ex eodem lutu formatus, quo & nos, Quid ergo est, quod non solum difficile, sed & impossibile credimus, vt faciamus opera, quæ fecit, vt sequamur vestigia eius, &c.

Beatus item Augustinus sic breuiter & pie. Populus Christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat & ad excitandum imitationem & vt meritis eorum consocietur atque orationibus adiuuetur.

Quid secundo præcipitur?

Missæ

Vt diebus festis sacrosancto sacrificio integro interssimus

corpore & mente, hoc est animo eo tempore Deo vacandi.

Quid nam agit Ecclesia in hoc missæ sacrificio?

Duo præcipuè. Primo perficit Sacramentum Eucharistiæ pro vt Christus instituit oblatione scilicet eius, vt sacrificij: Consecratione & sumptione, vt sacramẽti. Secundo. Ad hæc nos præparat per commemorationem & repræsentationem & vitæ & mortis Christi. Sic enim ipse præcipit, hoc (inquiens) facite in meam commemorationẽ. Ad quod omnis illa solennitas, & maior, quam in reliquis Sacramentis seruetur, tendit.

Explica quomodo hoc fiat in Missa.

Vita Christi Saluatoris nostri in tres præcipuas partes distribuitur, scilicet ingressum in mundum vsque ad initium prędicationis, progressum in prædicatione, egressum in passione & morte: in qua etiam tria præcipua ad salutem nostram iuxta prædictam distributionem inuenimus ab ipso completa, scilicet sui humiliationem atque occultationem, manifestationem Patris & cæterorum ad nostram salutem pertinẽtium: Tertium demum oblationem sui ipsius, qua placauit Patrẽ & satisfecit pro peccatis nostris. Ita etiam missam tribus partibus Ecclesia compleuit.

Prima

Prima est præparatio & humiliatio nostri, primæ parti vitæ Christi respondens, quæ primis orationibus terminatur.

Secunda est instructio, quę vsque ad symbolum fidei durat & Christi prędicationi respondet.

Tertia est perfectio atque consummatio Sacramenti, passionem exprimens. Dic quid illa parte fiat & repræsentetur.

Cum sacerdotem egredientem ex sacrario, vestibus sacris ornatū, & appropinquantem altari intueor. Christum considero ex cubili sacratissimo virginalis aulæ, tanquam sponsum de thalamo procedentem, fragilitate quidem naturæ nostræ vestitum, sed eadē mira gratia & virtutibus decorata: moxque sese offerentem passioni & cruci, quam altare significat. Inclinatio vero illa sacerdotis, & peccatorum confessio aperte mihi ostendit quod ipse Christus in similitudine carnis peccati natus, sese deiecit vsque ad solum & præsepe, & vsque ad remedia peccati in circumcisione, & baptismo sumēda: quo sic nos humiliaret, & vere exaltaret coram Deo.

Prosequere cætera.

Cantatur interim solenniter aliquid, prę-cipuē ex Psalmis, deinde repetitur imploratio illa misericordiæ magnis vocibus. Kyrie Eleison: quæ patrum desideria de aduentu

Christi, quæ ex cognitione præsentis miseriæ, cum imploratione misericordiæ Deo offerebant, repræsentant, & accendunt in me desiderium participandæ huius gratiæ, id noui aduentus Dei in animam meam, quæ omnia intelligo mihi in Missa offerri. Quare cum illis patribus clamo. Vtinam disrumperes cœlos & per nouum gratiæ effectum, in me, in nos omnes & in Ecclesiam descenderes. Miseriæ etiam huius vitæ & propriæ fragilitatis cognitione clamo: Domine miserere mei. Post quæ iam in diebus lætitiæ hymnum angelorum quem in natiuitate Christi cantarunt, audiens, gaudia cœlestia propter aduentum Christi, & salutem nostram cogito.

Recte quidem hæc, sed comple reliqua huius partis.

Tunc demum salutatio illa sacerdotis, quæ sæquitur, Dominus vobiscum, mihi significat, quomodo Christus in suo illo primo ingressu & natiuitate humillima quidem, nonnullis sese ostendit: quamuis id modice pastoribus nimirum, & magis in præsepi, in templo Simeoni, Annæ & reliquis, Ioanni in Baptismo. Sed post illa rursum statim se abscondit sub infantia illa, fuga in Ægiptum, subiectione parentum, & deserto: quo tempore credimus illum orationibus maxime apud Patrem se exercuisse,

cum

cum vacaret à cæteris atque illis negotium salutis nostræ egisse. Fuerunt enim hæ orationes vna ex prȩcipuis partibus redemptionis nostræ, & meriti eius. Paulo dicente: Exauditus est pro sua reuerentia, & hoc priores illæ orationes Missæ mihi significant & simul admonent vt dicam Deo, domine, Filij tui orationibus quas pro me fecit, & adhuc apud te facit, ac sponsæ eius Ecclesiæ simul, salua me & quæ illi pro me petunt, qui norunt quid magis conueniat, concede. Et sic respondeo ex corde Amen, amen, atque ita præparatus ad sequentia procedo.

Explicasti primam partem vitæ Christi & missæ, dic iam de secunda?

Christus in vita sua, post illam humiliationem atque orationem, totis triginta annis magno mysterio & exemplo expletam docere cœpit: totoque reliquo vitæ tempore vsque ad passionem docuit nos de salute æterna. Ita Ecclesia post supradictam præparationem populum docet, primo quidem lectione quadam quam epistolam vocant, ex veteri testamento vel ex Apostolorum doctrina desumpta. Postquã vt quædã cantata sunt. Euangeliũ magna cũ solennitate & reuerẽtia annunciat moxq; solennibus diebus symbolum fidei magnis vocibus cantatur, in signum credẽtium ex Christi & apostolo-

rum prædicatione, inter quos & nos sumus

Dic quid hæc significent?

Doctrinam Christi præcessit è vicino prædicatio Ioannis, quæ dispositio quædam fuit ad Euangelium, neq; enim aliud egit quam, vt ad Christum mitteret omnes idque annunciatione imminentis iudicij, vnde dicebat. Iam securis ad radicem arboris posita est: demonstratione præsentis gratiæ. Ecce agnus Dei & denique prædicatione pœnitentiæ. Facite fructus dignos pœnitentiæ. Atque hanc Ioannis prædicationem Epistola illa significat. Illa vero quæ post epistolam cantantur, gemitus & pœnitentiam significant eorum, quos Ioannes conuertebat. Ac quoniam inter hos gemitus solet etiam esse magna consolatio, aliquando quoque inter hæc alleluia cantatur. Post quæ statim Euangelium ipsum per Christum & suos cæptum est annunciari: in quo dulcissima verba Christi, Exempla virtutum eius, miracula, indefessusque labor pro salute nostra continentur, quælectio euangelij significat.

Quomodo te ad hæc habes?

Cum harum lectionum aliquid intelligo, illud in corde recondo, vel cum nihil exponitur. Sin minus cogito Iohannem prædicantem & magno feruore ducentem homines ad Christum. Deinde Chrstum verbis & operibus de salute æterna instruētem,

atque

atque ab eo humiliter peto, vt me timore sancto ad suam doctrinam disponat & aliquid eius deguſtare det. Ac sic in symbolo audio voces eorum qui Christo prædicanti crediderũt: vt illius mulieris clamantis. Beatus venter qui te portauit; & Petri confitentis: Tu es Christus filius Dei viui. Postremo etiam totius Ecclesiæ. Atque hanc viuam fidem mihi cupio à Deo infundi, intelligens eam esse fructum doctrinæ & miraculorum Christi.

Dic quomodo intelligas tertiam partem Missæ.

Sicut Christus post supra dicta, totum se conuertit, ad passionis sacrificium: vt scilicet patri in odorem suauitatis se offerret, ita Ecclesia in vltima parte missæ tota est intenta ad offerendum complendumque sacrificium: idque facit miro ordine.

Explica primum quod sit hoc sacrificium ab Ecclesia oblatum.

Sacrificium bonum aliquod Deo gratũ est quod illi à nobis offertur in recognitionem debitæ seruitutis, vel in gratiarum actionem pro beneficijs, vel certe ad impetranda quæ nobis necessaria sunt, vel postremo in satisfactionem peccatorum. His enim de causis constat in scriptura Deo oblata esse sacrificia, & horum omnium causa Christus

seſe obtulit ſacrificium perfectiſſimum Patri in paſſione. Satisfecit enim pro peccatis, egit gratias pro beneficijs, exhibuit quam omnes debemus, ſeruitutem, impetrauitque omnia nobis ad ſalutem neceſſaria quod ſacrificium omni ex parte gratiſſimũ fuit Patri. Id enim quod offerebatur,& voluntas qua offerebatur, erant ſummè grata propter quod ſacrificium, ſi quid ex nobis Deo placere poteſt, gratum eſt, Ideoque ipſe Chriſtus, poſt ſe ipſum omnes ſuos fideles tanquam propria membra, eorumque omnia in Dei laudem opera, ſimul etiam obtulit propter ſe Deo grata. Cui ſe cõformans Eccleſia & obediens idem etiam, quod ipſe obtulit, offert Deo, ſcilicet ipſum Chriſtum, & omnes eius fideles, cuncta etiam illorum bona opera.

Oſtende vbi hæc Eccleſia & quomodo offert?

Offert Eccleſia primo terrenas illas creaturas panis & vini cum orationibus ſanctis. Agnoſcit enim de omni bono nobis à Deo dato, illi iuſte ſacrificandum eſſe, Inter hæc vero ſunt exteriora elementa ad vitæ ſuſtentationem creata. De illis ergo ſacrificium offert, non quo Deus cibetur ſed quo omnium dominus agnoſcatur. Neque tamen hoc ſolum offert: ſed intelligit pane illo & vino carnẽ & ſanguinem Chriſti ſi-

sti significari primo, deinde conuerti in ea ipsa, quæ significant: de quibus Christus dixit: Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Agnoscit, etiam significari ijsdem creaturis, panis & vini, vnitatem corporis mystici, in qua (vt Paulus inquit) vnus panis & vnum corpus multi sumus. Atque hæc duo etiam sub illo pane & vino offert, vt simul de omni humano bono Deo sacrificet corpus etiam Christi in passione, & sanctorum quoque corpora per martyrium, vel mortificationem sacrificium sunt Deo gratissimum. Animæ etiam & Christi, & sanctorum & eorum omnia sancta opera igni charitatis accensa Deo sacrificantur. Quę omnia hic Ecclesia offert de exterioribus rebus, & de corporibus & animabus, vniuersale hoc Christianorum sacrificium complens, vt Augustinus ait.

Dic qua auctoritate & quo fructu hoc fiat?

Fit proculdubio Christi præcepto Apostolis tradito, & per illos Ecclesiæ, & perpetuo in ea obseruato. Vt sit in Ecclesia sacerdotij Christi secundum ordinem Melchisedech æterni integrum munus, ideoq; etiam visibile sacrificium Deo gratum. Fructus vero est, vt quia in multis quotidie omnes offendimus, iugiter etiam participes effi-

efficiamur sacrificij Christi per quod nobis remittuntur peccata, & placatur Deus. Supplemus etiã id, quod minus facimus in gratijs reddendis Deo, orandoque pro salute nostra, & debita illi seruitute agnoscenda. Communicamus quoq; Sanctorum omnium bonis operibus.

Quantum fructum putas consequi nos hac oblatione?

Scio certissimum esse, Deum magis respicere, ex quanta deuotione contritioneq; & promptitudine aliquid ei offerat quam quantum sit, quod offertur. Ideoque agnosco quamuis id quod in missa offertur infinitum sit, scilicet passio Christi, eius meritum & satisfactio: tantum quemlibet sibi remissionis, & gratiæ inde habere, quanta est apud Deum sua deuotio, & præparatio cordis, quantum amat & desiderat Christum, & quantum illi patienti configuratur. Ideoque ex quo illa incipit sacrificij oblatio, conor Christo & sanctorum omnium societati me coniungere, & dico Deo: Fac me Domine participem sacrificij, quod tibi in cruce obtulit Christus & quod nunc tibi offert Ecclesia. Nam illi quantum possum me conformans, quæ voluit quæ amauit Christus, amo, & volo, gloriam tuam scilicet, quæ odiuit, odio peccata omnia, & me ipsum totum

in tu-

in tuum obsequium & honorem cupio expendere, sicut vnigenitus tuus in passione se totum pro tua obedientia tradidit.

Dic ordine quæ Ecclesia seruat in hac oblatione.

Ecclesia tota repræsentando nobis Christum intenta, sicut videt ipsum proximo ante passionem tempore, completis & miraculis, & doctrina, videlicet post Lazari resurrectionem, delituisse in regione iuxta desertũ, vbi maxime videtur se ad passionem parasse, seque in illo secreto, quod per totam vitam fecerat, obtulisse patri, & orasse pro nobis: quo peracto reuersus in Hierusalem cum magna solennitate, & lætitia exceptus est, cantantibus cunctis ; Benedictus qui venit in nomine Domini: ita Ecclesia sacerdotem post symbolum & salutationem sequentem, quibus finis doctrinæ Christi significatur, vult in secreto: primo, offerre panis, & vini mysticum sacrificium, atque orationibus silenter dictis illud commendare. Quibus completis cum solenni cantu sacerdos incipit præfationem illam, ingressum illum festiuum Christi in Hierusalem significans. Post quam omnes canunt: Sanctus, & benedictus qui venit: vt significetur pari lætitia omnes astantes Missæ, debere Christum in Sacramento se præsentem exhibentem, excipere

cipere, ac ita ire obuiam illi per sancta desideria, sicut fecit plebs illa deuota in die palmarum, & per considerationem beneficij, quod ibi exhibetur nobis, nos ipsos, nostraque omnia abnegare & contemnere coram Deo, sicut illi vestimenta sua deponentes sternebant in via.

Explica quid agitur completa præfatione?

Post illam solemnitatem præfationis sacerdos in secreto silentio orat, primo; pro tota Ecclesia, & pro ijs qui in sublimitate sunt, vt Paulus iubet, & in speciali pro illis, quibus tenetur, pro omnibus offerens sacrificium. Secundo implorat sanctorum patrocinia, vbi Christum repræsentat illis diebus ab ingressu Hierusalem vsque ad passionem, quem credendum est illo maxime tempore orationi & oblationi sui ipsius vacasse post doctrinam, quam illis diebus frequenter tradidit, quo enim magis passioni appropinquabit, & feruentioribus desiderijs salutis nostræ exercebatur, ac ita ego illo tempore hæc considerans quantis possum desiderijs oro cum Ecclesia pro omnibus eius membris. Post quæ omnia ad vltimam cœnam veniens sacerdos, Christum, panem & vnium consecrantem atque in suum corpus & sanguinem conuertentem repræsentat: idem etiam ipse faciens & statim præ lætitia

titia spirituali non se continens, eleuat, consecrat, consecrata sacrificat, & sistit Deo, atque omnibus adoranda exhibet significans Christum exaltatum in cruce, suo sanguine irrigantem terram.

Declara quid sequitur eleuationem?

Iam ab illa hora Christus in cruce viuus pendens, repræsentatur, vbi & silentio feruentissime orasse creditur & septem illas voces suauissimas protulisse. Ita sacerdos orat rursum in silentio pro omnibus, vsque ad eos etiam, qui in purgatorio sunt, orationem extendens, deinde orationem Dominicam alta voce pronunciat septem continentem petitiones, in verborum illorum signum. Itaque hoc tempore debemus omnes fideles maxime esse suspensi, ac si Christum crucifixum intueremur, ac ita orare excitantes nos ad veram compunctionem, tanquam qui digni æterna morte simus: Deinde concepta spe de tanta redemptoris virtute clamare cum latrone: Memẽto mei domine: & quanto deuotius possumus, orare Christum præsentẽ pro salute nostra, cogitantes illa quæ in cruce passus est & illud præcipue verbum tenentes memoria. Sicut Moyses exaltauit serpentem in deser-

deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed vitam æternam habeat, & nos tanquam ignitis infernalis serpentis morsibus vulnerati, peccatis scilicet, adoremus in similitudinem carnis peccati Christum crucifixum.

Dic cætera quæ sequuntur.

Post hæc diuiditur hostia quasi distribuenda. Nam quamuis nõ sint, qui Sacramentum corpore sumant, omnes tamen fideles per fidem & deuotionem efficiuntur participes eius, quod illa diuisio significat: in qua etiam mors Christi repręsentatur. In ea enim anima eius à corpore diuisa fuit quare in memoriam clamoris illius quo exspirauit, Sacerdos etiã altiori voce clamans, annunciat pacem. Christus enim per sanguinem suum pacificauit, & quæ in cœlis, & quæ in terris sunt. Ac in signum etiam terræ motus illius, quo petræ sciscæ sunt, & compunctionis quoque illorum, qui astabant cruci, & percutientes pectora sua, reuertebantur, clamat tunc Ecclesia. Agnus Dei qui tollis peccata mundi, quibus omnibus nos etiam ad magnam compunctionẽ excitamur, & præparamur ad sumptionem Sacramenti: vt scilicet manducemus eius carnem & bibamus eius sanguinem, qui dicit. Nisi hæc manducaueritis nõ habebitis vitam in vobis. Quod si non ab omnibus sacramentaliter fit, tamẽ

sacer-

sacerdos pro omnibus id facit, & omnes etiam spiritualiter iustum est, vt sumant. Cogito itaque tunc quomodo sumentes Christum, in memoriam passionis & mortis eius, monumentum quodammodo efficiuntur ipsius, atque oro vt si non sacramentaliter, fide & deuotione carnis eius particeps efficiar, & cor meum per continuam suæ mortis meditationem monumentum eius esse mereatur.

Declara quæ post sumptionem fiunt.

Sumpto iam sacramento, omnia in gratiarum actione concludit Ecclesia, atque iucunditate cordis. Et ita sacerdos gratias agẽs & ex magna spe felicem illam vnionem ad Deum, quæ sumptione sacramenti significatur, consequendi, orat, vt in gloria Christi perseueremus, & ad consummationem perueniamus, nihil enim reliquum post tantam sacramenti gratiam, in quibus etiam Christi resurrectio, & apparitio significatur atque lætitia eorum quibus se ostendit; sicut enim Christus quamuis mortuus corpore, diuinitate tamen viuus, immo vita ipsa, post modicum resurrexit, ipsum sepulchrũ gloriæ suæ resurrectionis illustrans, ita sumpto corpore suo viuo, sed in memoriam mortis sumentes, viuificantur, & replentur exultatione, vnde omnis illa congratulatio. Etne quid desit, ipsa ascensio Christi, postremo

significatur cum dicitur. Ite, missa est: vel benedicamus domino. Sicut enim Christus ascendens in cœlum, erexit animos omnium ad cœlestia, & spem maximam dedit illa consequendi, & reuersi sunt, qui astiterunt ipsi ascendenti, laudantes, & benedicentes dominũ, ita dicitur nobis, Missa est, hoc est iam viua hostia Christus oblatus pro nobis patri astat perpetuo, interpellans pro salute nostra. Ite iam, non ad vana, & inania huius sæculi quærenda, sed ad desideranda cœlestia, & reuertimini ad vestra corpore, mente vero laudantes, & benedicentes dominum, pro tantis & tam incomprehensibilibus, beneficijs, semper gratias agite.

Estne concio diebus festis audienda?

Actor. 6. 2. Tim. 4. Tit 2. Prosp. lib. 1. de contempl. ca. 20 & 23. Concil. Mogũt. celebrat 80. 13. ca. 25. Tolet. secundũ c. 2.

Quanquam Ecclesia non præceperit expresse, vt singulis diebus festis audiatur concio sacra, attamen lege naturæ atque fidei tenentur Christiani ea discere, quæ saluti suę sunt necessaria: quæ cum extra sacras conciones ferè non discantur, vel certè non ijs sint animorum motus, quos pietas requirit, vt foueantur, conseruentur, atque augeantur, non facilè licet concionem negligere, & multò minus Pastori prædicationem verbi Dei omittere. Eadem ratio est audiendi Catechisticam institutionem aliasque sacras lectiones, vbi illæ habebuntur.

Quid

Quid continet tertium Ecclesiæ Præceptum?

Obseruantiam ieiunij quadragesimalis, quatuor Temporum, &, siquando Ecclesia præcipit, peruigilij festorum: exceptis ijs, quos Ecclesia non vult obligare; è quorum numero sunt pueri, qui licet non obligentur totam quadragesimam ieiunare: conuenit tamen sibi aliquot dies deligere, quibus ieiunent. *De hoc Hess. c. 15. & sequentibus.*

Quid quartum præscribit?

Vt dum eos annos attigerimus, in quibus peccare possumus: saltem semel in anno, nimirum tempore Paschali, Sacerdoti confiteamur de peccatis mortalibus, & de quibus dubitatur sint ne venialia, aut mortalia.

Non sunt confitenda venialia peccata?

Quoniam nullum est tam paruum peccatum, quod non crescat neglectũ: & *qui spernit modica, paulatim decidet*: idcirco cum mortalibus satiùs esset etiam de grauioribus venialibus confiteri, & quæ conscientiam magis remordent. *Eccle. 19.*

Quando alias confiteri tenemur?

Quoties venerabile Sacramentum Eucharistiæ suscipere volumus, si modò nobis simus conscij peccati mortalis.

Obligamur præterea in mortis articulo confiteri de peccato mortali, de quo anteà non confessi fuerimus, idque diuino ipso

iure. Debemus enim pro viribus nos ad misericordiam præparare, quando imminet nobis iudicium damnationis aut misericordiæ. Sed quia periculosum est confessionem diu differre, propter obliuionem multorum peccatorum, peccandi consuetudinem, & mortis incertitudinem: ideò consultius esset, sæpè confiteri: quia ex frequenti confessione homo auocatur à multis peccatis, fitq; timidior ad Dei offensionem. Non quidem statim post peccatum commissum iniungit nobis S. Ecclesia, Sacerdoti de peccato confiteri; tamen optimus quisque Christianus, & qui Deum timere vult, confugiat ad contritionem & interiorem cordis pœnitentiam, cum primum agnoscit peccatum suum, cum voluntate confitendi tempore & loco. Peccatum enim quod per pœnitentiam nõ deletur, mox suo pondere ad aliud trahit peccatum, & lumen rationis excæcat.

De his consule ca. 4 de pœnitentia.

CA-

CAPVT QVARTVM.

DE SACRAMENTIS.

An Sacramentis Deum colimus?

ETiam; proteſtamur ſiquidem illis, vti exterioribus ſignis, fidem noſtram, Deumque inuocamus: Eſt enim in Baptiſmo confeſſio quædam imperfectionis noſtrę & peccati, ac ſpes diuinæ gratiæ conſequendæ. Atque hac ratione ſunt opera noſtra in Dei honorem ordinata. Quatenus verò habent etiam promiſſionem Dei, de gratia atq; donis ſuis per ea conſequendis, verbi gratia, in Baptiſmo, de ingreſſu in regnum cœlorum, magis ſunt diuina quædam opera & inſtrumenta ad ſanctificandos homines; vt ijs nos potius Deus colat, mundet ac ſanctificet. In cæteris Sacramentis idem obſeruare licebit.

Quis venerabilium Sacramentorum inſtitutor?

CHRISTVS Dominus noſter: non Apoſtoli, non Eccleſia: ſolius enim CHRISTI eſt, decernere quibus modis & inſtrumen-

tis à Deo iustificemur, & sola virtus passionis Christi in ipsis operatur.

Quæ sunt in singulis Sacramentis considerandа?

Materia, forma, minister, suscipiens, vtriusque dispositio, significatio, effectus, ac denique ritus, ac cæremoniæ Ecclesiasticæ.

Quid significant Sacramenta nostra?

Tria potissimum: Primò, causam & originem sanctificationis nostræ, quæ est Christus eiusq; passio; & sic sunt signa rememoratiua.

Secundò, sanctificationē nostram quam operantur, & sunt signa indicatiua.

Tertiò, finem ad quem per ea ordinamur, & sic sunt prognostica.

Quis est Sacramentorum nouæ legis effectus?

Primò, omnia quidem ex opere operato, id est, Christi institutione gratiam conferunt, & multo quidem copiosiorem, quam sit virtutum & donorum Spiritus Sancti.

Secundo, quædam etiam characterem, seu signum quoddam in animam, indelebile imprimunt, vt in singulis erit manifestum.

DE

DE BAPTISMO.

Pet. de Soto de Sacerd Inst. Ioan 3.

Quæ sunt Baptismi partes?

Materia seu elementum est aqua ex Christi institutione. Forma verò seu verbum: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

Quare aqua?

Hoc elementum propter communitatē & abundantiam, & naturales eius proprietates, ac mysticas significationes, ad hoc Sacramentum maximæ necessitatis, ab ipso Deo electum est.

Quid forma significat?

Exprimitur in ea actus baptizandi, & sanctissima Trinitas, tanquam causa prima quæ in Baptismate operatur.

Quis Baptismi minister?

Proprius quidem Sacerdos est: in articulo autem necessitatis potest quiuis baptizare: si quis verò non Sacerdos extra necessitatem baptizauerit, peccat proculdubio, & mortaliter.

Quis est capax Baptismi?

Omnis qui natus est, siue sit paruulus, siue adultus.

Quæ est dispositio in ministrante & suscipiente necessaria?

In ministro necessaria est ad veritatem Sacramenti, intentio faciendi, quod ex instituto Christi, Ecclesia facit: vt verò non peccet, etiam hoc necessarium est, vt non faciat ob malum finem. In suscipiente adulto ad veritatem Sacramenti intentio suscipiendi Sacramentum: recta verò fides, propositum non peccandi, & mutandi vitam, vt fructum consequatur Baptismatis, & minister non peccet.

In pueris, & ijs, qui nunquam habuerunt vsum rationis, nec ipsorum, nec parentum voluntas necessaria est ad Sacramentum, sed ad rectum vsum Sacramenti voluntas parentum, aut eorum quibus commissi sunt, professio susceptorum, & quoddammodo fideiussio requiritur.

Quis Baptismi effectus?

Primus & proprius est, plena atque perfecta peccatorum omnium remissio: quod significatur.

Ezech. 36. Primo, ipsa lotione, de qua Ezechiel: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini.*

Deinde ipsa forma: *Ego te baptizo*, &c. Cũ enim dicitur Baptizo te, significatur totius hominis ablutio, non corporis tantũ: Cum addi-

additur, in Nomine Patris, &c. significatur supercœlestis & diuina plane mandatio. Illud namque, in Nomine, dupliciter intelligi potest: vel vt sit idem tanquam minister, & potestate accepta à Patre & Filio, &c. vel sub inuocatione, & in honorem & laudem nominis diuini. Hic effectus Baptismo conuenit, vt est configuratio quædam mortis & sepulturæ Christi, vt æstimemus nos mortuos esse peccato, sicut & ipse mortuus est similitudini carnis peccati. Est itaque Baptismus verum illud rubrum mare sanguine Christi aspersum, in quo Ægyptij omnes submerguntur. *Rom. 6.*

Quis secundus?

Gratiæ Dei & virtutum omnium collatio: quem etiam aqua ipsa virtute sua, quia fæcundat, & perspicua est, significat: vt videlicet non sit anima nostra sterilis, vt terra sine aqua, sed inebriata potius & infusa, & potens germinare. *Est lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè.* *Tit. 3.*

Quis tertius?

Vera vnio ad christum caput nostrum, & insertio quædam. *Quotquot enim in Christo baptizati sumus, Christum induimus.* Et vitis est Christus nos pslmites. *Galat. 3.*

Quid hinc colligimus?

Aug. lib. 1. de pec. meru. & remiß. c. 27. & 28.

Per hoc Sacramentum in nobis effici, & produci omnes effectus passionis, & Redemptionis Christi. Venit autem ille, viuificare, soluere, liberare, illuminare, redimere à morte ab infirmitate, à seruitute, captiuitate, & tenebris, adoptare nos in filios Dei, regnum cœleste aperire, Spiritum suum nobis participare, & ad regnum cœleste perducere, quæ omnia proculdubio in Baptismo & significantur, & efficiuntur.

Cur non potest hoc Sacramentum iterari?

Primò, Baptismus est Spiritualis quædam generatio, & mortis Christi plena configuratio: Hominem verò tantum semel generari contingit.

Secundò, Christus mortuus est semel, sacrilegium itaque esset iterum baptizari.

Tertiò, Accedit quod character semper maneat, & peccatum (in cuius remedium propriè institutus est) originale videlicet, repeti non possit.

In pœnitentia, Eucharistia, & alijs Sacramentis, etiam Passio Christi significatur, & eius virtus applicatur animæ, non poterunt ergo iterari?

In Sacramentis & eorum effectibus, magis considerandus est modus significandi, & efficiendi, quam res significata. In pœnitentia & Eucharistia significatur passio Christi,

vt

vt medicina & cibus, quæ frequenter adhiberi solent, ac proinde iterari possunt.

Cæremoniæ Baptismi ad quid referuntur?

Ad Baptismi effectus, & nostram obligationem declarandam. *Ex. 4. lib. Inst. Fran. Coster.*

Cur consecratur aqua?

Ex Apostolorum institutione consecrari solet, vt aiunt, B. Dionysius Ariopagita, D. Basilius, & D. Augustinus infuso sacro vnguento: ad significandum, his aquis conferendam gratiam Spiritus Sancti ad peccatorum ablutionem. Imponitur ijsdem aquis cereus Paschalis, qui significat Christum post passionem suam, nouo lumine & glorioso corpore rediuiuum, quinque splendida vulnera, ceu quinq; odoriferi thuris globulos gestantem. Quia per eius passionem, mortem & resurrectionem, potestas abluendi sordes peccatorum, est aquis cõcessa. Cęterũ bis quotannis hic fons Baptismi consecratur; pridiè Paschę & Pentecostes (qui dies olim baptizandis catechumenis deputati erant) quia Christi mors & resurrectio, & Spiritus sancti gratia in Baptismo operantur. *Cap 2. Eccles Hierarch. li. de Spiritu S. cap. 25. & Tract. 118. in Ioannẽ.*

Qui sunt ritus baptizantium?

Primò, defertur baptizandus ad fores Ecclesiæ; quia in domum Dei non meretur ingredi, qui peccatorum sordibus est conspur-

spurcatus: *Domum enim Dei decet sanctitudo, in longitudinem dierum.* Psal. 92. Atque hoc loco catechizatur, & exorcizatur, id est, proponitur ei fides Ecclesiæ Catholicæ, vt sciat quid sit in posterum ei credendum: & varijs orationibus adiuratur dæmō, adhibita etiam lectione Euangelij & exsufflatione, per quam depellitur diaboli potestas inimica (ait D. Augustinus) qui hactenus infidelem possedit. Deinde imprimitur crucis signum fronti, pectori, oculis, auribus, alijsque sensibus: vt sciat. *Lib. 1. de Symb. c. 1.*

Primò, Sacramento Baptismi in animam imprimi signum Christi, id est, characterem indelebilē, quo & in die iudicij fuisse Christianus agnoscetur.

Secundò, aperiri sensus omnes ad agnoscendum verum Deum, & Dominum IESVM Christum.

Tertiò, omnibus sensibus & potentijs, Christi fidem, & Catholicam, esse palam profitendam.

Quartò, Christiano homini non Dæmonis, sed CHRISTI crucem esse ferendam. Christianam etiam vitam non esse delitijs plenam, sed laboriosam, ac proinde non esse mirandum Christiano, si in hac vita multa tristia & aduersa patiatur, quod ista sit vocatio nostra.

Quintò, Corpus ipsum effici habitaculum

lum Spiritus Sancti: quia ex signo externo præfixo domui, cognoscitur, quis in ea habitet, & quid operis in ea agatur.

Cur datur degustandum sal benedictum?

Primò, ad significandum, quod à putredine & fœtore peccatorum omnium liberetur, vt à vermibus peccatorum vltra non putrefiat, sed magis illæsus seruetur, ad maiorem gratiam percipiendam.

Secundò, quod ipsi gustus detur rerum Spiritualium, ne illa posthac insipida sint ei, quæ in Ecclesia traduntur, sed potius delectetur, videat, & gustet, quam suauis sit Dominus.

Tertiò, quod veram accipiat, & diuinam sapientiam, in omnibus actionibus adhibendam, ne quid imprudenter, temerè, aut irreligiosè agat. *Sal sapientiæ* (ait Beda) *quo initiantur Cathechumeni, in cunctis operum nostrorum sacrificijs offerre iubemur.* *Lib. 2. in 1. Esdræ. cap. 7.*

Quartò, quod per gratiam Baptismi, & corpus ipsum liberabitur aliquando ab omni corruptione.

Postquam baptizandus in Ecclesiam inducitur, quid fit?

Initio tanguntur à Sacerdote nares & aures saliua, prolatis Christi verbis, quibus aures & linguam surdi & muti tangens vsus est, *Ephata, quod est, aperire*: tali contactu significando.

Primò,

Matth. 7. Ambr. lib. 1. de Sacra. cap. 1.

Primò, quod iam verum ac viuum efficiatur Christi membrum, cum reliquo corpore capiti adhærens.

Secundò, quod aures internæ aperiantur, ne ad diuinas promissiones, comminationes, aut admonitiones obsurdescat, sed facilè intelligat vocem Domini & pastoris

Ioan. 10. sui iuxta illud: *Oues meæ vocem meam audiunt:* vt norit discernere vocem Pastoris à voce alienorum, & Spiritum Christi à spiritu Pseudoprophetarum: atque vt audiat mandata Domini sui, eaque in intimo cordis reponat.

Nares etiam attinguntur, vt aperiantur ad percipiendum odorem notitiæ Dei, vt ex creaturis non fœtorem & noxium odorē hauriat, sed suauem & salutarem animæ, id est, vt Deum in omnibus creaturis agnoscat, illis non nimis adhæreat, illas non admiretur, vel magni faciat, sed pro creaturis, rebus caducis & perituris habeat: in qua re sita est vera & Christiana scientia.

Ioan. 5. Tertiò, quod sicut Christus cæcum illum à natiuitate, luto ex saliua oculis impositio, ad aquas Siloë abluendum misit: ita baptizandus, sordibus peccatorum infectus & conspurcatus, ad baptismum lauandus mittatur.

Quid deinceps sequitur?

Ab renuntiatio: de qua B. Hieronymus

In

In misterijs (inquit) *primum renuntiamus, ei, qui in occidẽte est, nobisq; moritur cum peccatis, & sic versi ad orientem pactum inimus cum sole iustitiæ, & ei seruituros nos esse promittimus* Et B. Augustinus: *Renuntiemus Diabolo, Angelis & pompis eius: Hoc audistis, hoc & vos professi estis, renuntiare vos Diabolo, Angelis & pompis eius. Videte dilectissimi quia hanc professionem vestram in curiam profertis Angelicam, nomina profitentium in libro excipiuntur vitæ, non à quolibet homine, sed à superiore cœlitus potestate. In die Baptismatis* (ait B. Gregorius) *omnibus nos antiqui hostis operibus atque omnibus pompis abrenuntiare promisimus. Itaq; vnusquisque vestrum ad considerationem suã mentis oculos reducat, & si seruat post Baptismũ, quod ante Baptismum spopondit, certus iam quia fidelis est, gaudeat.* Et D. Ambrosius: *Quando te interrogauit Presbyter Abrenuntias Diabolo, & operibus eius, quid respõdisti? Abrenuntio, Abrenuntias sæculo, & voluptatibus eius, quid respondisti? Abrenuntio. Memor esto sermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ series cautionis. Si chirographum homini dederis, teneris obnoxius, vt pecuniam eius accipias, teneris adstrictus, & reluctãtem te fœnerator adstringit, atq; illic tua cautione conuinceris: vbi promiseris considera, vel quibus promiseris. Leuitam vidisti, sed minister est Christi: vidisti illũ ante altaria ministrare. Ergo chirographum tuum tenetur non in terra, sed in cœlo.*

Amos. 6.

Lib. 2. de symbol. ad cate. ca. 1.

Hom. 20. in Euang.

Lib. 1. de Sacra. c. 2.

Quare

Quare ista renunciatio à Catechumenis ante Baptismum instituitur?

Vt sciant Christiani: non esse solorum monachorum aut religiosorum renuntiare sæculo, sed hanc esse omnium Christianorum professionem, *vt non sint de hoc mundo; sicut & Christus non fuit ex hoc mundo*, vt deserant mundum atque omnia quæ in mundo sunt: vt cor sursum habeant ad Dominum, *exspectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei*: atque hanc professionem tam esse propriam & intimam Christianis, vt qui eam negligit, non minus censeatur reus quã religiosus violans votum suum, monasticæ professionis Vterque maledictioni est obnoxius, maiori quidem hic: ille minori, sed ambo intolerabili.

Ioan. 17.

1. Ioan. 2. Tit. 2.

Quare vngitur oleo sanctificato in pectore & scapulis?

Primò, vt sciat *se tanquam Christi athletam* (ait Ambro.) *quasi luctamen huius sæculi luctaturum*: solent enim luctantes inungi.

Lib. 1. de Sara. c. 2.

Secundò, vt *nullæ reliquiæ latentis inimici* (inquit Rabanus) *in eo resideant*: penetrans quippe oleum, significat etiam interiora quæque curari.

Lib. 1. instit. Cler. cap. 27.

Tertiò, vt sciamus Baptismi gratiam non nostris meritis, sed Christi beneficio, & gratuita beneficentia donari, quæ per oleum signi-

significatur, iuxta illud Psalmistæ: *Impingua-* Psal. 23.
stim oleo caput meum.

Quartò, quia oleum est medicamenti
species (siquidem Samaritanus infudit in Lucæ. 10.
vulnera *oleum & vinum.*) Per hanc vnctionẽ
significatur, interna vulnera animæ nostræ,
hoc est, passiones, & noxias infirmitates hac
medicina curari, fomitemque ipsum, quan-
tumuis non omninò extinguatur, at certe
debilitari, & frangi, viresque & robur spiri-
tuale nobis addi, tentationes omnes da mo-
nis & carnis expellendi, iuxta illud: *Peccatum* Rom 7.
vobis non dominabitur: quia non estis sub lege, sed
sub gratia. Qua de re pulchrè [a] Lactantius,
Firmianus, [b] Cyprianus & [c] Augustinus, qui
huius rei experientiam mirabilem, tum in se
ipsis, tum in alijs referunt. Olim quidem (vt
testis est B. [d] Dionysius Ariopagita) inungi
solebat totum hominis corpus: nunc autem
solum pectus cum scapulis: pectus quidem,
vt intelligamus mentem ipsam seu cor diui-
na virtute corroborari: scapulæ verò, quia
datur homini robur, ad iugum Christi ferẽ-
dum. Ante inungitur, & retro: vt vndique
muniatur, & confirmetur ad opera bona
præstanda, corde & corpore, voluntate, &
opere.

a Lib. 3. diuin. instit. c. 26.
b Lib. 2. Epist. 2.
c Lib. 4. Confes ca. 4 & lib. 9 cap. 14. & 6.
d ca. 2 Eccle. Hiera. In Clemẽte summa Trinit. & fide Cath. ca. 1. extra de Baptis. & eius affect cap. 3. li. 2. de Sa-

Examen de fide orthodoxa ad fontem quid sibi vult?

Primò, vt sciamus, sine recta fide Baptis-

mum nihil prodesse. *Nam qui crediderit, &*
cra. cap. 7. *baptizatus fuerit, hic saluus erit; qui verò non cre-*
Ephes. 5. *diderit, condemnabitur.*
Marc. 16.

Secundò, hoc Baptismi Sacramentum sic esse & dici Sacramentum fidei, vt per illud infantibus virtus fidei infundatur, & adultorum fides gratia Dei illustretur, formetur, & in virtutem perficiatur. Vbi vel adultus per se, vel susceptores pro infante tertio responderint, Credo: *vt multiplicem lapsum* (inquit Ambrosius) *superioris ætatis absoluat trina confessio*: & item Sacerdoti interroganti, Vis baptizari? responderint, Volo: confertur Baptismi Sacramentum corpus abluendo, & cor ipsum purgando ab omni peccato, lauacro aquæ, in verbo vitæ, inuocato nomine sanctæ Trinitatis; *Ego te baptizo*
Ephes. 5. *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

Cur baptizatus in vertice chrismate inungitur?

Vt sciat se Spiritus Sancti gratiam in hoc fonte accepisse, qui columbę specie in Christum Dominũ baptizatum descendit: tum,
Matth. 3. vt intelligat se iam inunctum interna gratia, & externo chrismate, merito posse vocari Christianum.

Quid velum siue candida vestis?

Primò significat puritatem animæ & iustitiam, qua anima iam ab omni sorde peccati purgata, tanquam candidissimo vesti-

mento

mento induitur, iuxta illud: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Ezech. 36.

Secundò, libertatem Christianam, quam hoc Sacramēto sumus assequuti, erepti de tenebris carceris, & immani seruitute diaboli.

Tertiò, lætitiam internam & gaudium Spiritus: sicut enim vestis pulla est signū tristitiæ; ita vestis candida significat gaudium.

Quartò, futuram resurrectionē, ad quam per Baptismi Sacramentum ius & pignus accepimus.

Quintò, *innocentiam Christianam* (ait Rabanus) *quam post ablutas veteres maculas, studio sanctæ conuersionis immaculatam seruare debemus, ad præsentandum ante tribunal Christi.* Quia talis exigetur à Christo, tam pura & nitida, tam ab omni sorde & puluere aliena, qualis data est in hoc Baptismi Sacramento. *Nihil enim coinquinatum aut immundum in regnum illud ingredietur.* Veteres solebant totis octo diebus, à Sabbatho Paschæ vsque ad Sabbathum sequens post Baptismum candidis vestibus vti. Vnde etiam Sabbathum & Dominica in albis nomē habent, ad inculcandam nobis vitæ puritatem, quæ Christianos post tanta dona à Christo percepta decet. Rabanus mystici illius veli candidi, quod infantibus baptizatis imponitur, etiam hanc dat significationem: *vt* (ait) *intelligant, se diadema-* Lib. 1. de instit. Cler. cap. 29.

Lib. 1. de instit. Cler. cap. 29.

tis regni, & Sacerdotalis dignitatis portatores,
2. Pet. 2. iuxta Apostolum: *Vos estis gens sancta, Regale Sacerdotium, offerentes vosmetipsos hostiam viuã, sanctam, Deo placentem.* Nam Sacerdotes in veteri Testamento, quodam mystico velamine caput, semper ornabant.

Quid, qui postremo omnium porrigitur cereus ardens?

Tres Theologicæ virtutes significantur, quæ baptizato per Sacramentum infunduntur; fides in lumine, charitas in calore, spes in cerei recta altitudine, quæ ex imò sursum ascendit, sicut spes nostra ad cœlos vsque erigitur, & nos erigit. Cæterum hic cereus datur gestandus manibus: quia nõ sufficit corde fidem, spem & charitatem retinere, nisi etiam operibus prodamus & exeramus, *me-*
2. Thes. 1. *mores* (ait Apostolus) *operis fidei vestræ*, (id est, operosæ fidei) *& laboris charitatis, & sustinentiæ spei.* Ideoque his virtutibus instructi iubemur, ire in pace, hoc est, non otiari, non quiescere, non contenti esse his, quibus do-
Rom. 6. nati sumus, sed operari, progredi *de virtute in virtutem*, ad anteriora nos extendere, & in
Cur agonizãtibus cereus detur. nouitate vitæ ambulare. Et sicut nobis in Baptismo cereus datur, ita egressuris ex hac vita redditur, vt eo tempore tali signo protestemur, (quando verbis non licet) nos Christi fidem inuiolatam retinere, charitatem

tem amplecti, & spe bona fulciri, optareque quod in nobis est, Christo sponso nostro occurrere, cum sapientibus virginibus, gestantes lampades ardentes manibus nostris, nempe propositum firmum Deo placendi & seruiendi. *Matth.25.*

Susceptorum officium quod est?

Hoc in Ecclesia antiquissimum constat, ex Dionysio Ariopagita, in eo fuisse, vt susceptor, quem patrinum vocant, susceptum in his quæ fidei nostræ sunt, instituat. Sicut enim in naturali ortu hominis, nemo sine parente nascitur, & natus pædagogo traditur erudiendus; ita Ecclesia mater Christianorum, vbi Christo aliquem genuit Baptismo, sedulo curat, ne ei desit institutor, aut Pædagogus: & non contenta parentibus carnis, qui sæpè filios ad suam consolationem, non ad Spiritualem eorum vtilitatem diligunt, iuxta sermonem Domini: *Inimici hominis domestici eius*, prouidet eis de alijs institutoribus: Quorum officium est, primò, pro infante ipso respondere, mundo renuntiare, fidem profiteri, ita planè, vt per os susceptoris infans loqui censeatur, & sese obstringere. *Cap. 2. & 7. Eccl. Hier.* *Matth. 10.* *Dion c. 2. Eccl Hierar.*

Secundò, sese obligare, ad institutionem infantis, ipsiq; Ecclesiæ testari, & fide iubere, se omnem daturos operam, vt infans iste,

vel etiam adultus, in his quæ sunt Christianæ religionis, erudiatur. Notanda est insignis admonitio D. Augustini: *Hoc itaque admoneo fratres dilectissimi, vt quoties Paschalis solennitas venit, quicunque viri, quæcunque mulieres de sacro fonte filios spiritualiter exceperunt, cognoscant se pro ipsis fideiussores apud Deum exstitisse, & ideo semper illis sollicitudinem veræ charitatis impendant, & admoneant, vt castitatem custodiant, virginitatem vsq; ad nuptias seruent, à maledicto, vel periurio linguam refrenent, cantica turpia, vel luxuriosa ex ore non proferant, non superbiant, nõ inuideant, iracundiam vel odium in corde non teneant, &c.* Similia habet sermone 215. de tempore, vbi susceptores monet, *vt spirituales suos filios, Apostolorum Symbolum & Orationem Dominicam doceant. Nam nescio* (ait) *qua fronte se Christianum dicat, qui paucos versus in Symbolo, vel in Oratione Dominica parare dissimulat.*

Serm 183. de temp.

DE CONFIRMATIONE.

Quæ est Sacramenti Confirmationis institutio?

PRomissa est Confirmatio à CHRISTO Apostolis Ioan. 16. & Actor. 1. in ipso autem Pentecostes festo exhibita.

Quæ sunt Confirmationis partes?

Materia seu Elementum est Chrisma, ab Epis-

Episcopo consecratum; quod fit ex oleo oliuarum & balsamo. Forma verò: Consigno te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: quæ forma simul & actum exteriorẽ, & effectum Sacramenti huius significat. *Fabianus. Innocent. primus ad Decentiũ.*

Operationem & effectum huius Sacramenti indica.

Is est, augmentum gratiæ Baptismatis, & collatio fortitudinis necessariæ ad superanda contraria omnia professioni Christianæ. *Melchiades in epi. ad omnes Episcopos Hispaniæ.*

Quæ Baptismi & Confirmationis differentia?

In Baptismo Dominus nos regenerat, in Confirmatione nos ad perfectum augmentum adducit. Ibi recipit ad militiam, hic munit armis. Ibi ad cœlestem hæreditatem testamento nos vocat, hic pupillis tutorem dat Spiritum Sanctum. In Baptismo efficacior est remissio peccatorum, hic maius auxilium virtutum & gratiæ ad bona perficienda, & aduersa superanda.

Pande mysticam huius Sacramenti significationem.

Oleum pinguedinem deuotionis, lucem fidei: balsamum verò optimi odoris exempla sanctitatis vitæ significat, ad quæ omnia per hoc Sacramentum virtus datur.

Verba primo consignationem significãt,

quæ fit cruce; eſíque quaſi traditio vexilli Regis noſtri, & ſigni militaris: deinde eius confirmationem, & robur Spiritus Sancti. Et quia ad hæc omnia confertur poteſtas quędam & quaſi conſecratur homo, certum eſt characterem imprimere, vt nec hoc Sacramentum iterari poſſit.

Quis Sacramenti huius miniſter, & qui eius capaces?

Ex officio atque ordinariè ſolus Epiſcopus, vtpote Spiritalis belli Dux, milites confirmat. Omnis verò baptizatus etiam infans eius capax eſt: & fortè vtiliùs eſt infantibus conferre, pro more antiquæ Eccleſiæ, quia non poſſunt opponere obicem gratię. Quanquam alia ratione, vbi facilis eſt quoduis tempore ad Epiſcopũ acceſſus, aut duodecimum, aut certè ſeptimum ætatis annum expectare conueniret, quia hoc Sacramentum ideo confertur, vt eius virtute optimè inſtructi, & parati inueniamur, cum nobis pro Chriſti fide pugnandum eſſet: ad quod ſanè pugnæ genus, pueros, qui adhuc vſu rationis carent, nemo aptos eſſe iudicarit.

Catechiſ. Roma. ad Parochos.

Qua præparatione ad hoc Sacramentum eundum?

Adultus cum accedit, amouere debet, ſi quod ſit, impedimentum Spiritus Sancti. Quare non contritus tantũ de peccatis, ſed etiam

etiam confessus accedere præcipitur, immo & ieiunus in Concilio Aurelianensi cap. 3. Id de ieiunio vsu est abrogatum. Suscepturi igitur Sacramentum hoc exhortandi sunt ad munditiam conscientiæ, & ad puram præmittendam confessionem; deinde ad desiderium augmenti gratiæ & plenitudinis illius Spiritus Sancti, ostensis effectibus Sacramenti, orationibus & ritibus Ecclesiæ, quæ circa hoc Sacramentum adhiberi solent. *De cons. dist. 5. ca. vt ieiuni.*

Quare Episcopus confirmando manum imponit?

Ad significandum. Primò, quod peculiari modo à Deo attingamur, & perfectius incorporemur, nimirum copiosius accipientes de Spiritu Christi. *Cost. li 4. c. 5. Instit. Melit. ad Episc. Hispaniæ.*

Secundò, quod digniori loco simus in Ecclesia Dei, nempe non amplius infantes & pueri, sed viri ætate prouecta, quorum est alios in certamine iuuare. *Cypria. ad Inst. Tertul. lib. de Baptis.*

Tertiò, nos Spiritu Sancto tanquam manu Dei, solidissimo scuto aduersus insultus & tela hostium protegendos.

Quartò, venialia peccata nobis remitti, atque etiam mortalia, si quæ occulta latent, quorum non succurrit memoria. Attactus enim manus significat reconciliationem & vnionem cum Deo. *Leo Epist. 88.*

Vt quid alapam impingit?

Vt sciat se talem iam militem esse constitutum, cuius pugna & victoria non in inferendis, sed in tolerãdis verberibus cernatur: sicut Apostoli *ibant gaudentes à conspectu consilij, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Christi contumeliam pati.* Actor. 5.

Secundò, vt quærat non commoda, sed incommoda huius vitæ: siquidem eius signũ & nomen in fronte gerit, *qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, omni confusione cõtempta.* Et sanè militum est, non in delitijs viuere, sed humi cubare, pondus armorum gestare, & mala multa ferre. Heb. 12.

Tertiò, vt intelligat officij sui esse, in acie stare, ictusque & tela obseruare, vnde veniant, vt tametsi corpus, honorem & opes tollant, vel lædant, non tamen animam quoquo pacto offendant.

Ex omnibus illis Baptismi & Confirmationis cæremonijs quid discimus?

Quanti momenti sit esse Christianum, qui tot mysterijs, orationibus, vnctionibus, & benedictionibus initiatur, consecratur, & perficitur: vt perpetuo meminerimus nos diuino cultui dedicatos esse, & solenni consecratione deputatos, longè sacratiùs quam vel calicem sacrum, vel templum, vel altare. Ac proinde frequenter cogitemus, maiorem iniuriam irrogari Deo, dum Christianus seipsum defœdat quouis peccato mortali;

tali, quam si calix, altare, vel templum, materiale secularibus vsibus profanetur. Sæpè id cogitandum esset, quod ex Hieremia in quotidiana lectione recitat Ecclesia: TV AVTEM *in nobis es Domine, & nomen sanctum tuum inuocatum est super nos: ne derelinquas nos Domine Deus noster.* Et illud Apostoli: *Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templũ enim Dei sanctum est, quod estis vos. An nescitis quoniam membra vestra, templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate & portate Deum in cordibus vestris.* *Hier. 14.* *1 Cor. 3. & 6.*

DE EVCHARISTIA.

Quod est huius SS Sacramenti nomen?

Diuersa sunt nomina propter excellentem eius magnitudinẽ. Continet Christum, cui nos vnit, ideoque vocatur Eucharistia, Synaxis vel Communio, quia nos inuicem vt membra vnius eiusdemq; corporis iungit: Viaticum, quia cibus est, quo in huius vitæ via sustentamur, præcipuè cum ex ea, ad Deum sumus discessuri. Dicitur & Sacrificium, quia Christum continet pro nobis in cruce oblatum, ideoque mentio fit in consecratione sanguinis pro nobis effusi; quia

Eucharistia idem est quod bona gratia seu gratiarum actio.

quia datum est Ecclesiæ, vt offerat Deo in officiũ debitæ seruitutis. Vocatur & assumptio, & transformatio græcis, & in punicis Ecclesijs, teste D. Augustino, vita dictum est.

Quæ inter hoc, & cætera Sacramenta differentia est?

Cætera perficiuntur in vsu, & applicatione materiæ ad suscipientem: hoc verò in materiæ consecratione, vt verba formæ indicant. Deinde in conficiendis alijs Sacramentis, nulla fit elementi, seu materiæ in aliam naturam mutatio. Etenim baptismatis aqua & chrismatis oleum cum illa sacramẽta administrantur, priorem aquæ & olei naturam non amittunt: In Eucharistia vero, quod panis & vinum ante consecrationem erat, effecta consecratione vere est corporis & sanguinis domini substantia, atque adeo totus dominus, verus Deus ac verus homo. Panis iste panis est ait S. Amb. ante verba Sacramentorum, vbi accesserit consecratio de pane fit Caro Christi.

Sacrosancta Eucharistia cuius rei signum est.

Tria nobis hoc Sacramento indicãtur. Primum salutaris domini nostri Iesu Christi passio. Quamobrem dominus dixit, Hoc facite in meam commemorationem, & eius Apostolus, quotiescunque manducabitis panem

panem & biberitis mortem domini annunciabitis, donec veniat, Atque hæc iam præterit.

Alterum est diuina cęlestisque gratia quæ præsens est & ad animam alendam hoc sacramento tribuitur.

Tertium quod futurum prænunciat æternæ iucunditatis & glorię plenissima satietas, qua in cœlesti patria inebriabimur ab vbertate domus Dei, quæ omnia Ecclesia Domini complectitur, cum sic canit, ô sacrũ conuiuium in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

Quare panis & vinum pro materia huius Sacramenti assumuntur?

Quia hæc duo sunt quibus communicantes homines ad iucundam plenamque refectionem, vtuntur. Ideoque amplissime ad eas res declarandas, quarum sacramenta esse credimus. Etenim Christum significant, vt vera est vita hominum, qui dixit caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. vt intelliagmus cõmunione corporis Christi, animam saturari & ad vitam ęternam nutriri non secus quam hisce elementis vita naturalis. Nonnihil etiam hæc ipsa elementa valent ad veritatem corporis & sanguinis Domini in hoc sacramento agnoscendam:

nam

ad panem & vinum in humanam carnem & sanguinem vi naturæ quotidie mutari animaduertimus, quid ni crederemus panis & vini substantiam in veram Christi carnem verumque eius sanguinem cœlesti benedictione conuerti.

3. Ex his intelligimus quid fiat: in anima etenim etsi nulla extrinsecus panis & vini mutatio appareat eorum tamen substantia in carnem & sanguinem Christi vere transit, ita tametsi in nobis nihil mutatum videtur, interius tamen ad vitam renouamur dum veram vitam in Eucharistiæ Sacramento accipimus.

4. Accedit ad hæc quod cum, vnum Ecclesiæ corpus ex multis membris compositum sit nulla re magis lucet ea coniunctio, quam panis & vini elementis. Panis enim ex multis granis conficitur & vinum ex multis botris, atque ita nos cum multi simus, huius domini mysterij vinculo artissime colligati & tanquam vnum corpus effecti declarant sed de his paulo post plenius, cum de effectibus egerimus.

Si vis plura de veritate corporis Christi Catechista, aut si auditorium tuum requirit habes pulchra & popularia in Catechismo Romano. Ibidem etiam reperies quare non se ipsum sub propria specie tradiderit.

Ideo-

Ideone tantum datum hoc Sacramentum, vt esset nobis cœleste alimentum?

Nequaquam, sed vel præcipuè vt perpetuum esset Ecclesiæ sacrificium, tum laudis gratiarum actionis, tum etiam propitiatorium, cuius vnius omnia veteris legis non nisi vmbra quædam fuerunt.

Nunquid Christus seipsum semel in cruce obtulit pro totis mundi peccatis. Et cur offerimus & nosipsi?

Perfectioni sacrificij Christi nostra oblatione nihil omnino derogamus. Sed sicut post Christi orationem adiungimus nostras, post eius mortificationē, nostram, post eius merita nostra, quibus tamen nihil putamus nos addere Christo, sed tantum nos illi appropinquare, & orationum, mortificationis, satisfactionis & meritorum ipsius participes effici: sic in sacrificio hoc agimus, vt ipsum quod de Domini manu accepimus, reddamus in gratiarum actionem, in satisfactionem, ad impetrandum beneuolentiam & gratiam eius, denique ad vitanda omnia mala & consequenda bona.

Nec potuit Saluator noster vllam suæ erga nos immēsę charitatis illustriorē significationem

nem dare, quam cum nobis visibile Sacramentum reliquit, quo cruentum illud semel in cruce immolatum instauraretur, eiusque memoria vsq; in finem seculi quotidie summa cum vtilitate ab Ecclesia per vniuersum orbem diffusa, coleretur.

In visibili illo sacrificio, quam Missam dixere maiores: quid offertur?

Hoc ipsum quod in cruce oblatum est Christus scilicet & Ecclesia, obtulit enim Christus se in odorem suauitatis, se inquam totum, omnia sua merita & membra quæ est Ecclesia.

Audire aut celebrare missam est ne Deo gratum obsequium?

Quam hæc victima, si rite & legitime immoletur, grata sit Deo & accepta, ex veteris legis sacrificijs (quæ non nisi vmbra huius fuerunt) licet colligere, de quibus scriptura dicit, Deum odoratum esse, fuisséque illi in odorem suauitatis.

Fructus siue effectus huius Sacramenti expone?

Hæc populo frequenter explicanda.

Præter illum effectum, quem forma Sacramentalis significat, conuersionem videlicet vini & panis in Corpus & Sanguinem Christi, & vltra valorem, quem vt sacrificium habet etiã ex perceptione ipsa siue manduca-

ducatione magni proculdubio diuinæ gratiæ oriuntur fructus in suscipientibus.

Quinam sunt illi?

Reducuntur omnes ij ad promotionem in omne bonum, & ad liberationem ab omni malo. Bona sunt diuinæ gratiæ collatio & augmẽtum, excitatio animi ad deuotionem erga Deum, & prægustatio dulcedinis eius, & denique perseuerantia in bono, & beatitudinis consequutio. *Vide Prax num.* 40.

Vnde Eucharistiæ esse effectus?

Ex quatuor, quæ in eo diligenter sunt considerandа. Primum id, quod continet Christum videlicet, qui causa est totius gratiæ & boni in nobis. *Gratia & veritas per IESVM Christum facta est*, inquit Ioannes: Id igitur quod in mundum veniens egit, agit & nunc veniens in hoc Sacramento in animam: & hoc certe significat illud Ioannis: *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternã.* Et apertius illud: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Vita enim propriè ad hanc Dei gratiam pertinet. *Ioan.* 1. *Ioan.* 6.

Secundum considerandum est id quod repræsentatur, in hoc Sacramento, scilicet passio ipsa Christi, vt aperte forma significat, & Paulus docet: *Quotiescunq;, inquiens, manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, &c.* Efficit igitur hoc Sacramẽtum id quod pas-

sio Christi quam repræsentat: de qua Pa-
Rom.5. lus: *Reconciliati* (inquit) *sumus Deo per mo-
tem filij eius.* Hæc verò reconciliatio est p
gratiam.

Tertium, in hoc Sacramento est modus quo traditum est à Christo, cibi scilicet & potus. Vnde operatur in Spirituali vita, quod cibus & potus in corporali. Sicut ergo per alimentum sumptum. Primò delectamur gustu & sapore, deinde corroboramur, dum id quod deperditum fuerat, virium reparatur, & additur etiam nonnihil: & demum, quamdiu sumus in ætate augmenti, augemur: ita per hoc Sacramentum, hæc omnia efficiuntur in anima: gustatur diuina dulcedo, quidquid ex quotidiana infirmitate, & consuetudine terrena deperditum est virium animæ reparatur: & quia in hac vita semper nobis proficiendum est, promouemur ad profectum per illud. Vnde non immerito cibus hic designatus est in ligno illo vitæ, quo reparabatur, & renouabatur homo, & à morte præseruabatur. Itaque non tantum quod communes illi cibi faciunt in corpore, hoc agitur in anima, sed multo procul dubio amplius: quod scilicet singularis ille cibus ligni vitæ faciebat in corpore, videlicet renouationem.
Gen. 2.

Quartum denique panis & vinũ materia Sacramenti. Significant enim panis & vinum

num primum corpus & sanguinem Christi, in quæ etiam per consecrationem conuertuntur, nam de corpore suo ipse Dominus inquit: *Ego sum panis viuus.* Et de sanguine eius Iacob dixit: *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium.* Deinde corpus ipsius mysticum, hoc est, vnitatem fidelium omnium, qui in hanc vnitatem conueniunt, non aliter, quam diuersa grana tritici & botri, in vnum panem & vinum. Ita enim Augustinus inquit in 6. cap. Ioannis: Quod propterea Dominus corpus suum & sanguinem nobis commendauerit in ijs rebus, quę ex multis in vnum aliquid rediguntur, vt significetur hæc Ecclesiæ vnitas. Igitur & hoc efficit istud Sacramentum, sicut significat: vnit omnes sumentes: & primo quidem in ipsum Christum illos transformat: deinde coaptat cæteris omnibus membris Christi. De quo Paulus apertissimè dixit: *Vnus panis & vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane & calice participamus:* apertè ostendens participationem hanc id efficere.

Ioan. 6.

Gen. 49.

1. Cor. 10.

Quid manducatio ipsa, & species panis & vini, & verba Sacramenti huius nobis significant?

Primò, admonemur egere nos alimento: sed Christum non transiturum in nos, verum

rum nos potius transituros in ipsum adeo
cum Christũ mãducamus ineffabili quo
modo, ab ipso potius, si ita dicere liceat ma
ducemur fiamusque, vt loquitur Apostolus
eius concorporales & conparticipes. Quam
si volumus veraciter viuere Christo, opus
est, vt nos permittamus conteri quasi qui-
busdam dentibus à timore Domini, & trans-
mitti velut in stomachum quendam, in con-
sideratione summæ illius misericordiæ, &
infinitæ virtutis passionis Christi, vt ita de-
mum calore illo viuifico Christi conuerta-
mur in ipsum, vt primò dicamus cum Paulo:
Christo confixus sum cruci. Deinde: *Viuo iam non*
ego, viuit verò in me Christus. Hic est huius Sa-
cramenti proprius effectus: hoc ipsum ad-
monent nos panis & vinum, quæ materia
sunt huius Sacramenti: vt videlicet, si volu-
mus membra esse corporis Christi, & ad Ec-
clesiasticã vnitatem pertinere, permittamus
nos sicut grana tritici frangi, & à propria vo-
Rom.15. luntate discedamus: vt sic simus *cor vnum, &*
anima vna, cum alijs. Hoc est enim quod Pau-
1.Cor.10. lus docet: *Vnusquisq; proximo suo placeat ad bo-*
num in ædificationem. Et de se dicit: *Non quæro*
quod mihi vtile est, sed quod omnibus. Hæc est ve-
ra Ecclesiæ vnitas in pane & vino significata
nobis, & virtute huius Sacramenti procul-
dubio quærenda & conseruanda. Deinde ve-
credimus ad verborum illorum prolationem
mo

mox creatas illas, & sensibiles alioqui substantias statim cedere, & locum aduenienti Deo relinquere: ita docemur oportere nos diuinis præceptis obtemperare; & eius audito verbo, ab omni proprio sensu, amore, & desiderio recedere, vt in Deum transeamus. Et rursum sicuti videmus creatas illas substantias, quanquam esse desierint, non tamẽ redactas esse in nihilum, sed potius transmutatas in melius, & illa sua obedientia nihil amisisse boni: ita & nos quò ad obedientiam Dei promptiores fuerimus, & minus quęsierimus nostra, eò magis perficiemur, & Deificabimur. Atq; ideo hæc nostra in Deum mutatio, quæ summa est totius religionis Christianæ, tot modis, tot figuris nobis in hoc Sacramento commendata est.

Quæ mala depelluntur eiusdem salutari Eucharistiæ perceptione?

Dum digne sacram synaxim recipimus, dimittũtur præterita peccata nostra directè quo ad culpam, ex consequenti etiam quoad pœnam, per deuotionem videlicet & cõtritionem, quam auget: à futuris autem præseruat, addendo vires animæ, & protegendo ipsam, vt merito hoc Sacramentum dicatur, & sit cibus interiora roborans, & arma atq; munimentum exterius. De quo in Psalmo: *Parasti in conspectu meo mensam aduersus omnes qui tribulant me.* Psal. 22.

Quia in praxi de præparatione dictum est, scire velim, quale sit peccatum, cum conscientia mortalis peccati accedere?

Prax. numer. 39.

Et hæc sæpissimè inculcentur.

Grauissimum id quidem est, & post ea quæ in Deum fiunt immediatè maximum.

Quam ob causam?

1. Est primò hic apertissimum mendacium in ipsum Sacramentum commissum: nam eius sumptione significamus nos contendere ad veram vnionem Christi, cuius tum re vera contrarium in mente est, quando mortali consentimus peccato.

2. Deinde cum in hoc Sacramento Christus veraciter contineatur, licet occulte: & ipse in Euangelio post peccata quæ fiunt contra Diuinitatem, ea quæ fiunt contra eius humanitatem posuerit: *Qui dixerit* (inquiens) *verbum in filium hominis*, &c. Consequens est, hoc peccatum proximum esse peccato crucifigentium Christum. Illi enim in corpus Christi sub propria specie iniurij fuerunt, isti autem sunt non minus eiusdem corporis Christi, licet non in sua specie, contemptores. Quod ipsum Paulus significauit, dum ait: *Reus erit corporis & sanguinis Domini.* Itaq; post infidelitatem, odium Dei, desperationem, crucifixionem Christi, & cætera similia peccata, quæ fiunt contra hoc Sacramentum, grauissima sunt: deinde

Lucæ. 12. Matth. 12. Marc. 3.

1. Cor. 11.

& quæ

& quæ contra cætera Sacramenta, & res alias Deo sacras fiunt : tum demum quæ in proximos committuntur. Et hæc quidem (vt B. Thomas inquit) de peccatis æstimatis ex suo genere certa sunt: quamuis ex circumstantijs possint alia esse grauiora. Itaque non dubitamus hoc peccatum maius dicere homicidio ex suo genere, quanquam illud sit magis nociuum.

Indigne communicare, Homicido maius est crimen.

Quid si accedens mortale habeat peccatum, & tamen id ignoret?

Duplici id modo contingit: Primò, ex propria culpa accedentis: cum scilicet aliquis (vel quia culpabili negligentia discutit conscientiam, vel ignorat ea quæ sibi ad salutem necessaria sunt) putat se sine peccato accedere, nec dubium est ad peccatum id imputari: & quamuis tam graue non sit, quam si cum conscientia peccati accederet, est tamen illi proximum. Alio modo fieri potest sine culpa sua: quia scilicet ignorat esse peccatum inculpabiliter: vel diligenter discutit conscientiam, nec tamen quantum necessarium erat ad consequendam peccati remissionem, & ita adhuc in peccato accedit. Et tunc non solum non peccat, sed magis ipsa susceptione disponitur, & quandoque omninò iustificatur. Et ex hoc vltimo gradu illud fit, quod in hac materia præ oculis habendum est, vt ad

dignè accedendum ad hoc Sacramentum, non alia requiratur certitudo immunitatis à peccato, quam quæ potest probabili coniectura haberi: cum scilicet quis tempus impendit quantum putat rationabiliter sufficere ad rememoranda peccata, & ad verum eorum dolorem & propositum emendationis facit sine fraude & dolo. Alioqui oportebit nos aut nunquam accedere, aut exspectare diuinam reuelationem, vel fidem Lutheranorum tenere, qua certò dicunt se credere remissa sibi peccata, non minus certò (inquiunt) quam credunt Christum crucifixũ; quæ est pestilentissima præsumptio.

Mentis euagatio, & si quæ alia in ipsa sumptione venialia peccata committuntur, impediunt fructum Sacramenti?

Potest esse aliqua mentis euagatio, quæ non solum totum fructum Sacramenti impediat, sed reum etiam faciat grauioris peccati, etiamsi præter intentionem, & sine peccato mortali contingat: potest etiam esse tam parua, & præter intentionem omnem, vt veluti nebula virtute deuotionis prætitæ dispellatur. Qui verò accedunt, in omni vigilantia & timore se custodiant, nec persuadeant sibi, se quomodocunq; accedant, fructum percipere, sciant hic maxime opus esse esurie & siti iustitiæ: quamuis non semper æstimare debeant se esse sine fructu, cum vel

vel non experiuntur deuotionis dulcedinẽ, vel aliquid distractionis patiuntur. Est porrò hoc saluberrimum Consilium, & in huius & in cęterorum Sacramentorum vsu, actualem deuotionem, & desiderium gratiæ supplere post illorum vsum. *Consilium notatu dignum.*

Quis huius Sacramenti minister est?

Solus Sacerdos consecrat, & licite administrat: quia conficit hoc Sacerdos in persona Christi, cuius personam nemo induere potest, nisi potestate ab ipso accepta. Itaque qui ab Episcopo non est ordinatus Sacerdos, quidquid dicat super panem & vinum, nullo modo existit Sacramentum.

Tenentur ministri huius Sacramenti, hoc est, Sacerdotes omnes & Episcopi aliquando celebrare?

B. Thomas ex authoritate B. Ambrosij, & ratione efficaci censet; ministrum huius Sacramẽti, Sacerdotem scilicet, etiamsi nullam habeat curam animarum, tum ex ordine ipso Sacerdotali teneri, si non frequentius, saltem in præcipuis festiuitatibus celebrare. Quod omittere etsi nonnulli putant leue esse, aut non mortale, Ambrosius tamẽ graue esse dicit: & de Sacerdotibus legis veteris in grauissimam reprehensionem dicitur, quod *non circa altaris officia dediti erant* 2. Mach. 4. Denique tantæ gratiæ diuinæ, vtilitatis Ec-

clesiæ & propriæ neglectus, quid est aliud, quam in vanum gratiam Dei recepisse? Non auderemus itaque à graui peccato liberum credere hoc omittentem, mortale verò an veniale sit, Deo relinquimus.

DE POENITENTIÆ PARTIBVS.

Quot sunt partes seu actus pœnitentiæ?

TRes esse non scriptura tantum, sed & natura docet: Nam cum filius, seruus, aut amicus, Patrem, Dominum, aut amicum læsit, aut ratione quauis in illum aliquid commisit, si reconciliari vult, primo agnoscit & detestatur quod fecit, tunc illum in quem peccauit adit, & coram eo confitetur, & agnoscit se malè feciſſe, demum offert se paratũ satisfacere pro arbitrio eius, in quem peccauit: ita etiam in peccatis contra Deum commissis scriptura nos docet, & verbis, & exemplis fieri debere; vt videlicet.

Primò, vera agnitione peccati, & detestatione coram Deo humiliemur: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me*, vel *coram me est semper*, inquit Psal. Psal. 50.

Deinde, vt & hoc ipsum, vel coram Deo solo, vel coram hominibus, sicut ad illius gloriam pertinere agnoscimus, confitea-

mur.

mur. Est enim confessio peccati in scriptura: *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meã.* Et Iob sub execratione inquit: *Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam:* cum scilicet ad Dei gloriam & salutem suam illud oportuisset manifestari. Et huc pertinet illud: *Fili mi, da gloriam Deo Israel, & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas.* *Psal. 31.* *Iob. 31.* *Ios. 7.*

Et postremò etiam docemur nos diuino iudicio subijcere, & quam ille imposuerit pœnam humiliter subire. *Ego* (inquit Psalmus) *in flagella paratus sum.* Et Hieremias: *Corripe me* (inquit) *Domine, veruntamen non in furore, sed in iudicio, ne fortè ad nihilum redigas me:* quæ tria etiam in pœnitentia Dauid de peccato Bersabeæ inueniuntur. *Hier. 10.*

DE EFFECTV POENITENTIAE.

Quæ vis & efficatia sacramenti pœnitentiæ.

Primò, efficit remissionem petere iuxta illud Ezechielis: si impius egerit pœnitentiam ab omnibus operibus suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea & fecerit iustitiam & iudicium, vita viuet, & non morietur.

Secundò. Eodem momento quo pœnitentiam veram agit peccator recipit gratiam Spiritus Sancti, imo & ipsum Spiritum sanctum, hospitem, nutricem, & rectorem

vitæ ſuæ, vt quaſi prudens & fidelis naucle-
rus per procelloſum huius mundi pelagus,
in optatum portum perducat. Vnitur Chri-
ſto vt membrum viuum capiti, vt ſic illi vni-
tus, particeps fiat influentiæ gratiarum me-
ritorum laborum vitæ eius ſanctiſſimæque
mortis.

Confeſtim adoptatur in filium Dei hære-
dem regni cœleſtis, tractatur vt filius: ſiqui-
dem ipſe curam eius ſuſcipit & prouidenti-
am, quam habere ſolet erga omnes qui illius
ſunt. Pius pater in domum ſuam recipit filiũ
prodigum, iubet illum indui ſtola prima, id
eſt veſte prioris gratiæ, eique dari annulum
arcanorum diuinæ ſapientiæ, id eſt, nouam
cognitionem rerum diuinarum quæ occul-
tæ ſunt, & ab oculis huius mũdi abſconditæ.

In illa hora exultant cœli, & canunt an-
geli laudantque Deum in excelſis & feſtos
dies agunt in aula cœleſti ob conuerſionem
noui fratris. Omnes quoque creaturæ, quæ
ante cõtriſtabantur propter offenſam crea-
toris & creaturæ amiſſionem, tunc lætantur
& dulce cantant Alleluia, ob nouam illius
reparationem. Inter omnes autem bonus il-
le paſtor qui tot laboribus & moleſtijs, per-
ditam ouem ſuam quæſiuit, & inuenit, illam
in humeris ſuis ad ouile reportat & conuo-
cans amicos & vicinos ſuos dicit congratu-
lamini mihi, quoniam inueni ouem meam,
quæ perierat. Ter-

Tertio pœnitentia reſtaurat bona quæ per peccata amiſſa ſunt ; vt ſunt virtutes Theologicæ, & infuſæ omnes, non autem acquiſitę, merita quoque virtutum quę peccatum præceſſerant.

Redeuntne peccata dimiſſa per pœnitentiam, reuertente peccatore ad vomitum?

Aliquo modo redire apertè Dominus indicat in parabola, in qua nequam ſeruus vniuerſum debitum reddere iubetur, etiam dimiſſum, quia in conſeruum immitis fuit: omninò autem & ſimpliciter ea redire, ita vt propter ea puniendus ſit, qui poſtea peccauit, nec diuinæ pietati, nec veritati Sacramẽti, nec Sanctorum doctrinæ congruit: *Sine pœnitentia enim ſunt dona Dei, & vocatio.* Quod illeigitur ſemel donauit, non repetit. *Rom.* 11.

Explica qualiter non redeant, & qualiter redeant?

Non redeunt neceſſario ſecundum inordinatam conuerſionem ſuam ad bonum commutabile: qui enim antea auarus fuit, poſt pœnitentiam poteſt fieri prodigus. Nec etiam ſecundum maculam & reatum ſuum prout à præcedentibus peccatis cauſſabatur: ſed quia efficiunt ſequens peccatum maius, & ſunt quædam circumſtantiæ aggrauantes. Cum enim tanto grauius peccemus in Deum, vt Paulus, inquit, quanto plus *diuitias bonita-* *Rom.* 2.

nitatis eius & patientiæ, & longanimitatis contemnimus, inter cætera verò bonitatis Dei dona hoc tam insigne sit, quo remissa sunt nobis peccata: peccantes verò rursus contra hoc agimus, & illud contemnimus: non possunt peccata sequentia remissionem, non tanto maiora esse, quanto plura, aut sæpius remissa sunt. Est itaque pro certo habendum, eum, qui post remissa peccata peccat, cæteris paribus tanto grauius peccare, quanto plura, aut sæpius remissa sunt ei peccata: ita scilicet, vt duobus eadem specie & affectu peccantibus, ille arctius irretitus sit, & grauius peccet, cui antea erant remissa peccata, quam qui tunc primo peccauit: & si ambobus remissa fuerint, ille plus peccat, cui plura; Quanta verò sit hæc grauitas Dei iudicio relinquendum est.

Nota.

Est ne minor ingratitudo peccantis post remissionem quam post innocentiam?

Quamuis donum innocentiæ simpliciter maius sit remissione peccati, tamen in ordine ad eum cui remittuntur peccata, tanto maior fit illi gratia, quanto indignior ea erat, & quanto fuit maior gratia, tanto est postea maior ingratitudo. Neutra tamẽ speciale peccatum est, nisi sit in contemptum beneficij remissionis peccatorum, aut cuiuscunque alterius. Obliuisci verò beneficij, aut memoratum non magni æstimare, vel

Ingratitudo quando sit peccatũ speciale.

vel propter illud nõ retrahi à peccato, commune est, sed grande proculdubiò malum. Quatuor tamen sunt peccata, propter quæ specialius dicuntur peccata dimissa redire, ob peculiarem ingratitudinem erga remissionis beneficium. Odium fraternum, hoc est illi nolle remittere, apostasia à fide, contẽptus confessionis, & dolor de pœnitentia priùs facta.

Quo in statu sunt, qui assiduè, & frequenter recidunt post actam pœnitentiam, siue in eadem quæ priùs habuerunt, siue in alia peccata?

In periculoso admodum: Secundum enim arctiùs irretit, implicat ac tenet animã quam primum, & adhuc arctiùs tertium quam secundum, & sic deinceps.

Sæpè hæc plebi propone Catechista, si animarum salus tibi curæ est.

Quæ est illa animæ implicatio?

Primò, frangitur magis virtus ad benè operandum.

Secundò, fit maior cæcitas in intellectu.

Tertiò, efficacior propensio in malum in voluntate.

Quartò, ipsum peccatum altiùs suas radices agit, & fortius efficitur in anima. Itaq; dubitari non potest, maiori opus esse conatu, & maioribus viribus ad agendam pœnitentiam, post primam remissionem, & ita deinceps post secundam & tertiam, & sic in infi-

infinitum. Rursum vires ipsæ debiliores fiunt; Deus etiam magis auersus, vt à magis ingrato: quis ergo nõ videt quantum sit periculum? Itaque opus est, vt frequenter, & nos ipsos, & alios deterreamus à facilitate hac relabendi in peccata: & multo magis ab hac ęstimatione, quod facilè sit iteratò, & infinities pœnitere: verba illa Petri subinde, & frequentius inculcanda: *Si enim refugientes coinquinationes mũdi in cognitione Domini nostri & Saluatoris* IESV CHRISTI, *his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viã iustitiæ, quam post cognitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato:* & cætera quæ eo loco dicuntur. Illud etiã Euangelij, ad quod & Petrus alludit: *fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus: timendum magis* est (vt inquit Beda) *quam exponendum.*

2. Pet. 2.

Lucæ. 11.

Ergóne desperandum sæpè relabentibus?

Valdè curandum est, ne in desperationẽ pręcipitentur peccatores: sed non parum etiam cauendum, ne patrocinium latæ huic viæ, quæ ducit ad perditionem, præstemus. Certè nos putamus (ait Petrus Soto) vehementissimè timendum illis, quos assuetos peccatis, & frequenti huic pœnitentiæ, qui nunquam efficaciter vitarunt illa, vltimus mortis articulus inuenit. Est enim in hoc loco sen-

Petrus Soto De pœniten. lection. 17.

co sententia Augustini magnæ prudentiæ & sapientiæ Christianæ consideranda. *Væ (inquit) peccatis hominum, quæ sola inusitata exhorrescimus, usitata verò (etiam si pro ipsis sanguis Filij Dei sit effusus) quamuis tam magna sint, vt omnino claudi contra sese faciant regnum Dei, sæpè videndo omnia tolerare, sæpè tolerando nonnulla etiam facere cogimur. Atque vtinam, ô Domine, non omnia, quæ non possumus prohibere, faciamus.* Ita ille in verba illa 4. ad Galat. *Timeo ne fortè sine causa laborauerim in vobis.* Quæ postea citauit ipse in Enchridio ad Laurentium. Itaque ex hoc apertè constat, quod experientia videmus, quando sæpius repetuntur peccata, faciliora videri, & ideò leuius de his agi pœnitentiam, cæterum ex dictis constat, & grauiora esse, & maiori egere pœnitentia. Timendum itaque meritò, ne in vltimo mortis articulo, eodem modo agatur pœnitentia, vt ante. Non omnem qui redit ad peccatum tam vehementer putamus terrendum, sed peccata infirmitatis etiam mortalia sunt, quæ ad modicum tempus præoccupant: cæterum consueta, & consuetudine pro nihilo aut pro minimo habita, & tamen mortalia illa, non satis possumus dicere, quam sint timenda, & quantum ab eis Christiani deterrendi.

DE CONTRITIONE PRIMA POENITENTIÆ parte.

Quod est veræ ac salutaris pœnitentiæ principium atq; origo?

2. Tim. 2. DIuinæ gratiæ operatio cor nostrũ ad se conuertẽtis: vnde Apostolus *eos qui veritati contradicunt, modestè corripiendos* monet: *ne quando* (inquit) *det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à laqueis diaboli, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatẽ.* Est igitur liberale donum Dei pœnitentia, nullis nostris meritis redditum, sed infinita Dei misericordia propter nomen suum donatum nobis, iuxta scripturæ sacrę, & Ecclesiæ definitiones. Quæ doctrina veræ humi-

Solidæ pietatis radix litatis & solidæ pietatis, vt solidum fundamentum, retinenda est.

Ex quo principio & quo ordine actus pœnitentiæ in nobis oriuntur?

Cum omnes actus pœnitentiæ in nobis sint, & ex Dei motione, & ex nostri arbitrij libertate, & qualitate, nec semper eodem principio oriuntur in nobis, neque eodem ordine procedunt. Hoc manifestissimè ipsa experientia ostendit, dum alius timore pœnarum, alius præmiorum intuitu, alius diuinæ bonitatis consideratione conuertitur,

prout

prout scilicet Deo placet, (qui habet corda nostra in manu sua) & prout affectus noster, dispositus est. Non possunt itaque sub arte & certa ratione comprehendi hæc diuinæ gratiæ admiranda opera. Quia verò suauiter Deus omnia disponit, hominesq; iuxta ipsorum dispositiones mouet, ipsa experientia docet, peccatores corporeis delectationibus affectos, facilius & communius pœnarum timore trahi.

Qui communiter inueniuntur gradus ad pœnitentiam veram?

Post primam illam diuinæ gratiæ operationem, communiter quinq; actibus, quasi quinque gradibus, ad veram pœnitentiam peruenitur.

Primus est fidei veraciter assentientis diuinis testimonijs.

Secundus, timoris seruilis, quo pœnarum consideratione à peccato, dilectioneq; eius retrahimur.

Tertius spei, quo remissionem peccatorum consecuturos nos sperantes, iam ea vt emendabilia detestamur.

Quartus veræ charitatis, quo propter Deum ipsa peccata displicent.

Quintus denique Timoris filialis, quo Deo vltro ob reuerentiam eius emendationem vitæ, & satisfactionē, prout possumus, offerimus. Hi tamen non omnes semper *De his multa &c*

concurrunt, nec quando adsunt, semper formaliter & explicitè inueniuntur.

pulchra & Paroch. & Catechistis vtilissima lecti. 8. de pœnitẽ. & lectio 9. Petrus de Soto.

Quando est necessarium de peccatis conteri?

Post peccatum letale admissum pœnitentia seu dolor animi necessaria est, tum quia remedium, tum quia à Deo præceptum, Licet verò dilatio pœnitentiæ non semper nouum peccatum sit, reddit tamen peccatum idem grauius, & peccatorem grauissimo periculo iræ Dei, destitutionis gratiæ, grauiorum peccatorum, cæcitatis mentis, ac denique damnationis æternæ obijcit. Audiendus itaque Dominus, cum ait: *Memor esto, vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: sin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo. Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ*, ait Paulus. Vnde Sapiens: *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.*

Apoc. 2.

Rom. 2.

Eccle. 5.

Quibus in casibus nouum est peccatum ob commissa non dolere?

Primò, cum periculum est præsens vitæ corporalis, aut etiam spiritualis, vt cum grauis aliqua persecutio, aut tentatio hæresis, aut alterius letalis peccati imminet, in quibus speciale Dei auxilium requiritur, & gratia eius opus est.

Se-

Secundò, cum agendum aliquid occurrit, quod conſcientiam mundam requirit, verbi gratia Sacramentum aliquod aut ſuſcipiendum, aut adminiſtrandum, ne videlicet ſacrorum violatione ſacrilegi efficiamur.

Tertiò, cum peccata memoriæ occurrunt, & homo Deum à ſe offenſum cogitat.

Quartò, cum Eccleſia, & populus Chriſtianus graui aliqno laborat periculo, ſub aliquo videlicet iræ Dei flagello. Cum enim tunc teneantur omnes iram Dei placare, tenentur peccata ſua, quibus illa prouocatur, auferre, maxime verò maiores, & ſanctioris ſtatus homines. Vnde frequentiſſimè per Prophetas increpat Dominus hunc defectum veræ pœnitentiæ inter eius flagella. *Non eſt*, inquit Eſaias, *non eſt qui inuocet nomen tuum, qui conſurgat & teneat te.* *Eſaiæ. 64. Ezech. 13.*

Quintò, cum ſe offert proximi noſtri magna neceſſitas, quam non, niſi orationibus & gratia Dei ſpeciali ſubleuare poſſumus, tenemur ad cor redire, & iratum Deum placare gemitu ac pœnitentia propriorum delictorum.

Sextò, cum quid agendum eſt, vbi diuina gratia opus eſt ad animæ ſalutem, ſiue propriæ, ſiue proximi, vt ſi quis ad martyrium raperetur, ſiue arduum aliquod opus ad ſalutem ſpectans aggrederetur. Sit exemplum huius fortis illa Iudith. Huc pertinet, quo-

ties prædicandum est verbum Dei ; quoties admonendi peccantes, & huiusmodi alia.

Teneturne festis ac Dominicis diebus sub speciali peccato de commissis conteri, qui sibi conscius est?

Hoc docti viri & sancti quidam asserunt: alijs non placet, quod conscientijs videatur laqueos inijcere. At verò id ita grauat, vt parum, vel nihil ad rem faciat, an nouum peccatum sit in festo non pœnitere. Quanto enim diutius in peccato quis hæret, & quanto plura se offerunt, quæ à peccato deterrere debent, vel ad gratiam quærendam astringunt, tanto grauius peccatur. Et hæc regula, præcepta affirmatiua non obligare nisi in necessitate, non de extrema necessitate accipienda est solum, sed cum occurrit casus, vbi recta ratio iudicat, vel iudicare debet, contra illam virtutem esse, si non fiat eius actus. In hoc autem iudicio magis credendum sanctioribus, quam argutioribus. Qui tutissimè agere volet, diligenter consideret tempus, quod in peccatis egit, & occasiones omnes quibus ad agendam pœnitentiã prouocatus est, vel exdiuinis inspirationibus, vel flagellis, siue externis admonitionibus, aut occurrentibus etiam festiuis diebus, & horum omnium, tanquam peccatum suum non parum coram Deo aggrauantium,

Regulæ de intellectu præceptorum affirmatiuorũ explicatio.

In conscientiæ casibus quorũ potißimũ iudicio stãdum sit.

tium, veraciter pœniteat, & in iudicio confessionis ita exponat, & in futurum hęc omnia diligentissimè caueat. Huc facit quod Ignatius Layola vir in conscientiæ negotio proculdubiò exacti iudicij, censuit peccatũ non leue esse, pias Pastorum Ecclesię cohortationes, sanctionesque audere aspernari ac transgredi, cum pro infidelium expugnatione, ac pace fidelium indulgentiæ conceduntur confitentibus & communicantibus.

Cum peccata per pœnitentiam dimissa memoriæ occurrunt, quid faciendum?

Respondet Hugo de S. Victore: *Deus ita peccatorẽ à culpa æterna absoluit, vt vinculo perpetuæ detestationis obliget.*

Quanta debet esse contritio seu dolor vt ad peccati remissionem sufficiat?

Requiritur & sufficit, vt ex vera Dei charitate super omnia emânet, ipsamque habeat coniunctam, si enim ille animi motus, ex alijs, quam Dei amore, procedit, non ad Deum, sed ad illud bonum ducit. Si procedit ex Dei amore, sed non perfecto, non cõiungit perfectè. *Qui itaq; non diligit, manet in morte. Et si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Hæc est: *Quæ operit multitudinem peccatorum*

1. *Ioan. 3.*
1. *Cor. 13.*
1. *Pet. 4.*

Quotuplex dolor de peccato?

Duplex: voluntatis alter, qui odium peccati, detestatio & nolitio dici potest, qui

in pœnitente ſummus eſſe debet, vt ſcilicet peccatum præ cæteris omnibus malis deteſtemur, odio habeamus,& nolimus:quoniam hic dolor reſpõdet amori charitatis, qui principatum & dominium ita habere debet in corde, vt omnia alia quæ amantur, minus amentur quam Deus.

Alius eſt dolor ſenſus,quem non neceſſe eſt ſummum eſſe.Et quamuis ſatis durus ſit, cuius mentis dolorem oculi carnei nequeunt declarare,poteſt tamẽ vera eſſe aliquando pœnitentia, quando nullus eſt ſenſus dolor.

Hic dolor qualis eſſe debet?

Integer & verus,ſicut verus Dei amor,vt excedat in Dei oculis omnem alium affectũ voluntatis; ita ſcilicet, vt animam excitet ad conuenientia opera charitatis & pœnitentiæ,& eam aduerſus contraria omnia ſic prę-muniat, vt ſecundum præſentis voluntatis ſtatum, quicquid boni aut mali occurrerit, id minus quam Deus ametur, minus quam peccatum odio habeatur : adeo vt potiùs quoduis malum incurrere velis quam peccatum,& quolibet bono priuari quam Deo.

Quis modus ac via rectè agendi pœnitentiam?

Primum, volentem agere integrè, ante omnia diuinæ bonitati, eiuſque gratiæ inniti o-

tioportet,& per humilem instantemque orationem, ante omnia gratiam pœnitendi sibi à Deo postulare necesse est. Proponendę sunt igitur Sanctorum & Prophetarum orationes, quibus tam instanter illi hoc à Deo postulant,& confitentur se id à seipsis habere non posse. Vnde illud Hieremiæ: *Conuerte me Domine,& conuertar,quia tu Deus meus.* Et quod sequitur est valde considerandum, *Post quam enim conuertisti me, egi pœnitentiam, & postquam ostendisti mihi,percussi femur meũ: Confusus sum & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.* Itaque opus est, vt Deus ostendat nobis, quales in peccato simus, & qualia sint ipsa peccata: ostendat (inquam) non tantum proponens ante oculos, sed etiam agens vt consideremus: & ita consideremus, vt consideratio penetret voluntatis ipsius intima. Itaque quoties audieris pœnitentiam, aut aliquid ad eam pertinens præcipi in scriptura, intelligas statim tibi id à Deo esse postulandum. Cum ergo dicitur per Prophetam peccatrici animæ: *Leua oculos tuos in directum,& vide vbi non prostrata sis,* statim id conuertamus in orationem, vt videlicet ipse qui præcipit, det leuare oculos, & perspicere atque perpendere, quam longè à Deo per peccatum recedamus.

Ier. 31.

Optimum & facilè exercitiũ.

Ier. 3.

Hunc orandi affectum ad impetrandum donum pœnitentiæ qua ratione excitabo?

Vide institu Christ. Pet à Soto in symbol art 10. Coniectura veræ pœnitentiæ.

Si gratiam remissionis peccati, ac iustificationis, veluti par est, plurimi facias. Nam pro nihilo aut pro minimo ducere remissionem peccati, & gratiam pœnitendi, vnum est eorum quæ maximè timenda sunt Christianis, quibus scilicet maximè indigni fiunt illis donis, sicut inter præcipua signa & coniecturas veræ pœnitentiæ, non minimum est, magni æstimare hoc donum, & ob hoc maximè Deo gratum esse.

Quibus modis inducendi sunt Christiani, vt singularem hanc Dei gratiam plurimi faciant?

Tribus præcipuè modis:

Primò, peccati grauitas quantum fieri potest exaggeranda, & mala quæ consequuntur.

Deinde extollenda remissionis gratia & dona, quæ simul in remissione peccati conferuntur à Deo.

Tertiò denique, quanta gratia, quam nullo debito, imò quantis contrarijs debitis dânationis, quam nulla nostra industria, labore vel minima attentione detur à Deo.

Quæ est peccati cuiusq; grauitas?

Non potest ea satis explicari. Est enim contemptus Dei & offensa, opere ipso atque facto abnegatio ipsius, qua præfertur creatura ipsi in corde peccantis.

Sed

Sed nihil magis immensam grauitatem hanc peccati ostendit, quam quod non sine filij sui sanguine & morte placuit Deo peccata remitti, & cum demum post hanc remissionem tanto pretio comparatam peccamus, vt Paulus ait rursus *crucifigimus* ipsum *filium Dei, & ostentui habemus*: & (vt alibi ait) *Quanto putatis deteriora mereri supplicia, scilicet* quam transgressores legis veteris, *qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Quid potest in peccati exaggerationem grauius dici? Toti Trinitati contumeliam infert, sanguinem Christi polluit, ipsum Christum conculcat. Hebræ. 6. Hebræ. 10.

Gratia remissionis quantum est donum?

Hoc ex eo colligas, quod Deus nos reconciliat sibi, & veram nobiscum init amicitiam atq; fœdus. Quid verò maius quam amicum esse Dei? *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Et quam intima hęc amicitia, per quã tota Trinitas nos inhabitat? *Ad eum* (inquit) *veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Spiritum quoque suum nobis dat, vt Ioannes inquit: *In hoc cognoscimus, quia in eo manemus, & ipse in nobis, quoniã de Spiritu Sancto suo dedit nobis. Proprio filio suo non pepercit, sed* (vt Paulus inquit) *pro nobis omnibus tradidit illum*, vt merito quod sequitur summum hoc Dei donum commendet; *Quomodo cum illo nõ omnia* Psal. 138. 1. Ioan. 4. Rom. 8.

nobis

nobis donauit? Itaque hoc Dei donum non satis dignè commendari potest, de quo merito illud Saluatoris ad Samaritanam dicere possumus: *Si scires donum Dei.* Denique B. Augustinus tanti hoc opus iustificationis facit, vt verba illa Christi: *Qui credit in me, opera quæ ego facio ipse faciet, & maiora horum faciet*; de hoc iustificationis opere exponens, quod cooperante Deo, nos etiam facimus. *Prorsus* (inquit) *maius hoc esse dixerim, quam est cœlum & terra, & quæcunque cernuntur in cœlo & in terra. Cœlum enim & terra transibit, prædestinatorum autem, id est, eorum quos præscit salus & iustificatio permanebit. In illis tantũ opera Dei, in istis etiam imago Dei.* Et denique Angelorum creationi hoc opus ibi conferens: *Non* (inquit) *hic audeo præcipitare sententiam, intelligat qui potest, iudicet qui potest, vtrum maius sit iustos creare, quã impios iustificare. Certè enim, si æqualis est vtrumq; potentiæ, hoc maioris est misericordiæ.* In quibus verbis magna est commendatio huius diuini doni. Si Deus propter hominem aliquem nunc integrum mundum, non minorem, quàm hic est quẽ habemus, de nouo crearet, crearet cœlum & terram, & cætera omnia, Angelos & cuncta Spiritualia quanti fieret? Et tamen absque comparatione iustificationis opus maius est.

Tract. 72. Ioan. 14.

Quo merito perditi tantam gratiam obtinemus?

Donat

Donat nobis gratias pius ac misericors Dominus, nullo merito nostro, Apostolo dicente: *Commendat Deus charitatem suam in nobis. Quoniam cum adhuc inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Quantum verò hoc, vt cum post hoc beneficium, inimicos nos constituerimus, rursus nos inuitet ad amicitiam & recipiat: *Pro Christo* (inquit Paulus) *legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus per Christum reconciliamini Deo.* Denique & ita trahit, vt nisi traheret nequaquam redire possemus: *Nemo venit ad me nisi pater meus traxerit illū.* Merito itaque gloriatur Deus: *Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me.* Et illud: *Non propter vos ego faciam domus Israel, sed propter nomen sanctum meum.* Itaque qui peccauit, se quasi in profundissimā voraginem deiectum atque à se ipso præcipitatum cogitet, & absorptum à vi atq; tempestate profundissimi maris, non aliter certè quam Ionas fuit in ventre ceti, & ita opus est, vt oret & clamet ad Deum pro gratia pœnitentiæ, sciens quod non possit se magis à peccato excutere, quam demersus ille, ex tanta profunditate potuit emergere. Hinc sunt voces illæ Prophetarum: *Intrauerunt aquæ vsque ad animam meam, infixus sum in limo, profundi, & non est substantia*, hoc est, vires meæ ad resurgendum. *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Propterea clamat:

Rom 5.
2. Cor. 5.
Ioan. 6.
Esaiæ. 43.
Ezech. 36.
Ioan. 2.
Psal. 68.

Sal-

Saluum me fac Deus. Et inquit: *Laboraui clamans,* &c. *Dum spero in Deum meum.* Ecce sola hæc spes restat. Et post pauca, orat, eripi omnino sibi diffisus: *Ego verò orationem meam ad te Domine, tempus beneplaciti Deus. In multitudine misericordiæ tuæ,* &c. Quæ attentius sunt consideranda. *Eripe me de luto,* &c. *Non me demergat tempestas aquæ,* &c. *Neq; vrgeat super me puteus os suum. Lapsa est in lacũ vita mea, posuerunt lapidem super me. Inundauerunt aquæ super caput meum, dixi, perij. Inuocaui nomen tuũ Domine de lacu nouissimo. Tota abyssus vallauit me, pelagus cooperuit caput meum.* Quibus omnibus exhortandi sunt peccatores, & stimulandi ad orandum pro dono pœnitentiæ, & admonendi, vt cum ita orauerint, etiam agnoscant sibi orandum esse, vt eis hoc gratis à Deo donetur.

Thren. 4.

Ionæ. 2.

Post hanc orationem quomodo actio pœnitentis fieri debet?

Primò vires animæ interiores diligenter colligendæ, & ab omni mentis euagatione, seu meditatione alienarum rerum reuocandæ sunt, atque ita in quiete & tranquillitate in consideratione bonitatis diuinæ, & malitia peccati exercendæ, atque ex his affectus pij in Deum eliciendi, non semel atque iterum, sed frequentissimè, & quidem cum conatu proficiendi.

Qui

Qui probabo an affectus pœnitentiæ meæ verus & integer sit?

Inuestiga an opera pœnitentis ac conuersi facias, quorum summa est vera & seria vitæ mutatio, de qua Augustinus in Enchiridio. *Cauendum est* (inquit) *ne infanda illa crimina, qualia qui agunt regnũ Dei non possidebunt, quotidiè putentur perpetrãda, & eleemosynis quotidiè redimenda. In melius quippe mutanda est vita, & per eleemosynas de peccatis præteritis propitiandus est Deus.* Ista itaque mutatio vitæ, præcæteris est cogitanda, & in omnibus actibus pœnitenti præ oculis constituenda. Nulla re apertius agnosci potest, vera pœnitentia, quam in futuris cauendis, non solum peccatis, sed etiam occasionibus, vel tentationibus, vel societatibus & periculis illis, ex quibus prolapsum se quis agnoscit. Igitur veram vitæ mutationem requirit Augustinus, & proculdubio requirenda est maximè à consuetudine peccandi, à facilitate pro minima re transgrediendi mandata Dei, denique à vita liberiori atque laxiori, quæ sine Dei timoris freno præceps agitur, licentiosa libertate. Cap. 70.

Quam requiris à verò pœnitente vitæ mutationem?

Illam putamus sufficere, (vt condescendamus, quantum fieri potest, fragilitati nostræ) qua viuitur saltem sine quotidiana transf-

transgressione præceptorum Dei, sine contemptu illo, quo pro nihilo fere & sola negligentia & incuria, mortaliter peccatur. His enim nihil periculosius putamus in vita: vsque adeo vt vehementissimè putemus, timendum esse de salute eorum, quos in istis extrema inuenit hora. Vbi id obseruandum quod de omnibus peccatis mortalibus agimus, etiam illis, quæ præter magnum proximi damnum leuiter committuntur: de periurio videlicet in leuibus aut iocosis; inhonestis aut tupibus colloquijs aut cogitationibus, aut internis delectationibus, & similibus, à quibus maximè putamus esse timendum in vita Christiana. Itaque (vt valdè suauiter & blandè loquamur) qui vitam ita instituit, vt à consuetudine peccandi, & facilitate se cohibeat, quanquam nonnunquam labatur etiam in mortalia, etiamsi aliquando frequentius, modo non pro nihilo ducat, non contemnat pœnitentiam vel posthabeat, satis mutasse viam videri potest, modo in hoc conetur proficere, quod omni Christiano quidem, sed pœnitenti maximè putamus necessarium.

Quæ inuita maximè timenda.

Quando Confessio nulla est propter defectum contritionis?

Primò, quando habet propositum contrarium contritioni, videlicet peccatū committendi, vel commissum placet.

Se-

Secundò, quando vel ipse pœnitens certè in se deprehendit defectum pœnitentiæ, vel ipse Sacerdos id apertè aduertit, vt si statum peccati deserere nolit, vel manifestas occasiones vitare, & similia.

Tertiò, quando talis ac tantus est defectus, vt si pœnitens ac Confessarius suo functi fuissent vtrimq; diligenter officio, ipsum deprehendissent. In omnibus his sacrilegiũ & nouum peccatum committitur, & repetitione confessionis opus est.

DE CONFESSIONE.

Quid de Confessione altera pœnitentiæ parte sentiendum?

CONfessionem omniũ peccatorũ mortalium, quæ post diligentem inuestigationem memoriæ occurrunt, coram Sacerdote absoluendi potestatem habente, ita esse necessariam, vt sine ea re ipsa, vel voto facta, peccata ipsa nullo modo remitti possint, idque ex ipsius Christi institutione.

Qua ratione id probas?

Promisit Dominus Petro remittendi potestatem peccata primum: Deinde cæteris Apostolis, quam & post resurrectionem cõ- Matt. 16. & 18.

tuliſſe teſtis eſt B. Ioannes, cum ipſis apparēs
Ioan. 20. inſufflauit & dixit: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur, & quorum retinueritis, retēta ſunt.* Apoſtoli itaque eorumq; ſucceſſores, à Domino iudices conſtituuntur, ad diſcernendū eos, quibus remittenda ſunt peccata, ab his, quibus retinenda. Fruſtrà verò hoc factum eſſet, niſi ſubditi eſſent illis rei omnes: ridicula namque eſſet iudiciaria poteſtas: cui nullus eſſet ſubditus. Cum itaque omnes ex Chriſti inſtitutione, de peccatis non aliquibus, ſed omnibus à Sacerdotibus iudicari debeant, & remedium penes illos repoſitum ſit, neceſſe eſt, omnes quæ norunt peccata confiteri, & medelam ſuæ infirmitatis ab ipſis depoſcere.

Quando cœpit vſus Sacramentalis Confeſſionis?

In ipſis Eccleſiæ primordijs, atque ipſo Apoſtolorum tempore. Scribit enim B. Lucas, quod Paulo apud Epheſum docente, & miraculis confirmante Doctrinam, *multi credentium venerint, confitentes & annunciantes actus ſuos.* Vbi & de combuſtis libris eorum
Actor. 19. qui fuerant curioſa ſectati, fit mentio, cuius
Num. 5. rei & in veteri Teſtamento, & in Ioannis
Leuit. 5. 6. & 7. Baptiſmate non obſcura præceſſerunt deliniamenta.
Matth. 3.
Mar. 1.

Cur

Cur tantopere placuit Christo, tam graue onus imponere hominibus in lege summæ libertatis?

Primò, ad frangendam superbiam humanæ elationis, seque ipsum cognoscendum, plurimum conducit confessio.

Deinde, quod ad peccati satisfactionem & cauenda futura, pudor ille valet plurimũ, & apud Deum & apud homines.

Denique, ad peccata detestanda, & ad certiorem doctrinam circa mores à Sacerdote accipiendã, & ad auferendam noxiam securitatem ac desperationem, & ad consequendum non minimam consolationem, exaudita absolutione, est ipsa confessio vtilissima.

Difficultatem illam, qua re leniendam arbitraris?

Primò, succurrat certissima fides, subiectio ac reuerentia, quæ Christo & Ecclesiæ debetur. Persuadeat sibi certo fidelis quisq; non potuisse quicquam excogitari, aut imponi à Domino fidelibus suis, suo sanguine redemptis, nisi ob maximam eorum vtilitatem, & nisi ille id ita lenire posset, vt omnis quæ videtur amaritudo & difficultas, conuertatur ab eo in dulcedinem.

Secundò, magna est consolatio in re tam necessaria ad salutem, habere consilium & testimonium prudentis & timentis Deum,

& amiciſſimi,& qui etiam ſub propriæ ſalutis periculo,quantum poteſt homo, certum reddat pœnitentem, ſitque apud Deum veluti fideiuſſor.

Poſtremò ſummæ eſt miſericordiæ Dei, homines dare, qui non vt homines tantum, ſed vt Dei etiam miniſtri, & conſulere,& efficaciter operari poſſint, & teneantur, quæ ſaluti noſtræ procurandæ neceſſaria ſunt.

Quando in peccato mortali exiſtentes confiteri obligamur?

Vulnera abſque remedio & curatione geſtare, res eſt pleniſſima periculi. Sunt verò caſus tres, quibus euenientibus, ſi quis in mortali delicto eſt, & non confiteatur, ad vetera ſua peccata nouum adijcit.

Primus, tenentur qui rationis participes ſunt omnes anno quolibet,ad minimum ſemel,confiteri.

Diſtinct. 17.c. Omnes vtriuſq; ſexus.

Secundus,eſt in articulo, & probabili periculo mortis, quod qui tunc ſciẽs prudenſque negligat confiteri, cum habeat in conſcientia peccatum letale, non ſolum propter illud punietur, verũ etiam ob tranſgreſſionem diuini præcepti de Confeſſione.

Tertius eſt, quando ſuſcipiendum eſt Sacramentum Euchariſtiæ, aut quodcunque aliud Sacramentum, vt quorundam nõ improbabilis eſt opinio, ſicuti & aliorum non eſt reijcienda, qui ad alia recipienda, contritionem ſufficere exſtiment. Ex-

Extra ordinem posset quispiam ad confessionem obligari, ipso iure naturæ, vt si nunc sit Confessarij copia, quem scias te alias non habiturum: aut si graues tentationes vrgeant, & peccandi pericula, quibus non nisi crebriori confessione obuiare possis, sed hæc specialia.

Quis Confessionis minister?

Solus Sacerdos ordinariam vel delegatam in pœnitentem habens iurisdictionem. Alteri facta confessio nulla est, nec quicquã valet absolutio, quia videlicet sententia lata ab eo, qui iudicandi potestatem non habet, irrita penitus & inanis est. In mortis tamen articulo cuiuis Sacerdoti Ecclesia auctoritatem concessit periclitantem audiendi atque absoluendi.

Qualis esse debet Confessio?

Voluntaria, præmeditata, diligens, integra, accusatoria, propria, contrita, verecunda, humilis, spei plena, vera, nuda. *Ex Methodo confessionis.*

Quare voluntaria?

Quandoquidem optimus quisque Christianus liberè & voluntariè, non solum ex consuetudine, timore, aut verecundia humana, sed verò salutis propriæ desiderio confiteri debet, alioqui Confessio non esset Deo accepta, nec homini salutifera: vtpote quæ non procederet ex charitate: sed tan- *Huc Catechista in Praxi. nu. 32. remittens. Voluntaria.*

tum ne homo omnibus esset despectui, tanquam ab auito more recedens, quanquam & hæc possint mouere.

Quæ sunt præmeditanda confessuro?

Præmeditata, seu vt alij dicũt, discreta.

Homo debet præmeditari, quomodo in Confessione dicet, quæ coniunctim, quæ diuisim. Hoc est, quod dicunt alij prudentem seu discretam oportere esse Confessionem, qua prudentia in quęrendo idoneo Confessario maximè opus est.

Quanta diligentia opus est?

Diligens.

Debet idem tantam diligentiam adhibere, ad peccata sua in memoriam reuocanda, & vitæ anteactæ subducendam rationem Sacerdoti Dei vicario, quantam adhiberet, si pro re temporali, eaq; ardua & magni momenti reddenda foret ratio. Alijs plus temporis, alijs verò minus necessarium est ad examinandam conscientiam : secundum quod in breuius aut longius tempus, confessionem distulerint, aut interea magis minusué soliciti fuerint de peccatis suis memoriæ committendis. Sicut pro euitanda morte corporali, omnimoda diligentia obseruatur : ita expedit vt pro recuperanda æterna vita omnis cura ac diligentia cautius adhibeatur. Augustinus: *Cum gaudio debet facere immortalis futurus, quæ faceret pro differẽda morte moriturus.* Itaque pœnitens paratus sit face-

facere pro animæ vita recipienda, quæcunq; faceret pro corporis morte vitanda.

De confessionis integritate quid sentiendum?

In Confessione ex industria peccatum mortale, tam certum quam dubium, cum circumstantijs necessarijs non est reticendū, Deus enim dimidiatam Confessionem nō accipit, nec dimidiatam veniam dat, quia nunquam ab vno peccato quempiam absoluit, quin eadem opera ab omnibus absoluat: Quod si confitens negligit discutere cō-scientiam suam, id apud se parui faciens, & aliquid Confessioni necessarium omittat, integram non facit peccatorum Confessionem. *Integra.*

Satisné fuerit mihi vt à Confessario interrogatus de peccatis bona fide respondeam?

Vtut sese hoc habeat, certè non expedit, & raro benè confitētur, qui quasi in proprijs peregrini, nihil de se referre norunt, sed ad interrogata tantum respondent. Quocirca peccator debet se accusare, peccata sua Sacerdoti exponere, & antequam Confessario se-se præsentet conscientiam suam examinare, & non expectare quoad vsq; Sacerdos eum de singulis interroget. Dumque peccata exponit non debet sibi parcere: non Deo suam culpam ascribere, non fortunæ, non con- *Accusatoria.*

ſtellationi, non diabolo, non ſodalitati, non mundo, non complexioni, non carni, ſed debet circumſtantias aggrauantes explicare, culpamque omnem (ſalua narrationis veritate) in ſe transferre. Non enim peccatum eſt niſi voluntarium. Auguſtinus: *Rectus eſt, & benè inuocat Deum, qui in omnibus malis, quæ patitur, ſe accuſat, non Deum, & in bonis, quæ facit, non ſe laudat, ſed Deum.* Sicut enim repellit Deus peccata ſua defendentem: ſic recipit confitentem. Apud quem iudicem iuſtum & miſericordem, qui ſe de peccato accuſat, ille ſe Excuſat, & qui ſe de peccato excuſat, ille ſe accuſat.

Propria.

Suntnè aliorum peccata in Confeßione detegenda?

Prudentiæ eſt eligere Confeſſarium qui non norit criminum conſortes, quando id commodè fieri poteſt

Nequaquam, ſed qui de peccatis confitetur, de ſuis tantum, non de alienis peccatis confiteatur, & eorum qui in ſcelere fuerunt participes nomina diſſimulet ſilentio, niſi peccati ſpecies exprimi non poſſit citra declarationem eius, qui criminis conſcius & particeps fuit.

Contrita ſeu lachrymabilis.

Quæ cordis compunctio in enarrandis peccatis requiritur?

De peccatis eſt confitendum cum diſplicentia omnium peccatorum mortalium commiſſorum, ſupra omne odibile, & cum propoſito vitandi omne peccatum mortale,

le, supra omne vitabile, de quibus quando amplius compungimur, tanto magis peccatorum vincula, quoad pœnam relaxantur. Sunt igitur cum dolore & amaritudine cordis peccata in memoriam reuocanda. Nequaquam enim verè pœnitentiam agit, qui ex peccatorum recordatione suorum, nullam habet Spiritus tribulationem, quod quidem reprobis est peculiare.

Verecundiam in Confessione requiris?

Omninò, sed non eò vsque progredientem, vt quod explicatu necessarium est, vel dissimuletur, vel extenuetur. Pœnitens peccata sua cum pudore, & verecundia explicare debet, sic vt inde turpitudinem vel fœditatem propriæ animæ erubescat. Quæ verecundia ex Dei gratia ascribitur ad partem satisfactionis, si pro Dei amore amplectendo superatur. Bernardus: *Ideò iubemur confiteri peccata, vt erubescentiam habeamus pro pœna.* Erubescentia enim magna est pœna: & ideò qui pro Christo erubescit, dignus est misericordia, siquidem quâtum displicet Deo impudentia peccatoris, tantum eidem placet verecundia pœnitentis. Sunt tamen, qui, vt minus verecundentur, quia in idem peccatum sæpè recidunt, frequenter Confessariũ mutant: cum potius deberent ad maiorem verecundiam eidem sæpius & clarius confiteri. Horum infirmitas tolerabilis est. *Verecunda*

Quam animi submissionem exigis?

Humilis. Confessio quatuor modis debet esse humilis.

Quantum ad intellectum vt pœnitens agnoscat se miserrimum peccatorem, & venia indignum.

Quantum ad affectum, vt Confessario, & diuino iudicio se subijciat.

Quantum ad linguam, vt cum reuerentia & tremore, quasi coram Christo peccata sua exponat.

Quantum ad actus exteriores, vt vir pœnitēs aperto capite (si patitur sanitas) ob reuerentiam Christi & Sacramenti, flexisque genibus humiliter sua explicet peccata. Melior est, enim in malis factis humilis confessio, quam in benefactis superba gloriatio. Non potest autem cor humiliari coram Sacerdote in confessione, nisi priùs fuerit contritum. Vnde in Psalmo dicitur: *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Priùs dicitur contritū, & postea humiliatum. Hinc fiet, vt pœnitens promptè subeat pœnam & satisfactionem in illo iudicio moderandam, sitque, vt requirunt nonnulli, confessio parere parata.

Confitens qua spe debet esse?

Spe nixa. Nimirum se posse à Deo veniam consequi, quantumcunque peccauerit, si modo in confessione facienda suo strenuè perfungatur

gatur officio. Quandoquidem pœnitentia, quæ ex fiducia non proficiscitur est inutilis & expers veniæ, manetq; sine misericordia.

Licetne ex humilitate, de peccatis quæ non feceris fateri?

Ex humilitate id proficisci nequit, cum humilitas quæ virtus est, cum veritate non pugnet. Proinde in confessione nihil falsi ex industria homo debet inferere, fictè se laudando vel vituperando: quia esset mendacium in iudicio Sacramentali, & faceret iniuriam iudici, id est, Confessario, Christi vicario. *Vera.*

Quam denique nuditatem deposcis?

Confessio debet esse nuda, absque obscuritate verborũ occultante peccata, aut peccatorum circumstantias. Omnia enim peccata quantumcunque turpia, exponenda taliter sunt, vt Confessarius plenè ac clarè intelligat, cum circumstantijs aggrauantibus. Cauendum valdè, ne aut Rhetoricis coloribus, aut alijs minus ad rem pertinentibus, aut denique multiloquio, aliquo, vel ornetur, vel oneretur confessio. *Pura seu nuda.*

Quæ ex illis omninò necessariæ sunt, adeò vt sine ipsis nec Confessio, nec Absolutio quicquam valeat?

Duæ sunt, Prima, vt sit cum peccatorum *Ex instit.*

rum

Sacerdot. Pet. Soto.

rum contritione, lachrymabilis, vt dicunt, cuius defectus magna ex parte, vel nullum reddit Sacramentum ipsum, vel fructu eius & vtilitate priuat.

Secunda, Integritas est, vt nihil scilicet omittatur, cui cohæret veritas: Nam ex ipso Christi præcepto in huius Sacramenti institutione, necesse est omnia mortalia, quorum sibi quisq, conscius est, secundum speciem & numerum, quantum pro humana fragilitate fieri potest, vni eidemque Sacerdoti integrè confiteri. Sunt inquam confitendæ species omnes, quæ diuersam habent malitiam moralem, vt furtum & rapina, fornicatio simplex, & adulterium, non autem quæ eandem, vt diuinatio per somnum, per garritus auium.

Numerus vt sit in Confessione explicandus.

Quod ad numerum attinet, numerus certus, certò manifestandus: Dubius conuenientiori modo quo fieri potest. In peccatis in quibus diutiùs perseueratum, diuturnitas potiùs & frequentia & propensio voluntatis in peccatum explicanda, quam numerus.

Quæ circumstantiæ peccatorum in Confessione explicandæ sunt?

Circũstantiæ varian tes speciẽ explicandæ in Confessione.

Quando propter circumstantiam species peccati mutatur, quia videlicet aliud præceptum violatur, erit illa vna cum opere necessariò, explicanda, verbi gratia vulnerare seu occidere, peccatum est contra præceptum

tum quintum, si id facias vt fruaris aliena hæreditate, aut vxore, contra nonum, aut decimum delinquis.

Quæ multiplicãt peccatum in eadem specie.

Secundò, quod de circumstantijs variantibus speciem dictum, id etiam de illis, quæ transgressionem mortalem eiusdem speciei, vel contra idem præceptum addunt, est intelligendum. Vt si quis furetur centum, vt totidem alia possit furari. Occidit Petrum vt ei detur oportunitas, vt Ioannem occidat. Itaque quot, vt ita dicamus, malitiæ mortales sint in actu quem quis confitetur, manifestandum, siue eiusdem, siue diuersæ speciei.

Quantitas in infinitũ augens.

Tertiò, quantitas quæ auget in infinitum, per quam fit, vt quod alioquin veniale esset, fiat letale omninò confitenda est, vt in furto, illata iniuria vel violentia. Potest enim quod ex sua natura veniale tantummodo peccatum est, in casu aliquo mortiferum esse, vel ex erronea operantis conscientia, vel prauo fine proposito, vel scandalo dato, vel denique cõtemptu præcepti seu præcipientis. Cum verò interssit omnium hoc ipsum probè nosse, clarius exponet hoc Catechista exemplis ab ijs petitis, qui conscientiæ casus enodant.

Quantitas efficiens vnum peccatum.

Quartò, quantitas quæ non quidem auget in infinitum, sed idem peccatum mortale facit æquipollere multis peccatis eiusdem spe-

sum mortale æquipollere plurib. speciei minoribus, iuxta probabilem ac fermè certam sententiam, in confessione est exprimenda. Qui enim mille aureos furatus est, forte non minus peccauit, quam qui decies centum, proinde non videtur sufficienter suam conscientiam manifestare, si dicat, se semel magnam pecuniæ summam sustulisse. Quia verò non minus, imò magis gra-

Quãtitatis affect⁹ peccantis. uat peccatum magnitudo affectus, quo peccatur, quã magnitudo effectus, quando hæc est manifestissima, & vt ita dicamus insolita, dignum est vt manifestetur. Verum quia gradum affectuum nostrorum non facilè metiri possumus, nõ sunt de hac re inquietandi qui confitentur, sed monendi, vt cogitent, quanto affectu Deum offenderint, tanto & maiori eos pœniteat.

Locus. Quintò, circumstantia loci sacri in furto, sanguinis, aut seminis humani effusione explicanda, quando hæc actu exteriori sunt completa. Loco enim corporali, non nisi externis & corporalibus fit propriè irreuerentia. De interioribus anxiè curandum non est: Confiteatur quisq; quam potest plenius & manifestius, & Sacerdos sit contentus in his omnibus mediocri cognitione.

Sextò, circumstantia personæ, quæ peccat, aut circa quam peccatur, etiam si grauet peccatum, si tamen non grauet infinitum, vel variet speciem, non est necessariò confi-

tenda,

tenda, vt cum nouam transgressionem inducit, quod fit, quando peccatur contra ea, ad quæ ex statu suo quis obligatur. Si itaque Sacerdos fornicetur, aut religiosus furetur, explicanda est personæ circumstantia, quia contra votum agit vterque. Si periuret aut alium temerè iudicet non item, etsi hæc ipsa in illis, sint grauiora. *Vide S. Tho. 22 q. 136.*

Tempus.

Septimò, an sacri temporis circumstantia sit confitenda, quando quispiam peccauit, diuersæ sunt Doctorum opiniones. Vnde etsi fortè non sit necessarium, expedit tamen vt sentiat dolorem pœnitens, quod & festis diebus ne quidem à peccando destiterit, & laudabiliter se de hac impietate accusabit.

Octauò, publicè & coram alijs peccare, atque ita sui peccati alios participes facere, siue inducere quouis modo, scandala sunt. Scãdala sunt noua peccata, ac proinde Confessario detegenda. *Scandalũ.*

Conscientia.

Nonò, qui ex eo solo peccat, quia contra conscientiam est, quod facit, necessariò id explicabit. Qui sæpè in idem facinus recidit, expedit vt idipsum aperiat, & conueniens adhibeatur medela. Vulneribus namque inueteratis, efficaciori remedio opus est. *Peccati eiusdem crebra reiteratio.*

Nunquam in Confessione scienter peccatum subticere licet?

Cum sine graui scandalo vel periculo pecca-

peccatum manifestari non potest, siue id sit ex culpa Sacerdotis, qui probabiliter prouocandus ad malum, vel Confessionem reuelaturus putatur: siue ex alia quauis causa, quærendus est alius cui confiteatur, aut si alium habere non potest, alijs peccatis manifestatis, omittendum id vnde periculum, & confitendum quando absque periculo poterit. Non tamē ideo peccati alicuius manifestatio omittenda, vel circumstantiæ, quod inde cognosci possit persona fortè, cum qua peccatum est, nisi hoc ipso reueletur confessio. In hoc enim casu omninò omittendum est hoc peccatum, vel quærendus alius Confessarius, à quo persona quæ illi confessa est, non cognoscatur, ac proinde neque peccatum eius.

In reseruatis an vni omnia, an reseruata superiori & alia inferiori exponenda sint, & an absolutio etiam diuidi possit, quæstio est; qui facit quod in sua diœcesi receptum, satis tutus est.

Quid si oblitus fuero alicuius peccati?

Si diligenter conscientiam tuam, antequam confitereris discussisti, quantum scilicet bona fide putasti sufficere, vt in memoriam reuocares peccata tua, confessus es integrè quantum in te est, nec opus est confessionem iterare, sed quod oblitus fueras explicandum. Si verò ex negligentia & incuria discu-

Notandū.

discutiendi conscientiam, & rememorandi peccata contingit obliuio, tunc negligentia illa imputatur, & perinde est, ac si noluisses integrè confiteri, quare nulla est illa confessio & tota repetenda.

Quantam verò in discutienda conscientia diligentiam adhibere oporteat, iam suprà expositum est.

Hæc diligentia adhibenda est, non solum circa peccata, vt enumerentur, sed & circa dolorem seu contritionem, & examẽ ipsum, quo expendenda sufficientia vtriusque.

DE SATISFACTIONE.

Quæ est satisfactio Sacramentalis?

Quam minister Christi ex vi & potestate clauium iniungit pœnitenti, pro qualitate criminum & propriæ dispositionis: *Misericordia enim & veritate redimitur iniquitas.* Isaias clamat: *Subuenite oppresso, iudicate pupillo, & defendite viduam, & venite & arguite me dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, velut niue dealbabuntur, & si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt.* Prou. 16. Esaiæ. 1.

Ad quid prosunt satisfactiones?

Ad abolendam pœnam, quæ remanet culpa remissa, ne ad recidendum simus faciles, peccatorum simus memores, ad humiliationem, imitationem, & configuratio-

nem Christi crucifixi, *vt videlicet mortificati*
2. Cor. 4. *nem Iesu Christi, semper in corpore nostro circum*
feramus.

Nunquid & vltrò satisfactiones susceptæ
prosunt?

Prosunt vtique, sed quæ imponuntur Deo sunt gratiora, ac pœnitenti multo vtiliora, quia fiunt ex obedientia, qua se subdit iudicio Christi, & ex virtute clauium, & maiori participatione passionis Christi, & meritorum ipsius, quæ sine dubio virtute clauium applicatur pœnitenti vltrà propriam eius dispositionem.

Satisfactionis qualia sunt opera?

Satisfactio est recompensatio quædam diuinæ offensæ. Qui verò alterum offendit, vsurpans quod sibi illicitum erat, non satis est, vt ab iniusta vsurpatione desistat, sed & offerat oportet, illi aliquid, quod alias licitè sibi poterat retinere: atque ita sibi auferat bonum, quo alioquin licitè vti poterat, vt ita deijciatur & humilietur coram eo quem iniustè læsit. Hoc verò non est aliud quam opus quoddam pœnale, siue ieiunium quo corpus affligitur: siue oratio & compunctio, qua animus: siue eleemosyna qua anima & corpus.

Infirmitates, aduersitates, aliaq; flagella diuinitus immissa satisfaciunt etiam pro pœna peccatis debita?

Quamuis pœna offendenti ab offenso infligta, vindicta potius quam satisfactio censenda sit, diuina tamen pietate pro satisfactione acceptatur, cum voluntariè ac patienter perferuntur aduersitates.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ Vnctionis.

Quare extremam vocas vctionem?

VEl quia datur in extremis agẽtibus, vel quia inter alias Ecclesiæ vnctiones hæc sit vltima: vnguntur enim Catechumeni baptizandi, vnguntur & baptizati à Presbyteris, vnguntur ab Episcopis in Confirmatione, vnguntur denique Sacerdotes & Episcopi, vltimo demum infirmi.

Visibile elementum seu materia huius Sacramenti quæ est?

Oleum oliuarum consecratum ab Episcopo, iuxta quod Iacobus Apostolus in Ecclesia obseruandum apertè dicit, non instituens quidem, sed promulgans institutionem Christi: *Infirmatur quis* (inquit) *in vobis,* Iacob. 5.

inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus & si in peccatis fuerit, remittuntur ei.

Quæ est forma huius Sacramenti?

Per istam sanctam vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid peccasti per visum: & similiter in alijs membris.

Quæ significatio & effectus eius?

Tria apertè attribuit hùic Sacramento B. Iacobus: Infirmi saluationem, alleuiationem, & remissionem peccatorum, si quæ habet.

Proprius itaque effectus Sacramenti huius est, confortatio & robur contra vltimæ infirmitatis, & mortis ipsius, atque humanæ trepidationis, ex peccatorum præteritorum, & imminentis Dei iudicij consideratione, tristitiam, angustiam, & deiectionem: ita videlicet vt roboratus animus, nec ipso dolore infirmitatis, nec alijs quæ iam dicta sunt, grauetur, sed in hilaritate, & bona spei fiducia omnia superet, quod significant ea verba: *Alleuiabit eum Dominus.* Hoc est, quod dicunt quidam deleri reliquias peccatorum, seu debilitatem illam, quæ ex peccatis orta, tunc maximè nocere posset, cũ instant tanti conflictus, & ab infirmitate ipsa & ab hostibus.

Hic

Hic effectus quomodo significatur?

Vnctione ipsa atque oleo, quod ad labores est vtile, & hilaritatis effectiuũ, & in medicamentis non solum est maximè lenitiuũ, sed & penetratiuum atque efficax. Et propterea cum maximè exhilarari oportet homi. *Theoph. in Mar. 6.* nem, & leniri difficultates in operanda salute nostra, & infirmitatem ipsam penitus roborari, in articulo videlicet mortis, adhibetur hoc Sacramentum.

Cum vngitur infirmus quid cogitare debet?

Se veluti atletham Christi consideret, ad vltimum certamen munitum, multo magis interius abundantia gratiæ, quam exterius oleo, ideoq; nihil sibi timendum esse à quauis contraria virtute. *A fructu enim frumẽti, vini, & olei multiplicati fideles in pace requiescunt.* *Psal. 4.* Sic qui nos *adipe frumenti satiat*, veluti alimẽto in hoc sæculo *posuit fines*, nostrum ingressum per Baptismum, & egressum per Sacramentum Vnctionis, *pacem.*

Quid sibi vult illud: Oratio fidei saluabit infirmum?

Alius indicatur huius Sacramenti effectus, confert enim & corpori sanitatẽ, cum id aut saluti infirmi, aut Ecclesiæ conuenit, non quidem miraculosè & subito, sed Dei prouidentia virtute Sacramenti.

Quæ peccata remittuntur per Extremam Vnctionem?

Si in peccatis (inquit B. Iacobus) *est, remittuntur ei*, nulla distinctione peccatorum posita, credendum itaque est virtute gratiæ hoc Sacramento collatæ, si quæ reliqua sunt peccata, quæ vel per ignorantiam, vel per infirmitatem in alijs Sacramentis remissa non sunt, ea remitti, & quoad culpam, & quoad pœnam, & quoad reliquias, dum in animo excitatur deuotio & charitas.

Minister huius Sacramenti quis est?

Quia confertur peccatorum remissio, minister non debet esse Sacerdote inferior, & quia commune est omnibus fidelibus, nec debuit Episcopis reseruari, ad Presbyteros itaque, quod & sanctus Iacobus dicit, eius administratio pertinet.

Quibus hoc Sacramentum conferendum?

Quod ad leuamen extremæ infirmitati iustitutum solis infirmis, qui iuxta humanam æstimationem, morti appropinquare videntur, dandum est. Et quanquam nimia festinatio non sit probanda, magis tamen euitanda est nimia dilatio. Hoc Sacramentum est medicina Christianis desideranda & amplectenda, cum de morte rationabiliter timetur, non verò solum cum desperatum est de vita. Non enim qui hoc Sacramentum suscipiunt, persuadere sibi debent, sine spe vitæ se esse debere, imò verò magis cre-

Nota.

credendum est, quod & ad viuēdum, si Deo placuerit, & citius conualescendum ab infirmitate prosit, vel certè ad tranquillius & quietius moriendum.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Quis huius Sacramenti auctor atque institutor est?

Christum ipsum esse B. Paulus testatur, cum ait: *Idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non litera, sed Spiritus. Si autem ministratio mortis in gloria fuit, quanto magis ministratio Spiritus erit in gloria?* 2. Cor. 3.

Quare Ordines voluit Saluator noster esse?

Primò, hoc ad dignitatem humanæ naturæ, atque Ecclesiæ) quam Deus templum & sponsam suam vocat) non parum conducit. Dum scilicet Deus tantam potestatem dat hominibus.

Secundò, ad mutuam vnitatem, & charitatem conseruandam, plurimum valet, dum alij ab alijs necesse habent diuina suscipere: & alij ea possunt præstare alijs.

Tertiò, denique, ad humilitatem quæ tantopere ad dona Dei consequenda, seruanda & augenda necessaria est.

Cur diuersis Ordinibus, functionibus & gradibus ministri sunt distincti?

Primò, relucet non parum diuina Sapientia, in hac diuersa quidem, sed vnitissima graduum & ordinum distinctione, ostenditurque illius gloria, & considerantes in admirationē prouocantur, non minus quam in pulchritudine totius vniuersi, quæ ex diuersis quidem, sed ordinatissimis perfectionibus creaturarum constat. De hoc enim dictum est in Psalmo, vt Augustl. legit, *Deus in gradibus eius cognoscetur*: Ecclesiæ scilicet, quæ tanta graduum diuersitate ordinata est: & in altero Psal. *Omnis gloria eius* (scilicet Ecclesiæ) *ab intus in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.* Hoc itaque meritò in admirationem adducit considerantes multò magis, quàm ordo familiæ Salomonis reginam illam Saba, in stuporem adduxit.

Secundo, sed & hoc humana infirmitas requirit, qua fit vt vnus nō possit multa implere, & multis satisfacere: opus igitur est, vt alij ab alijs sumant auxilia. Quare multitudo ista ordinata ministrorum, mirum in modū confirmari Ecclesiam, vt merito propter hoc de ea dictum sit: *Terribilis vt castrorum acies ordinata.*

Tertiò, denique hac ratione diuinæ perfectiones & dona pluribus communicantur, & excitantur plurimi ad perfectam sanctam-

ctamq; emulationem, de qua Paulus dixit: *Æmulamini charisnata meliora*: atque ita multi præparantur ad perfectionem, & paulatim per tot gradus, ad meliora prouehuntur. Estque in Ecclesia latitudo maxima, de qua dictum illud etiam intelligi potest, quod tamen principaliter de cœlesti Hierusalem dictum est à Christo: *In domo Patris mei mansiones sunt multæ.*

Quid sentiendum de illis qui ordines è medio sublatos volunt?

Qui Ordinem ex Ecclesia tollere conantur, nil aliud agunt, quam vt ex domo Dei pulcherrima ac fortissima, Babilonem efficiant confusionis & deformitatis.

Quanta est huius Sacramenti dignitas?

Post Sacramentum Eucharistiæ, ad quod omnia alia ordinantur, hoc omnium est maximum, quippe quod ad illa omnia tradenda & perficienda est institutum.

Quæ est Ordinum necessitas?

Vt actus Ecclesiastici legitima auctoritate in Ecclesia, quæ domus DEI est, exerceantur. Nullus siquidem in Ecclesia potestatem habet actum Ecclesiasticum exercendi, nisi vel à Christo Domino domus suæ, vel ipsa Ecclesia ei sit commissum. Porrò, CHRISTVS DOMINVS post resurrectionem dedit Apostolis potestatem remittendi & retinendi peccata, consecrandi in Cœna, Baptizandi & *Nota diligenter.*

di & docendi cum eos mitteret. Denique gubernandi Ecclesiam, regni cœlorum traditis clauibus. Hæc autem semper necessaria sunt in Ecclesia, opus fuit itaque hanc potestatem in Ecclesia perpetuò manere, quod fieri non potest, nisi per eos in alios transfundatur. Soli igitur illi hanc habent potestatem, qui eam legitima traditione Apostolorum, vel ab ipsis, vel ab eis, quibus illi tradiderunt, suscipiunt.

Quid? nullo modo actus Ecclesiasticos exercere potest non ordinatus?

Sunt quidam actus, qui omnem virtutem naturalem excedunt, vt nihil omninò fiat, sine diuina virtute, vt consecrare Christi corpus, absoluere à peccatis: quos si non ordinatus exercere tentet, in cassum laborat, ac nihil prorsus efficit. Sunt alij qui naturaliter fieri possunt, sed nec licitè, nec iustè vsurpãtur, nisi ab ijs qui vocati, ordinati, & missi sunt. Qualia sunt baptizare extra casum necessitatis, prædicare Euangelium, & omnes actus inferiorum ordinum. Potest quidem fieri, vt aliquis in domo, cui administratio non commissa adulterinis clauibus aperiat & dispenset, sed veluti fur & latro id faciet, iuxta illud Domini: *Qui non intrat per ostium in ouile ouium hic fur est & latro* Quicunque igitur quicquam exercet in Ecclesia, illa non ordi-

Iean. 10.

ordinante, nec præcipiente, aliunde intrat, & non per ostium.

Potestas hæc à quibus confertur?

Ab his solis qui præsunt, & quidem visibili & manifesto aliquo signo tradi oportet. Ecclesia enim est domus Dei ordinata, hominibus visibilibus & corporalibus composita, vnde necesse est, vt ab aliquo gubernetur, & quidem iuxta humanum morem. In humana autē domo vel republica, cum potestas alicui traditur quicquā administrandi, fit hoc verbis & signis quibusdam, non rarò etiam solemnitates adhibentur, vt in inauguratione Doctorum, Equitum, Regum, Imperatorum. Hoc igitur in Ecclesia necesse est aliqua ratione fieri.

Quid est potestas Ordinis?

Spirituale quoddam donum, quod accipientem in gradu aliquo supra populum constituit: vt ordinari nihil aliud sit, quam potestatem, quæ character est, accipere ab Ecclesia aliquo sensibili signo.

Quid confert Ordo?

Potestatis huius traditione, ac characteris impressione datur auxilium & gratia, qua ordinatus vel iustificatur, vel proficit in iustitia, vt actus illius ordinis dignè ac rectè obeat. Quocirca ordinatus sibi dictum putet: *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est* 1. Tim. 4.

ta est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterij. Et iterum: *Propter quam causam admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.*

Quales ordinandi esse debent?

Masculi, legitima ætate, conuenienti doctrina, sine crimine ac pronitate ex peruerso habitu ad vitia, & sine impedimentis iure ipso statutis, vt sunt seruitus, defectus natalium, & irregularitas. Qui huiusmodi non sunt, suscipiendo graue committunt sacrilegium. Similiter & ordinantes nisi de his diligenter discutiant ordinandos. Et quod ad vitæ sanctitatem attinet, non solum ipsa peccata mortalia actu siue reatu præsentia, sed etiam pronitas in ea, & peruersa habilitas meritò impedit, à tantæ sanctitatis ministerijs & gradibus. Hoc significant apertè Pauli verba ad Titum & Timotheum, presbyteris & Diaconibus dicta: Non cupidum, non elatum, non vinolentum, non percussorem.

Huius neglectus omnium malorum est origo.

Examen ordinandorum quale requiritur?

Proculdubiò talis requiritur discussio, qua prudenter & veraciter iudicare possit, qui vel subditum suum ordinat, vel permittit ab alio ordinari, idoneum illum esse, ad huiusmodi onus officij.

Quid sibi vult corona Clericorum?

Est signum regalis dignitatis, & eo ostendunt

dunt Ecclesiæ ministri, se ad cœlestium rerum contemplationem paratos, superiores mentis suæ vires liberas habere, vt in Deum tendant, nec velamen aliquod inter Deum & illos esse. Similiter & præcisio capillorũ, superfluarum omnium cogitationum & curarum, quibus à diuinorum contemplatione impediri possent, præcisionem significat.

Rab. lib. 1. de Inst. Cler. c. 3. Mag. d. 2. & Schol. ibidem. Dionysius Areopag.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Quem habet in Sacramentis locum Matrimonium?

VLtimum certè & necessitate & dignitate. Necessitate quidem, quia duo hæc Ordo & Matrimonium, non singulis hominibus, sed toti Ecclesiæ sunt necessaria: & inter ea illud consulitur vt perfectius: hoc verò infirmitati nostræ conceditur, sed significatione præcipuum. Significat enim diuinæ & humanæ naturæ in Christo indiuiduã vnionem, & Christi vt capitis cum Ecclesia arctissimam coniunctionem.

Quem effectum operatur?

Contrahentibus dignè datur in eo gratia & auxilium supernaturale ac gratuitum, ad dignè, & sanctè vtendum Matrimonio, & perpe-

perpetuò seruandam fidem, ac ad non recedendum à perpetua vinculi huius indissolubilitate.

Quæ sunt ad integritatem Matrimonij necessaria?

Primò, consensus legitimus contrahentium, qui per verba aut alia signa exteriora, quæ formæ locum obtinent, exprimatur. Vnde 1. nec pueri ante vsum rationis, nec amentes aut furiosi, qui lucida interualla non habent, possunt matrimonium contrahere. 2. Vt absit error personæ aut conditionis seruilis, quam liberam esse putauit contrahens. Vis etiam & metus, si in contractu interueniunt, reddunt matrimonium nullum. Tertiò, Conditio apposita matrimoniali contractui, suspendit consensum vsque ad sui expletionem, modo conditio illa possibilis sit & honesta. Inhonestę verò & illicitæ, si sint contra substantiam ipsius matrimonij, & propria eius bona, reddunt ipsum nullum: aliæ inhonestæ reijciuntur tanquam non adiectæ.

Secundò, vt absint impedimenta, quæ illegitimas reddant personas & ineptas ad matrimonium contrahendum, vt sunt præcedens & perpetua impotentia ad actum matrimonialem, votum solenne, ordo sacer, & ligamen seu matrimonium iam contractũ.

vide Prax. num. 58.

Tertiò, vt absint impedimenta, quæ etsi non

non simpliciter reddunt inhabilem ad contrahendum matrimonium, sed in ordine ad alterum, vel quia contrahentes omninò dispares sunt, & ideò inepti vt coniungantur: vt sunt cultus disparitas, vel tam propinqui, vt non conueniat eos arctius coniungi: vt sunt affinitas, cognatio, naturalis, spiritualis, & legalis & publicæ iustitiæ honestas. Crimẽ item quod quatuor casus in se continet. Primò, Homicidium solum: quando scilicet vterq; tam coniunx, qui reliquus est, quam qui cum illo post mortem alterius vult contrahere, operam dederunt homicido coniugis. Secundo, Homicidio coniunctum adulterium: Si enim alter coniugum adulteratus est, & deinde machinatus in mortem alterius, nullo modo cum adultero matrimoniũ contrahi potest. Tertiò, cum adultero datur fides de contrahendo post mortem alterius. Quartò, multo magis si de facto contrahatur matrimonium reddit nullum.

Quæ sunt impedientia contrahendum, sed non dirimentia contractum?

Præter interdictum Ecclesiæ, & tempus, quo non licet matrimonium solenniter celebrare, numerantur hæc septem delicta, quibus in Matrimonium ipsum peccatur.

1. Incestus cum coniugis consanguineo.

2. Vxo-

2. Vxoricidium. 3. Occisio Clerici. 4. Solemnis pœnitentia. 5. Susceptio filij ex sacro fontein fraudem matrimonij. 6. Raptus alienæ sponsæ. 7. Scienter cum moniali contrahere. Iure autem naturali impediunt matrimonium contrahendum votum simplex castitatis, aut religionis quod castitatem includit, & sponsalia de futuro.

Quid sunt sponsalia?

Promissio futurarum nuptiarum & matrimonij, quæ & in exteriori Ecclesiæ iudicio, & in conscientia coram Deo obligat ad sui impletionem.

Qui possunt sponsalia contrahere?

Omnes illi qui contrahere matrimoniũ licitè possunt. Vnde si impedimentum etiam solum impediens adsit, irrita facit sponsalia. Non enim valet promissio rei, quæ iure prohibetur impleri. In sola ætate est discrimen. Nam cum ad matrimonia contrahenda ætas pubertatis requiratur, quatuordecim annorum in viro, duodecim in muliere: ad sponsalia sufficit ætas in qua incipit vsus rationis, quando scilicet homo potest capere ab alijs rationem aliquam de prouidentia futurarum rerum. Hæc communiter reputatur ætas septennij, tam in viro, quam in muliere.

Quomodo soluuntur sponsalia?

Per

Per receſſum alterius ad remotiores partes, aut longioris temporis lapſum, infirmitatem grauem nimis debilitantem aut deformantem, ſuperuenientem fornicationē, & mutuum amborum conſenſum. Promiſſiones parentum vel tutorum, non ſunt validæ, niſi ab eis probentur, quorum nomine factæ ſunt.

Vt clandeſtina matrimonia nulla & inania ſint, & reliqua de hoc Sacramento pete ex 24. Seſs. Concil. Trident. de reformatione Matrimonij. Præcipue verò parochi & Catechiſtæ, doceant ac inculcent Auditoribus, ꝙ ſancta ſynodus hortatur vt coniuges ante benedictionem ſacerdotalē in templo ſuſcipiendam, in eadem domo non cohabitent, & vt antequam contrahunt vel ſaltem triduo ante matrimonij conſumationem, ſua peccata diligenter confiteantur, & ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pie accedant.

Indignum autem eſt atque intollerabile & ſumma cum irreuerētia coniunctum quod parochi quidam dicuntur permittere imo & iuber eſponſis vt communicent eodē die, quo nuptiæ ſolenniter celebrantur, quo die & pridie ita occupantur circa nuptialis conuiuij apparatum aliaque, vt vix de alijs cogitare poſſint vt non dicam diem totum in

conuiuio ac tripudijs transigi. Nec dubium est scandalizari huiusmodi nomine plurimos.

Nec dissimulent anathematis vinculo ipso facto parentes alioqué obstringi, qui liberos suos, aut alios quoscunque quouis modo directe aut indirecte cogant quominus libere matrimonium contrahatur.

Sess. 24. c. 9. de refor. Matrimonij.

Esseque maxime nefarium matrimonij libertatem violari, & ab eis iniurias nasci à quibus iura expectantur.

CA-

CAPVT QVINTVM.

DE OFFICIIS IVSTITIÆ CHRISTIANAE.

OFficia iustitiæ Christianæ, quantum capiunt rudiores breuiter ac dilucidè cõplexus est Canisius, ad quem Catechistam remittimus. Absolutiora Theologi sunt, aut eius qui conscientiæ casus, qui casus. Nos verò pauca quædam de peccatis capitalibus tantum delibabimus, conscientiæ ex professo tractat.

DE CAPITALIBVS PECCATIS.

Septem illa peccata cur capitalia nuncupantur?

QVia ex illis aliâ quã plurima vitia, quasi vnius capitis multa ac diuersa membra oriuntur.

Hoc ipsum manifestè declara.

Habent hæc vitia fines quosdam, bona scilicet in quæ tendunt, vel mala quæ fugiunt, humanæ infirmitati admodum desi- *Soto in additionibus. Metho. Confes.*

derabilia, multumq; ipsam mouentia; quo-
niam non parum participant fœlicitatis &
beatitudinis veræ: quanquam falsè quidem
in eis, & ignorantiæ humanæ & ægritudi-
tantum verisimiliter inueniatur. Nam ex-
cellentia, quam inanis gloria quærit, suffici-
entia, quam sperat auaritia ex diuitijs: dele-
ctatio, quam Gula & Luxuria sequuntur,
vera quidem & solida, ipsissima sunt beati-
tudo. Sed hæc est humanæ cœcitatis condi-
tio misera, vt à veris his bonis exulans, vm-
bras eorũ amplectatur in his terrenis. Quid
ardentiùs carnales homines cupiunt gloria
& laude, sufficientia & abundantia rerum
omnium, delectatione & gaudio? Quæ cer-
tè si vera quærerent, non errarent, gloriam
scilicet *quæ à solo Deo est*, veras & proprias di-
uitias, non falsas & alienas, de quibus duo-
Psal. 111. bus dictum est: *Gloria & diuitiæ in domo eius*
denique meras & stantes delectationes de
Psal. 15. quibus dictum: *Delectationes in dextera tua vs-
que in finem*, quod est, sine fine: non verò mo-
mentaneas, atque ideò & breuitate propria
& varietate rerũ, in quibus collocatæ sunt,
multis admistas tristitijs. *Risum* (inquit Sapi-
ens) *reputaui errorem: & gaudio dixi, quid frus-
stra deciperis?* Interim tamen trium horum
bonorum, fallacium etiam, aut eorum cu-
iuslibet amor & cupido carnali menti inhæ-
rens, in quanta peccata ad ea consequend
homi-

hominem agit præcipitem? quæ meritò dicuntur filiæ cupiditatis illius, à qua exortæ sunt. En igitur quatuor capitalia vitia: Inanis gloria, Auaritia, Gula & Luxuria.

Vnde tria reliqua?

Illa aliud non sunt, quam horum propugnatricia, & quasi defensores & vindices: atque ideò, quoniam à contrarijs illorum bonorum fugiunt; etiam efficaciſſimè mentem mouent prioribus deditam. Nam inuidia gloriæ propugnatrix, quàm angitur de alieno bono quod proprio detrahit? Et in quanta mala cogit ad id impediendum? Ira omnium desideriorum vindex, quam fortis est in animo quem possederit? Denique tristitia & Acedia animæ succumbentis, & carentia falsorum, quæ amat bonorum, in dejectione dolentis, quanta potest in homine conante ipsam euadere? Hęc igitur sunt septem horum capitalium ratio, & nomen, & adulterinum germen.

Quantum inest culpæ hisce peccatis?

Non sunt quidem hæc omnia vitia semper aut mortalia aut grauiora, nec plurima quidem eorũ ex sua propria natura (quod dicunt ex suo genere) etiam si pleno atque integro consensu committantur: vt est nimius & immoderatus amor pecuniæ, aut

gloriæ, vel certè cibi alicuius nimia auidit
aut satietas.

Primò, itaque circa quodlibet horum peccatorum materia ipsa, circa quam delin-quit quodlibet, attentiùs agnoscenda, vt vi-deri possit, an sit vel necessaria, vel contrari charitati. Nam ex hoc iudicium sumendum est, an mortale vel veniale sit tale peccatum ex suo genere.

Deinde, quantum quolibet actu circa ta-lem materiam offendatur, nam ex materiæ paruitate, quod de se mortale est, fit veniale: sicut parua læsio corporis proximi, vel fur-tum rei minimæ.

Vltimò, deliberatio ipsa & voluntas pen-sanda, an plena & integra sit. Nam sine hac etiam non fit peccatum mortale. Hæc tria rectè considerata, ostendent, quanti pecca-torum illorum actus sint habendi.

Parui igitur pendenda erunt?

Imò verò maximi: Ideò enim capitalia dicuntur, vt intelligas, singula multa secum adferre alia vitia, vti membrorum multo-rum corpus. Vnde Gregorius duces exerci-tus hæc peccata appellat, quoniam *præcedunt* (inquit) *atq; præueniunt mentem, quæ sequuntur innumeræ aliæ turmæ, quasi exercitus.* Itaq; nul-lum horum vitiorum est, quod si mentem possederit, non in multa mortalia etiam peccata, aut eorum pericula frequenter tra-

hat

hat: & tunc quidem ipsum iam mortale fit hac misera generatione prolium. Inordinatus amor habendi, Periuria, Furta, Vsuras & Simonias operatur; vide quam miseras filias.

Cognitionis horum septem capitalium vitiorum quisnam est vsus?

Primò, horum vitiorum cognitione vtere ad conscientiam examinandam, & teipsum agnoscendum, vt apertè intelligas, in quod horum naturæ tuæ corruptio sit propensa. Vix est enim qui nõ in vnum aliquod horum naturæ nostræ infirmitate sit procliuior, & nonnunquam quidem ex alio in aliud, misera quadam colligatione venitur: Profuerit tamen plurimum, nosse quæ sit in corde prima radix, vnde alia oriantur. Itaq; sicut præceptis Dei primo vtendum est, vt Deus ipse eiusque voluntas agnoscatur: ita his peccatis vtamur ad nos nostramque malitiam agnoscendam: illa sunt sequenda, hęc fugienda atque vitanda. In illis, quando hæc mortalia sint: & grauiora, agnosces: in istis, vnde ad illorum transgressionem veneris, quo scilicet exitu & progressu ad diuinam inobedientiam ventum sit.

Secundò, quod ad iudicium confessionis attinet, vtere etiam illis, vt non tantum diuinorum præceptorum transgressiones aperias: furta videlicet, periuria, detractio-

nes, odia; sed etiam ex qua radice, an ex auaritia, vel potius ex inani gloria, aut Inuidia illa admiseris, manifestes. Hęc enim ita se inuicem augent, vt (verbi gratia) auaritia in illa prorumpens ostendatur mortalis: & illa ex auaritia aut Inuidia facta, nouam contrahant malitiam.

Tertio, quod ad studia vitæ pertinet, in præceptis quid agendum, & à quo abstinendum sit, habes: in peccatis verò istis, quid in teipso expugnaturus sis, & quid te ad illa transgrediendum trahat.

DE NOVISSIMIS GENERATIM.

Ad quid confert nouissimorum memoria?

De nouissimis Costerus. lib. 3.

AD omnia peccata declinanda, virtutesq; complectẽdas, nihil tantam adfert vim & momentum, atque rerum nouissimarum consideratio: quæ cum ad vniuersos homines pertineant, & magnitudine sua atque atrocitate metum vehementem incutiant, mollire solent duritiam animorum nostrorum, & petulantiam refrænare, idoneosque nos efficere ad audiendam, capessendamq; veritatem. Sed & mala omnia atque incommoda

moda vitę huius assidua horum commemoratione æquiori animo feruntur.

Mortem cæteraq; hominis nouissima multine metuunt?

Sunt nonnulli, qui ita securi omni flagitiorum generi se dedunt, atque si neque supplicia post hanc vitam vlla improbis constituta crederent, neque Deum esse, qui iustè sit iudicaturus. Vix enim fieri potest, vt in sceleribus viuat securius homo Ethnicus, qui nihil vnquam audiuit de rebus futuris, quam homines plerique Christiani, qui dicunt se credere pœnas acerbissimas ac sempiternas peccatis propositas. Alij in rebus humanis prudẽtes, toti in terrenas curas effusi, prudentiam suam ad futura non extendunt, senes non aliter quam iuuenes, & voluptatibus vacant, & pecunijs colligendis, honoribusque augendis student. Vix est denique in omni ordine, sexu, & ætate, qui mortis futurorumque nouissimorum suorum metu tangatur, nobilis, ignobilis, eruditus, indoctus, senex, iuuenis, Ecclesiasticus, secularis. Nulli itaque vel pauci metuunt mortem, & quæ ipsam sequuntur.

Ignorant forte pleriq; mortem ipsam imminere, & terribilissima horrendaq; post mortem instare.

Ignorarent? Nemò sanè Christianorũ est,

qui hæc non firmissima fide credat. Sed vel nullam, vel exiguam horum considerationem adhibēt. Si quis enim attentè frequenterque secum expendat, quid tandem post vitam istam consequatur, facilè intelliget, quam verè sit à Sapiente dictum: *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Eccle. 7.

Et primò quidem, salubri mortis timore commouebitur.

Secundò, omni cum diligentia modos ac vias excogitabit, mala illa euadēdi, quæ mortem sequuntur.

Tertiò, cum intelligat ad hanc rem plurimum valere Ecclesiæ Sacramenta, conabitur conscientiam quidem primò per confessionē purgare, deinde sacratissimo Christi corpore frequenter se reficere, & aduersus impetus Dæmonis communire.

Quartò, hac nouissimorum cogitatione commotus, & Sacramentis adiutus, paulatim clarè perspiciet, quanta sit in mundo vanitas, quanta malitia, quanta pericula. Itaq; vilescet mundus, & quicquid à mundo proficiscitur, & omnem suam operam in eo ponet, vt nihil habeat cum mundo commune.

Quintò, debellabit praua animi desideria, & malas inclinationes conabitur studiosa virtutum contrariarum exercitatione delere.

Sextò,

Sextò, domui suæ, rebusque prospiciet, omniaque probè constituet, ne quid felicem ex hac vita discessum impediat.

Septimò, occupabit mentem cœlestium rerum cogitatione, & eò vsque progredietur, vt cum B. Paulo *cupiat dissolui, & esse cum Christo.* Philip. 1.

Tum solidum firmumque gaudium in eo nascetur, nec mortis memoria conturbabitur; sed spe cœlestis gloriæ erigetur, & mirificè consolabitur, iuxta Christi admonitionem: *His fieri incipientibus, suspicite, & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Luca. 21. At verò qui huic mundo dant operam, neque cogitationem mortis admittunt, neque ad verba, quæ de morte habentur, attendunt: plerique etiam rident, & si forte cogitant, id faciunt tanquam de re aliqua ad se non pertinente, more eorum, qui illa, quæ nunquam futura sunt, speculantur.

At mortis memoria commoueri etiam sæculo huic deditos videmus.

Commouentur quidem nonnunquam morte sociorum, & exhorrescunt, sed exiguo tempore: sicut cum sus iugulatur, grunniunt aliquantisper alij, qui audiunt porci, & cibum præ metu deserunt, sed mortua ea, metu & grunnitu omni posito, ad pabulum reuertuntur.

Docti,

Docti, prudentes, ac senes decrepiti nunquid sibi prouident?

Vt vt vulgus se habeat, id certè est non parua admiratione dignum, viros probos, prudentes, veritatis studiosos, & de rebus minoris momenti vsque adeò sollicitos, atque in damnis exiguis præcauendis sedulos, ipsos etiam senes atq; decrepitos, cum sciant illa quæ nobis post mortem euentura sunt, tanti esse ponderis, vt inde salus æterna dependeat; tam certa, vt fide teneantur; tam propinqua, vt hoc ipso die accidere possint: ex animo suo posse eorũ cogitationem deponere. Si enim non minus euenire potest, vt ante diem crastinum, ex hac vita abreptus æternas pœnas apud inferos perferam, quã vt cras iacturam centum aureorum faciam: Cur, bone IESV, in vtroque deuitando, par saltem studium & industriam non adhibeo? cur pro aureis illis tantoperè sudo? pro sempiternis ab anima mea cruciatibus demouendis nihil cogito?

Quæ sunt deplorandæ illius cæcitatis causæ?

Quibus artibus à cõsideratione nouissimorum dæmõ nos auocet.

Prima eaque præcipua, à qua ferè cæteræ omnes emanant, dæmonis insignis & callida tentatio, cui nihil magis curæ est, quam ne homines memorentur nouissima sua, quibus, quod sensibus ducantur, res præsentes perpetuò offert & inculcat: & res futuras tan-

tanquã longissimè posítas,& alterius conditionis atque naturæ,aut tanquam nunquam euenturas obiter repræsentat.

Secundò,accedit naturalis amor viuendi, & dulcedo vitæ præsentis, quæ sic mentis nostræ fascinat oculos, vt (quod in rebus maximè charis accidit)homo sibi persuadere nequeat, hanc vitam amitti posse: & licet fateatur amittendam aliquando, multos tamen sibi polliceatur annos,quos veluti eminus prospiciens, longissimo interuallo videtur sibi à morte disiunctus. Siquidem futurum tempus & præsens arbitramur longum,sed illud quod iam præterijt,breue:neque aduertit miser fragilisque homo, magnam ætatis suæ partem effluxisse, eamque quæ fortè breuior restat, non minore cum celeritate præterituram.

Addit tertiò dæmon commendationem diuinæ misericordiæ, quæ præstò est omnibus inuocantibus se,in ipso quoque extremo vitæ momento: Latronem quippe etiam tunc veniam impetrasse: pacem hominibus esse promissam bonæ voluntatis, bonam voluntatem & dolorem de peccatis facilè comparari. Item, Deum ad miserendum esse propensiorem,quam ad pœnas infligendas: cœlum feciſse, sanguinemq; profudisse, non pro brutis animalibus, sed pro hominibus. Itaque securè posse iuueniles annos

Luc. 23.
Luc. 2.

annos traduci, vitæque mutationem in senilem ætatem reijci; ad quam ætatem vbi ventum est, eadem prorsus ratione suadet, in extremam infirmitatem extrahendam pœnitentiam.

Quarta est metus continuæ tristitiæ, vel melancholiæ, quis enim tali cogitatione occupatus vnquam lætus esse posset? At mortis meditatio nõ accelerat mortem, quæ suum cursum properando tenebit, quidquid tandem mente agites, instar nauis, quæ progreditur, siue dormias, siue vigiles. Hoc tamen inter mortem improuisam & præmeditatam inter est, quod illa hominem nihil cogitantem opprimat, atque in miserias inextricabiles deijciat: ista verò hominem, præparat ad moriendum, minusque lædat. Sicut igitur fur, qui ad supplicium ducitur, si cogitando de imminente periculo, posset rationes inire effugiendi crucem, vtiliter profecto de isto suo periculo meditaretur: Ita prudentissimè faciunt illi, qui secum frequentissimè mortem commentantur, per quam rem hoc assequuntur, vt mors non sit ipsis interitus, sed vitæ ianua. Melancholiam & tristitiam parit quidem omnibus hæc mortis cogitatio, qui peccatis sunt inquinati: sed illis solis perpetuam, qui mundi vanitatibus & delitijs inhærere statuunt: quippe quibus mors ista temporalis, est principium mor-

mortis æternæ. Illis verò qui iam vitijs & voluptatibus nuncium remiserunt, seseque totos ad virtutem contulerunt, affert gaudium & suauitatem incredibilem cogitatio mortis, per quam vident ianuam aditumque sibi patefactũ iri ad bona immortalia, quorum consequendorum cupiditate mirabiliter exarserunt.

Quinta causa est, infidelitas aut hæresis, quam non pauci ideò assumunt, ne stimulis conscientiæ, metuque mortis commoueantur. Cum enim videant se flagitiosè viuere, intelligantque ex præscripto doctrinæ Catholicæ sibi, nisi peccata deserant, defleant, confiteantur, æterna supplicia subeũda; nolint tamen acerbum pœnitentiæ remedium sumere, & vitam piè instituere, hoc ineunt consilium compescendæ conscientiæ, vt sibi persuadeant falsam esse doctrinam Ecclesię; Deum neque dolorem super commissis sceleribus, neque bona opera exigere, quippe cuius misericordia sit tanta, vt sola fide, firmaque suorum fiducia sit contentus. Faciunt huiusmodi homines similiter atque illi viatores, qui tametsi norint tenuè sibi esse viaticum, securè tamen & splendidè epulantur, quod confidant, hospitem pro ipsorum arbitratu, quæ absumpta fuerint, æstimaturum: sed illis, quod valdè fallantur, temeritas non benè cedit. Pari modo, non

Similitudo

non malè tantùm, sed pessimè succedit illis, cum ad tribunal Christi sistentur, qui inperscrutabilem Dei iustitiam ex suo capite, & prauis desiderijs perpenderunt: sicut enim tantam nobis Deus in mundi huius, quem sine labore ex nihilo fecit, creatione exhibuit potentiam, vt ad eam capiendam nec mentes quidem Angelorum, ne dum hominum sufficiant: similemque sapientiam in eius gubernatione: & charitatem inexplicabilem in humani generis liberatione declarauit: simili modo adeò seuerè de nobis, nostrisque actionibus, verbis, cogitationibus post mortem est iudicaturus, vt infinita se iustitia præditum esse omnes palam sint cognituri.

Vitæ emendationem in senilem ætatem, vel extremam infirmitatem differenti quid considerandum?

Primò, plerumque iuuenes mori multò ante senium, mortemque in omnẽ ætatem suum exercere imperium.

Secundò, nõ rarò vel subitò mortem opprimere non cogitantem, vel sanos repentè morbo corripi, vsuque linguæ & rationis destitui.

Tertiò, contritionem, verumque de peccatis dolorem, esse singulare Dei donum, quod iustè negatur illis, qui dum integra essent valetudine, illud oblatum recusarunt:

Iusto-

Iustoque Dei iudicio talis est plerumque in morte homo, qualis in vita, vt qui totam in peccatis traduxit, cum eisdem de vita decedat.

Quartò, plura esse sub vitæ finem atque in senectute impedimenta veræ pœnitentiæ & confessionis, quam in recta valetudine, aut iuuentute, vt sunt naturæ debilitas, contraria consuetudo, grauiores dęmonum impugnationes, qui eò alacrius, constantius & vehementius hominem adoriuntur, quò sępius victores abierunt, & quò propinquius finem certaminis adesse conspiciunt. Cum igitur sanus corpore animoque firmus, non rarò victus fuerit, an non multò facilius vincetur æger? & qui multorum annorum consuetudine, quæ verè naturæ vim obtinet, vix potuit caput in cœlum tollere, quo pacto id faciet morbo fractus & præpeditus? qui per omnem vitam manus dedit diabolo, semperque abhorruit à peccatorum suorum cõsideratione, studioque virtutum, quomodo is corporis & animi vigore consumpto, victoriam reportabit? aut animum ad verum dolorem, & synceram peccatorum confessionem applicabit? sicut enim virium debilitate nequit mouere corpus, ita multò minus conuertet animum ad rem vsque adeò difficilem atque insuetam: Et si fortè confiteatur, id potius metu gehennæ, quam do-

lore ex diuinę maiestatis offensione concep-
to, faciet: more furum, qui non tam se fur-
tos esse, quam ob furtum laqueo sibi vitam
finiendam lamentantur.

Luc. 23. Vnius latronis exemplum inculcatur:
sed vnicus ille legitur in fine vitæ obtinuisse
veniam, & quidem non sine constanti fide,
quam palam profitebatur, & in grauissimis
crucis & ossium confractionis tormentis,
quibus anteactæ vitæ crimina expiabat; sa-
tius multò fuerit per omnem vitam colere
pœnitentiam, singularumque ætatum pec-
cata, ijs ipsis ætatibus abolere.

DE MORTE

Quid est Mors?

MOrs est vitæ huius mortalis perpetua
priuatio, & eorum omnium, quæ in
hanc caducam vitam conueniunt. Itaq; ho-
mo mortuus priuatur anima, non intelligit,
non videt, non audit, non fruitur vllius sen-
sus oblectamentis, deserit omnia, paren-
tes, amicos, bona fortunæ, diuitias, honorē,
& quicquid denique hanc mortalem vitam
comitatur; & ita deserit, vt in æternum ad il-
la non sit reuersurus.

Qualis est mors?

Si cum in vita manemus, non sine mo-
lestia à charis parentibus, atque amicis, bre-
ui

ùi temporis ſpacio diſiungimur; ſi non niſi ægrè valdè pauculas pecunias egenis diſtribuimus, ſi denique, difficillimè huius vitæ delitijs caremus, quibus vt perfruamur totis viribus, atque omni mentis impetu incumbimus; quo animo feremus ſempiternam illam ab omni voluptate, ab omnibus diuitijs, ab omnibus amicis & dulciſſimis parentibus, filijs, ſocijſque ſeparationem? Bos à boue aratri ſocio ſi ſeparetur immugit, itineris iucundi comites, non ſine dolore & moleſtia digrediuntur: Anima igitur tam arcto nexu cum corpore ab ortu ſuo colligata, quam ægrè à ſuo contubernali diuelletur?

Qui ſunt mortui comites?

Sicut in morte tibi deſerenda ſunt omnia, ita te quoque viciſſim omnia deſerent.

Simul atque exceſſit anima, operitur cadauer, omnes ab illo tanquam ab aliqua peſte abhorrent atque refugiunt, adeò vt etiam illi, qui arctiſſimo ante neceſſitudinis vinculo viuo coniuncti fuerant, inſtar mortis eſſe putent mortuo adeſſe; hoc vnum omnibus curæ eſt, vt quam citiſſimè domo efferatur, & in terram defodiatur.

Anima verò, ne fortè redeat, vt ſpectrum, multò magis metuitur. Atque ita nihil nobis commune eſſe volumus cum homine

mortuo ; cuius vel sola cogitatio mentem percellit ac terret.

Diuitiæ prius ferè dilabuntur, quam deferantur; dignitatibus, officijs, præbendis, necdum mortuo homine, multi inhiant; domus, possessionesque eiecto Domino, & in angustam fossam, inter malèolentia mortuorum ossa, vermesque & lumbricos coniecto, in aliorum manus ac potestatem veniunt. Neque mirum, quia vt in ludis scenicis, vestes commodatò acceptæ, peracta comœdia restituendæ sunt heris : Ita cum in mundo hoc, quasi in theatro aliquo comico versemur, rebusque omnibus commodatò acceptis vtamur, simulatque ex scena, & vita hac mortali eximus, reddendæ sunt mundo; qui easdem deinde res alijs atque alijs vtendas accommodat; Et quemadmodum piscatores facere solent, vt eadem esca qua piscem vnum cœperunt, alios deinde capiant, & priusquam absorbuerit escam, vnco gutturi infixo prædam extrahunt, & escam de ore tollunt ; ita mundus ijsdem illecebris alios atque alios tanquam esca quadam captos, ad inferos transmittit. Ex his nonnihil licet ratiocinari, quam sit mors horribilis, de qua Philosophus quidam ita dicebat: omnium terribilium terribilissimum est mors; si enim sola mortis memoria cohorremus, si corpus mortuum charissimi socij, dulcissimique paren-

rentes perhorrescimus, si soli cum solo cadauere per noctem vnam manere animus refugit, quid fiet, accedente ad nos per se morte ipsa, quæ tantopere nos terret in alio?

DE CERTITVDINE MORTIS, ET HORA incerta.

Qui sunt morti obnoxij?

MOrs omnes manet certissimè, *quia statutũ est omnibus hominibus semel mori.* Hebr. 9. Sẽtentia lata est; & hactenus executioni mandata. Recense maiores tuos à primo parente, considera quot illi fuerint, quod nunc ex omnibus supersint, quæ illorum memoria. Itaque cum alijs in rebus omnibus humanis, locum habeat vocula fortasse; fortasse enim adolescet puer, fortasse euadet in virum doctum, fortasse locupletabitur, fortasse vxorem ducet. In morte sola hac voce non vtimur, quia non fortasse, sed certissimè sine omni fortasse morietur omnis homo. Neque hic opus est conditione, qua B. Iacob. 4. Apostolus Iacobus, pronunciata nostra voluit constringi, si Dominus voluerit, aut si Deo placuerit: stat enim voluntas ac sententia Dei immobilis, morte morieris. Gen. 2.

Quando morimur?

Eccles. 8. *Gen. 2.* Cum viuere incipimus, iuxta illud *Omnes morimur*, &c. *In qua hora comederis, morte morieris.* Est enim vita omnis nostra profectio ad mortem. Sicut igitur reus, qui ad supplicium ducitur, scalas conscendit, laqueum collo excipit, manibus pedibusque ligatur, tota illa actione suspendi dicitur, tametsi necdum de scalis reiectus ex fune pendeat; ita qui ad mortem continuò tendimus, pugnantibusque in nobis qualitatibus, & circumstantibus vndique periculis, quo momẽto deijciendi simus ignoramus, reuera morimur, quia tota vita nostra est mortis operatio. Proinde sicut fur, qui ad patibulum vehitur, non parum desipere tibi videretur, si excluſa mortis & ignominiæ propinquantis cogitatione, honori sibi & gloriæ duceret, currum equitibus cinctum, turbam comitantem, Sacerdotem assistentem, & carnificem lictoresque ad ornatum, aut triumphum adesse præsentes crederet: Ita stultum est, gloriari in vestitu, filijs, diuitijs, alijsque huius vitæ ornamentis, quæ certissimè mortem nobis imminere clamitant; vestitus enim præuaricationis & condemnationis est insigne; diuitiæ cibus, potusque necessitatem, fragilisque naturæ conditionem indicant, quæ nisi rebus eiusmodi sustentaretur, non posset consistere; filij, hæredes

redes te possessionibus excludent. Torques &annuli aurei, nonne candētia inferni vincula,& capilli flaui gehennæ flammas representare tibi videntur.

At verò indica illud temporis punctum, quo animæ de sua statione decedendum.

Id longè incertissimum est. Comparat mortem Christus furi, qui non tunc inuadit domum, quando patrem familias didicit agere excubias, sed quando omnes arbitratur, somno oppressos, nihil minus quam de suo aduentu cogitantes; & aduentum filij hominis similem dicit fulguri, quod momento temporis orbem peruadit. Matt. 24.

Mors igitur celerrimè irruet, & quando minimè suspicabimur opprimet. O igitur deplorandam tuam cęcitatem, qui hac mortis incertitudine ad peccata potius accumulanda, quam ad ea deponenda abuteris. Cur enim peccas, & vitijs indulges? an quia certum te diu victurum? aut in crastinum vitam producturum? nequaquam. Sed quia fortè es diu victurus. Miserum & debile fundamentum, cui innititur tanta securitas peccandi. Fortè inquis, cras viuam, fortè hodie non moriar. Cur non potius inuertis ordinem, fortè hac nocte moriar, fortè hoc die euocabor? Christus prædixit: *Qua hora non putatis, filius hominis veniet*: idipsum experientia quotidiana & nunc docet, & olim docuit *Securitas peccandi quam fragili nixa fundamento?* Matt. 24.

Gen.19. Num.16. 2.Reg.18. Lucæ.12. cuit securos Sodomitas, Dathan & Abiron, & Absalonem; Et diuiti illi Euangelico dictum fuit: *Stulte, hac nocte tollent animam tuam.* An quod alteri cernis fieri, id erit alienum à te?

Si domum habitares malè materiatam, & ruinosam, quã certò nosses ruituram, tempus autem ignorares ruinæ; an eam nouis oneribus grauares? an te illi securè committeres? an parietes malleis pulsares? Minimè profectò; sed in alias ædes, & te ipsum, & suppellectilem tuam transferres. Corpus hoc tuum in horas singulas minatur casum, catarrhus vnus in cor aut pectus delapsus, hominem deijcit; caro natura sua fragilis, in se habet interius causam, vno vento, vno potu, paruo aëre infecto læditur; mitto alia infinita foris aduenientia quæ mortem accelerant. Quid igitur te peccatis grauas? quid compotationibus commessationibusque & intemperantia, varijsque periculis, mortem tibi immaturam procuras?

Robustus sum inquis, nihil mali sentio, timidi est metuere mortem. Atqui vt intus sis constitutus ignoras, & quid aliunde aduenet nescis. Mortem sanctorum non timere fortitudinis est; mortem peccatorum pessimam non metuere, temeritatis.

Quibus rebus scriptura vitam humanam comparat?

Pri-

Primò, flori qui pulchritudine ſua capit oculos, ſed leui frigore, nimio æſtu, aſperiori vento, humore, læditur, concidit, marceſcit: ſi carpatur, poſt pauculas horas marcidus, in ſterquilinium abijcitur. Minima res hominem lædit; Pharao culicibus vexatus eſt; Herodes pediculorum morſu interijt, pili raſi, robur Sampſoni ademerunt. *Eſa.* 40. 1. *Pet.* 1. *Exod.* 8. *Actor.* 12. *Iud.* 16.

Secundò, vmbræ, quæ licet aliquo modo corpus referat, eſt tamen ſqualida, nigra, deformis, fugaturque non ſolum acceſſu magni luminis, verumetiam tenebrarum. Sic omnis ſplendor humanæ vitæ decreſcit, & perit, nihil pręclari in ſe habens, quam quod ad conſiderationem veritatis totiuſque pulchritudinis cœleſtis nos inducat. Ne igitur inſtar pueri (qui pulchros characteres admiratur, ignorans veritatis ſententiarum pulchritudinem, quæ illis continetur) arbitrere aliquid pulchrum, conſtans aut eximium in hac vita mortali, ſed ex ſplendore vitæ iſtius, conuerte mentis oculos ad vitæ alterius ornatum. *Pſal.* 108.

Tertiò, vapori & fumo, qui dum cubiculum replet, eſt moleſtus oculis, quæ attingit, deformat, commaculatque; in caminum pulchro ordine & figura aſcendit, ſed egreſſus à vento diſſipatur. Homo & ſibi moleſtus eſt, & alijs; multos deuicit Alexander Magnus, multa bella geſſit Iulius Cæſar. Abſalon *Iacob.* 4.

2. Reg. 15.16.17. 18.19. Psal. 9.

salon vniuersum Israëlem in parentem concitauit; sed breui vita functi, funditus sunt deleti, iuxta illud: *Periit memoria eorum cum sonitu*, hoc est, instar soni & strepitus, qui semel concitatus perpetuò silet.

Quartò, figuræ vel imagini, quæ in charta pulchrè depicta, mirè delectat colorum varietate, exposita autem pluuijs & vento, omnem amittit decorem, & præter laceram chartam nihil relinquit: sic homo, diuitijs, honoribus, potentiaque ornatus, est admirationi, mortuus præter ossa nihil habet. Exemplum in Iezabel, quæ stibio pingens oculos, de fenestra precipitata, à canibus discerpta, ex solis manuum, pedumque extremitatibus agnosci potuit. Ossa mortuorum eo consilio relinquuntur, vt quo pulchritudo decorq; omnis humanus euadat, oculis ipsi adhuc viuentes, vsurpemus.

4. Reg. 9.

Cur mortuorum ossa spectanda proponantur.

Alias multas similitudines proponit scriptura, vt nauis transeuntis, auis volantis, sagittæ emissæ, &c. quorum omnium celerrimè prætereuntium, nullum cernitur vestigium, vt & velocem vitæ transitum, & incertum facilemque terminum, & post mortem æternam obliuionem intelligamus.

Sap. 5.

Quare voluit Deus breuem esse cursum vitæ nostræ?

Tum ne sicut antiquissimi illi, qui ad nongentesimum annum vitam perduxe-

runt,

runt, peccata cumulemus peccatis, grauioraque supplicia promereamur: tum ne diutiùs istius vitæ incommodis miserijsq; conflictemur: tum vt citiùs ad se veniamus, cuius *delitiæ sunt esse cum filijs hominum.* Prouer. 8.

DE TENTATIONIBVS QVÆ IN HORA mortis accidunt, velim differas.

Morti vicinos dæmon grauiter tentat.

SI vnquã toto vitæ decursu, certè in mortis hora dæmon omnes suas vires profundit, vt in vltimo illo certamine, in quo summa victoriæ sita est, hominem vi morbi debilitatum, & pristino animi vigore destitutum, vincat. Magnitudo huius conflictus vel ex eo intelligi potest, quod opus fuerit peculiari Sacramento extremæ Vnctionis, ad miserum infirmumque hominem fulciendum & corroborandum.

Quomodo tunc erit homo affectus?

Longè aliter, præsertim peccator, atque se fore putabat, dum sanus esset. Nam qui viribus integris, confessionem in hoc vltimum tempus reiecerunt, ferè non possunt in animum inducere, vt tunc de peccatis cogitent; quod enim molestum fuerat sanis, id maiorem parit molestiam morituris. Itaque neque

neque libet in cœlum oculos ferre. Deumque precari, neque de peccatis dolere, neque ea quæ è salute animæ sunt, audire. QVIA TALI ANIMADVERSIONE PERCVTITVR PECCATOR, VT MORIENS OBLIVISCATVR SVI, QVI, DVM VIVERET, OBLITVS EST DEI. Nonne Nabal durus instar lapidis vita discessit? accedit acerbitas dolorum, quibus mens & ratio ferè conuelluntur; desiderium vitæ, medicorũ solatia quærit, occupationes externę, quibus animus assueuit, in bonorum temporalium dispensatione, dissipant mentem & cogitationes, nec patiuntur miserum hominem quicquam de rebus ad salutem animæ pertinentibus, loqui, vel cognoscere. Si cognoscat ex medicis nullam viuendi spem restare, visa peccatorum multitudine, & grauitate, difficultateque resipiscendi, quam obijcit dæmon; primum quidem concutitur homo peccator, incredibili terrore, deinde verò non capiens diuinæ misericordiæ abyssum, cum proditore Iuda salutem desperat: Alij nimia fiducia pereunt, vel ex hæretica opinione de sola fide, vel ex bonis operibus, quæ fortè ediderunt, concepta; alios infidelitate perdit mille artifex, cum scrupulos, & dubitationem, de ijs quæ religio Christiana credẽda proposuit, inijcit; alios spe conualescendi; ali-

Aug. ser. 3. de Innocentibus.

1. Reg 25.

Matt. 27.

Actor. 1.

dij;alios alijs rationibus, prout negotium facilius à se confici posse,despicit.

Post mortem quid accidit corpori?

Iacet cadauer inanime, sine sensu, deforme,horribileque aspectu; conditum in terra paulatim fœtore vermibusq; dissoluitur, & post dies non ita multos in cineres redactum,nihil præter ossa restat, quæ si videas, quis qualisque fuerit, diues an pauper; nobilis an rusticus,rex an opilio,non agnoscas.

De anima quid agitur?

Nihil certi habemus, quædam tamen generatim, vel naturali lumine, vel fide nouimus, quæ possunt homini terrenis rebus immerso,maximo esse terrori.

Primò, scimus animam vna cum corpore non extingui, sed eandem illam animam corpore solutam viuere,intelligere,cognoscere, quæ paulò antè adminiculo sensuum res cognoscebat. Non enim est alia anima extra corpus, & alia in corpore, sed alio modo.

Secundò, hanc animam, quæ paulò antè multitudine ministrorum & amicorum stipata fuerat, nunc proficisci solam in regionem ignotam, vbi aliæ sunt leges, alij ciues, alij mores, alia iudicia & cogitationes, alia rerum æstimatio;vbi nihili est aurum, facetiæ non oblectant, vbi doctrina humana est igno-

ignorantia, corporum pulchritudo est deformitas, ocioſum verbum graue malum, vbi parentes non mouentur commiseratione filiorum, neque filios nisi secundum Deũ agnoscunt, vbi occurrunt teterrima monstra, vbi dæmones ipsi forma speciéque sua clarè conspiciũtur. Pone tibi ob oculos ampliſſimam sub terra specum, horridam tenebris, spectris terribilem, plenam fœdis serpentibus, & te solum comitante nemine, in eam deturbandum, pręstolantur miseræ animæ egressum dæmones instar felis, quę musculi foramen obseruat vt deuoret.

Tertiò, bonis operibus post hanc vitam neminem posse quicquam mereri, neque quenquam lachrymis, vel anguſtijs ad misericordiam commoueri, quia *vbicunque ceciderit lignum, ibi erit.*

Quartò, simul atque euolauerit anima ex corpore, seueriſſimè in totam eius vitam inquisitum iri, iudicioque Christi sententiam ferendam, vt vel optimè sit ei, vel pessimè, in omnem æternitatem.

Quæ efficiunt mortem formidabilem?

Tria præcipuè: amiſſio rerum omnium huius vitæ, quas tantoperè diligimus, ignota regio vitæ alterius, in quam deducemur, & iudicis seueritas, coram quo apparebimus.

DA remedia ad pellendum metum, leniendumq; dolorem, qui ex amißione rerum capitur?

Primò, consideremus attentè, quo fine in hunc mundum à Deo producti simus; vt in hoc vitæ cursu, intentio nostra à voluntate Dei creatoris nostri ne discrepet; indignum quippe esset, si res quępiam ab artifice in vsum aliquem facta, huic vsui, mentique artificis conformem se reddere nollet. Formauit nos sanè Deus, vt ex hac vita aliquando migremus; iussit nos veluti peregrinos aliò proficisci, & quæcunque mundus habet, pro viatico nobis dedit, ne quid corpori vel animæ commoditatis, ad hoc iter conficiendum desit. Quemadmodum igitur, qui ab optimo parente aliquò ad suũ commodum mittitur, adeò non metuit ciuitatis portam, qua ingrediendum est, vt etiam quæcunque in itinere obuia sunt, tametsi iucunda lætaq;, clausis quasi & auersis oculis, prætergrediatur, atq; ad ciuitatem, quò missus fuit, properet, visaque eminus ciuitate Deo gratias agit. Ita qui hoc iter ingressi sumus, oculis animoq; in cœlis defixo, eò curramus, quò mittimur, neque doleamus aut perhorrescamus propinquante morte; sed gaudeamus nos ad metam propositam peruenisse; & sicut is, qui rapidissimum torrentem transmittit, non in aquam ipsam, ne ver-

vertigine concidat, figit oculos, sed in ripam obiectam immobilem: sic oculi mentis nostræ, in cœlo perpetuo sint defixi, mundusq; istè nec appetatur, nec aspiciatur.

Quodnam est secundum?

Ne grauis sit à parentibus, bonisq; omnibus huius mundi, æterna per mortem separatio, curandum est dum viuimus, paulatim ab his rebus animum abducamus, illumque imitemur, cui medici iudicio, est ex mandibula dens euellendus. Is enim medicamentis dentem prius luxat, & compage soluit, vt sine dolore excidat, alioquin summa vi, grauique dolore, nec sine ossis læsione, cum adhærente carne tollatur.

Nonnulli secuti consilia Christi, deserunt mundum, omniaque detrimentum & stercora arbitrantur, præ rebus cœlestibus, & Christo, voluntaria paupertate, castitate, & obedientia assumpta, spretis diuitijs, contemptis voluptatibus, voluntateque & iudicio proprio deposito, alacriter deseruiunt.

Alij, qui huc perfectionis non euadunt, sic mundo vtantur, tanquam eo non vtentes; hoc est cor suum rebus terrestribus non affigant, & quicquid mundus habet, pendant, non ex vulgi opinione, sed ex veritate.

Quod vt commodius fiat, considerentur primò, rerum istius vitæ conditiones & proprietates; nam ex se tales sunt, vt verum

gau-

gaudium animo non adferant, neque mentem humanam satient, imò ne consolentur quidem cor hominis, sed externos tantum sensus, gustatum, visum, auditum, odoratum,& tactum aliquo modo afficiant,adeoque nulla sit lætitia, quæ sua amaritudine non permisceatur; nam & cum molestia parantur, & cum sollicitudine conseruantur, & cum inuidia augentur, & cum dolore stimulisque conscientiæ finiuntur.

Secundò, perpendatur breuitas vitæ humanæ, post quam necessariò omnia sunt deserenda,velimus nolimus, & id quidem breui; nam breue est tempus vitæ, cuius iam fortè magna portiò effluxit: Ego igitur cor meum rebus illis affigam, quæ cras fortè tollentur,in æternum non redituræ?

Vt autem hac consideratione affectus moueatur, curandum est, ne in sola speculatione hæreat animus; sed ad effectũ quoque practica cogitatione transeat, nempe vt ita consideres ea, tanquam tibi certò, breuique euentura. Ad quod non parum conducet; subinde adesse morientibus, ijs præsertim,qui in flore ætatis abripiuntur, & quod in illis coram cernis, ad te ipsum accommoda. Præterea vtile est mortuorum ossa intueri eorumque nuditatem, horrorem, fœtorem, & contemptum animo complecti; & quid discriminis sit inter seruũ & domi-

num, adeoque quis seruus fuerit, vel dominus diiudicare, & quod tu futurus sis breui; quod illi, quorum sunt ossa; quandoquidem illi ante paucos annos tui similes fuerunt, & floruerunt. Iuuerit etiam frequenter ex occurrentibus rebus, imaginem mortis oboculos ponere, aut de morte cogitationem suscipere, ex flore suauiter olente, & paulò post marcido; ex ariditate hyemis, quæ nobis repræsentat omnium rerum interitum; ex infirmitate, quæ florentem & robustum quemlibet deijcit; ex aspectu aliorum, quorum similes multi aliquando extiterunt, & obliuione sempiterna deleti sunt; & sanè vix quicquam est in tota rerum vniuersitate, vnde non possimus salutarem aliquam ad animi statum benè constituendum meditationem formare. Ad idem valebit præteritorum annorum curriculum in mentem reuocare, eorumque velocitatem cum tempore futuro, licet incertò, conferre; siquidem quod ex reliqua vita supereſt, eadem celeritate percurretur.

Da tertium remedium.

Mortem non metuere, sed desiderare cupis, fac vt tibi grauis molestusque sit mundus, seu potius, vt eius mala incommodaq; sentias. Qui enim molestiam patiuntur, desiderant liberari, sicut contra, retinere volunt, quod oblectat: sancti viri molestè ferebant

rebant hunc mundum, vnde Dauid: *Heu mihi* (inquit) *quia incolatus meus prolongatus est:* Et D. Paulus: *Quis me liberabit de corpore mortis huius*; cui mundana omnia sordebant, vt stercora. Alij ita impatientes fuerunt miseriarum huius mundi, vt contra naturæ dictamen, mortem sibi ipsis consciuerint. Et quidem si percurras singulas humanæ vitæ ætates, plures inuenies miserias, quam commoditates: cum etiam commoda ipsa plena sint miseriarũ. Videtur enim homo similis illi, qui aliquo proficiscens, nulla itineris commoditate vtitur, sed varijs difficultatibus præpeditur. Primò, quia via lutosa, & pluuia grauis, tum montosa, postea saxosa, deinde præceps, tum rursum syluestris, & latrocinijs infesta. In quo sanè itinere vnicum est solatium breuitas viæ, si modo certa sequatur quies. Nam si ad grauius malum tenditur, veluti ad supplicium ignis, æquiori animo ferentur minora hæc incommoda. Qui igitur ad beatissimam illam optatissimamque quietem proficiscitur; capiatur tædio malorum huius vitæ; ad patriæ cœlestis gloriam aspiret, sese curis & vinculis huius mundi exsoluat. DEVS enim tot mala voluptatibus nostris immiscuit, vt pertæsi malorum, vitæque mortalis, pura illa & impermixta bona cœlestia, toto corde consectaremur. Qui verò his tam incommodis

Psal. 119.

Rom. 7.

Quare vitam nostrã

Deus tot miserijs voluerit esse obnoxiam.

voluptatibus, tanquam magnis bonis, delectis tijsque adhærent, ostendunt se non ex valle lachrymarum, in beatæ vitæ sedes, sed à miserijs hisce terrestribus, ad inexhaustum infernalium malorum oceanum proficisci.

Quod si fortè communibus, atque priuatis malis, quia bonis omnibus delitijsque affluis, non commoueris; tibi ipse accerse molestiam, ieiunijs, vigilijs, pœnitentijs, corporisque id genus afflictionibus, vt incipiat te vitæ tædere. Deumque precare, vt quod bonis omnibus est summè molestum, id tu quoque non leuiter, sed molestè feras; nempe quotidianis peccatis Deum offendere; istius mundi illecebris oblectari; mentem difficulter in cœlum attollere; tot imperfectionibus, & perturbationibus subiectum esse; tanto tempore suauissimo diuini vultus aspectu carere; hæc enim si grauia tibi esse cœperint, non secus aspirabis ad mortis quietem, atque mercenarius quispiam, post longos molestosque labores, ad dulcem diuque optatum somnum. Quando deinstorum morte, qui laboribus multis æternam gloriam pepererunt, scriptura commemorat, labores ipsos, à quibus in æternum suauissimè vacabunt recenset: *non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super eos sol, aut æstus vllus; absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & iam non erit amplius, neque lu-*

Apoc. 7.

ctus, neq; clamor, neq; dolor, &c. Sicut contra, his qui labores omnes subterfugerunt, vitamque delitijs plenam duxerunt, vocantur in memoriam bona, quibus in hac vita fuerunt oblectati, atque in posterum per omnia sæcula carere debebunt: *Fili* (inquit) *recordare, quia recepisti bona in vita tua, nunc autem cruciaris:* & *Merces eorum nemo emet amplius, merces auri & argenti, & lapidis pretiosi, & margaritæ, & byssi, & purpuræ, & serici, & cocci*, &c. & *poma desiderij animæ tuæ discesserunt à te; & omnia pinguia & præclara perierunt à te, & amplius illa non inuenient*: Siquidem qui in labore hominum esse noluerunt in vita hac mortali, in laboribus erunt dæmonum in morte immortali. Luc. 16. Apoc 18.

Quos comites nobis ac viæ duces comparare debemus?

Cum sola, nudaque, & inermis egrediatur anima inter sæuissimorum hostium cohortes, danda est opera, vt, cum non liceat ex hoc mundo nobiscum comites adducere, saltem illic statim à morte socios amicosque inueniamus, qui solitudinis illius tædium subleuent, tutosque per hostium agmina ducant.

Hi erunt: Primò, Sancti cum Christo regnantes, cœlestis aulæ principes, & præter cæteros, Angelus noster tutelaris; cum his, si viuentes ineamus familiaritatem, eos

quotidiè inuocemus, ex his patronos nob certos deligamus, quos veneremur singulari cultu, quorum imitemur exempla, & Angelo custodi pia nobis consilia suggerenti auscultemus, habebimus eos nobis proculdubiò in hora mortis fauentes.

Secundo, Animæ parentum, & aliorum fidelium defunctorum, quas orationibus, sacrificijs, Eleemosynisq; ex purgatorij pœnis eduximus.

Tertiò, Pauperes & corporalium spiritualiumque bonorum indigentes, quibus ad pietatem, & vitam saniorem, æternamque salutem quocunque modo auxilium tulimus. Hi omnes conspecto de cœlis periculo nostro accurrent obuij suppetias laturi.

Exacti seueriq; Iudicis metum quarta-tione minues?

Primò, si ante iudicij tempus in eius amicitiam venias, cum eo frequenter orando, meditandoque agas, eumque pijs officijs tibi studeas continenter obligare.

Secundò, si muneribus places, & quasi corrumpas eleemosynis, quas pauperibus, ipsius filijs, & membris, libera & effusa manu largiaris, & illis maximè, qui ob vitæ sanctimoniam plus apud iudicem possunt, quales sunt religiosi, qui deserto sæculo, se toto

totos at CHRISTI obsequium contulerunt.

Tertiò, si cum vicarijs Iudicis in Sacramento pœnitentiæ diligenter rationes tuas putes; illi quippe cum Iudicis acceperint potestatem, si omnia dimittant, & sacra absolutionis verba, tanquam chyrographum soluti debiti tradant, non erit quod coram Iudice metuas. Quamobrem prudenter ages si crebro peccata Sacerdoti confitearis, ne quid restet virtute absolutionis, testimonioque Chyrographi non condonatum.

DE IVDICIO.

Qui iudicabuntur?

OMnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit siue bonum siue malum. Omnes omninò homines iudicandi sunt à Christo, nemine prorsus excepto, siue diuites illi sint, siue pauperes, Reges, Principes, Plebei, Ignobiles omnis ætatis, omnis sexus: quia *statutum est omnibus hominibus semel mori, & post hoc iudicium.*

Quoties iudicabimur?

Bis vnicuique standum est ante tribunal Christi; statim morte obita, & in communi illo totius orbis iudicio. Quod generale iudicium, si sententiam ipsam spectes, præter mercedem quæ corpori dabitur, nihil noui adferet, sed erit confirmatio eorum, quæ in particulari singulorum iudicio decreta fuerunt. Qua ex re intelligimus, non minus esse metuendum priuatum hoc iudicium, atque illud vniuersale, quia qualem inueniet Deus hominem, in suo nouissimo die, talem iudicaturus est, in mundi nouissimo die.

Vnde

Vnde formidabilem diem illum futurum colligimus?

Primò quidem, ex vaticinijs Prophetarum: *Ecce* (inquit Malachias) *veniet, & quis stabit ad videndum eum, & quis poterit cogitare diem aduentus eius?* Mal. 3.

Deinde non minus idem declarant voces sanctissimorum hominum, qui magnũ de illo die timorem habuisse videntur; *Quid faciam*, inquit B. Iob, *cum venerit ad iudicandũ Deus?* quasi dicat, hæc vna sollicitudo me tenet, vt in die iudicij immunis, ab omni damnationis periculo euadam; & B. Paulus, qui plus cæteris omnibus laborauerat, & qui nullius peccati sibi conscius erat: *Castigo* (inquit) *corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicauero, ipse reprobus efficiar.* Iob. 21. 1. Cor. 9.

B. Hilarion cum ab anno ætatis 14. ad extremam senectutem, durissimam vitam egisset, tamen in extremo vitæ conflictu, ita animã suam alloquebatur: *Egredere, quid times? Egredere anima mea, quid dubitas? septuaginta propè annis seruiuisti Christo, & mortem times?* D. Hyero. in vita Hilarionis.

Tertiò, ex grauibus pœnis, quibus se multi viri sancti vtriusque Testamenti, sponte afflixerunt, vt hoc terribile Christi iudicium salui effugerent; Veteris legis Patres plerique *lapidati sunt, secti sunt, circuierunt in melotis, & pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, in speluncis & ca-* Heb. 11.

uernis terræ, vt meliorem inuenirent resurrectionis. In nouo autem Testamento, martyres grauissima supplicia passi sunt, & Confessores, Monachi, & Anachoretæ, admirabili victus cultuſque asperitate corpus castigauerunt, alij sub die in columna erecti multis annis steterunt, alij summa paupertate vitam traduxerunt, alij verberibus, cilicijs, & vigilijs, carnem domuerunt, multaq; id genus præstiterunt obstupescenda, vt in hora mortis iudicem sibi inuenirent placatum.

Cum igitur idem sit Dominus & Iudex omnium, qui non magis iustus atque seuerus futurus est his, qui metu seueritatis eius grauissima ista molestissimaque sibi imposuerunt, quam cæteris hominibus omnibus: vt vehementer metuendum est his, qui nunc ita securè viuunt, voluptatumque omnium habenas laxant, ne longè alium in se Christum experiantur, quam in hac tanta securitate sibi promittunt: qui vt salutarem metum concipiant, consiliumque capiant iudicij illius acerbitatem subterfugiendi, poterunt hisce sequentibus meditationibus seriò aliquando occupare animam: Si enim aliquid est in vita humana magni momenti, & à quo salus nostra dependet, illud est, in huius Iudicij consideratione positum: quod Iudicium decernet cuique nostrûm locum, vbi per omnem æternitatem, vel optimè

timè iucundissimeque viuamus, vel pessimè miserrimeque moriamur.

Quæ personæ huic Iudicio aderunt?

Primò, anima iudicanda, sola illa secum in conscientia, descriptam ferens totius anteactæ vitæ historiam, quæ sub oculos omnium subijcietur, & quicquid per omnem vitam gestum fuerit, siue benè, siue malè, clarissimè conspicietur: qua in re homo pictorem imitatur, qui, dum in tabula, ex arte sua pingit, velo se & tabulam tegit, ne, quid agat à quoquam conspiciatur: absoluto verò opere, remoto velo, clarè omnibus exhibet, artis suæ industriam; sic homo, dum viuit, corporis istius tegumento velatus, actionibus, verbis, & cogitationibus, tanquam picturis, historiam suæ vitæ: in conscientia describit, quæ historia quamdiu corpore tegitur, à nemine legi potest: remoto autem hoc corporis velo, clarè ab omnibus videntur, quæ anima secum depicta defert: Et si quidem pulchris virtutum coloribus ornata sit anima, accepta erit Deo: si autem peccatorum sordibus deformis, similitudinem geret dæmonis Christo inuisi, & ipsa erit Deo ingrata.

Quis verò iudex erit?

CHRISTVS Dominus, qui hic duplex sibi sumet officium, Iudicis, & testis: *Ego* (in- *Hier. 29.*

(inquit) *sum iudex & testis, & reuelabo pudenda tua in facie tua*, id est, cum auertere voles cogitationes tuas à peccatis tuis, ego illa tibi ob oculos ponam, & quicquid egeris, clarè obijciam. Quis hic quantusque metus tenebit miserum peccatorem, quando atrocem Iudicis sui vultum, pœnas, ac supplicia, spirantem intueri cogetur? quando eundem audiet exprobrantē beneficia collata? quando exhibentem videbit, vulnera susceptа? quando audiet commemorantem iniurias acceptas, & summam peccatoris ingratitudinem? Ego inquiet, pro te factus homo, pro te laboraui, pro te sanguinem fudi, grauissimas pœnas sustinui, animam posui, hæc vulnera accepi, te multis beneficijs priuatim cumulaui, cogitationes bonas suggessi, occasiones rectè viuendi non rarò obtuli, denique quid debui facere, & non feci? tu verò contra nihil malorum prætermisisti, quibus mihi iniuriam irrogares, & ad indignationem commoueres. Igitur si populus Israeliticus totus contremuit, ad præsentiam Dei in monte Sinai, cum legem daret, & tanquam pœdagogus lectionem præscriberet, quo Deus bone, animo erit homo peccator, quando iam eandem lectionem exacturus redibit, nihilque præter flagitia inueniet, & neglectum legis tam seriò commendatæ.

Exod. 18. *Deut.* 4.

B. Ioannes & Daniel ad aspectum Angeli

quas

quasi mortui in terram corruerunt: Iratum Assueri vultum, Aman ferre non potuit: Sacerdotes seueritate vultus Christi adhuc morituri eiecti ex templo, metu perculsi & obstupefacti, non audebant hiscere: quomodo igitur miser homuncio, peccatis onustus minitantem & furentem DEVM sustinebit? dicturi sunt peccatores montibus cadite super nos, & collibus operite nos ab ira Agni. *Apoc.* 1. *Dan.* 10. *Hest.* 7. *Matth.* 21. *Marc.* 11.

Qui præterea aderunt?

Sancti Dei, quibus comitatus ad iudicandum Dominus venturus est, iuxta Prophetiam Enoch: *Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, facere iudicium.* Coram his sistetur anima peccatoris, fœda multis sceleribus, peccata gestans, & sanctis cœlestibus ea tanquam instrumenta exhibens, quibus Deus offensus, & contumelia affectus, grauiterq; læsus fuit. Sicut igitur, non sine graui pudore nobilis fœmina, in conspectum prodiret principum virorum, conspurcata facie, vestibusque multa, fœdaque sorde maculatis, ita ignominiosum erit animæ peccatrici, se adeò vultu habituque deformem, in tam præstanti nobilissimorum Sanctorum corona, conspiciendam collocare; qui omnes ad eam fœditatem & deformitatem ridebunt, miserumque peccatorem abominabuntur, atque vt est apud Prophetam cum irriso- *Enoch. in epi. Iudæ.*

irrisione dicent: *Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum.*

Similitudine rem declarabo: Si vilis quispiam homuncio, qui nobilium aliquot filiorum nobilissimum ac amantissimum parentem ense peremisset, in filiorum conspectu, solus prodeat, cum stricto illo ense, paterno adhuc sanguine madente; quibus oculis aspicietur à filijs? quo animo feretur? vix profectò manus illi continere poterunt quin sceleratum homicidam discerpant: Pari modo Sancti, quando peccata illa in peccatore conspicient, quibus offensus est Deus, & quasi pedibus proculcatus, summa indignitate peccatorem detestabuntur, eiusq; æternas pœnas desiderabunt.

Neque hic quispiam sibi blandiatur, de nobilitate, dignitate, diuitijs, alijsque rebus, quibus hæc vita illustratur: Sicut enim *non est personarum acceptio apud Deum*, qui nec diuitis rationem habebit, nec pauperis, ita neque Sancti splendore cuiusquam externo, sed sola interna pietate ornatuque animi, mouentur. Habet enim ferè se res perinde, in hoc theatro vitæ humanæ, atque in actione scenica, in qua diuersæ personæ Regum, nobilium, pauperum, mediocrium atque omne genus hominum, à diuersis repræsentantur: Et is quidem frequenter Regis personam sustinet, qui conditione est pauper, & for-

Actor. 10.
Rom. 2.

& fortè mendicus: quemadmodum ſubinde is qui mendicum agit, filius eſt viri lauti & copioſi: Regi ab ijs tantum defertur honor, qui ad ſcenam pertinent, non autem à Ludimagiſtro, vel ſpectatoribus, qui in vniuſcuiuſque actionem oculos defixos habent, & eos commendatione dignos iudicant, qui ſuam perſonam qualiſcunque illa fuerit, ſeu nobilis, ſeu ruſtici, ſeu pauperis quam dexterrimè & quam decentiſſimè repræſentarunt. Similis ſcena eſt in theatro mundi iſtius, in quo Deus iſtius ludi moderator ſingulis hominibus perſonam ſuam agendam diſtribuit, ipſe eſt ſpectator actionis cum Sanctis omnibus, & vniuerſis illis, qui ad hoc theatrum vitæ humanæ non pertinent, vt ſunt Angeli, dæmones, & quotquot tam boni, quam mali ex hac vita migrauerunt. Homines igitur viuentes, hominibus honorem habent, quamdiu agunt in ſcena; peracta verò Comœdia etiam ipſi ad numerum ſpectatorum tranſeunt, à quibus ſpectatoribus, adeoque à Deo ipſo, ſola ratio habetur actionis, non perſonarum, non rarò enim Regis partes agit vir improbus & flagitioſus, nullius apud Deum exiſtimationis; ſicut è diuerſo mendici perſonam gerit, perſæpè vir ſanctus, apud Deum ſummę nobilitatis & pretij maximi: quemadmodum cum mercator quiſpiam, varia moneta vice

calcu-

calculorum vtitur, aurea, argentea, ænea non rarò fit vt in subducendis rationibus æneus nummus, mille aureos significet; cõtra verò aureus nummus vel argenteus obulum: qui tamen nummi, confecta ratione suo loco reponuntur, & aurei pluris quam cæteri æstimantur.

Ex Sanctis autem, Angelus tutelaris, beneficiorum à se datorum, memoriam repetet, vt sæpè saniſſima consilia suggesserit, à peccatis deterruerit, dœmonum conatus retardauerit, Deumque orauerit; queretúrque se non auditum, sed repudiatum. Quid hic erit spei, quid mẽtis misero peccatori, quando ab eo se videbit grauissima accusatione percuti, quem penè vnicum habuit antea propugnatorem ac patronum?

Quod est quartum genus personarum?

Dæmones humani generis hostes sempiterni, operam suam in hac actione non patientur desiderari, qui & bona opera extenuabunt; vti in accusatione Iob factum, legimus: & peccata exaggerabunt, & quodammodo in hanc sententiam differunt.

Iob. 1.

Dæmonis accusatio.

O Iudex æquissime, multa tu præstitisti huic, pro eo excepisti acerbissima supplicia, & mortem denique durissimam: paucula quædam rationi consentanea & factu leuia, vt suum in te amorem, & obseruantiam vicissim declararet, seriò præcipisti; quæ vt præsta-

præstaret alacrius, internum tuę gratię auxilium multaque externa subsidia, submini-
strasti, & summum illud, quod dignitatem omnium creaturarum excedit, præmium certissimo addixisti: Ego in eius gratiam & commodum nihil præstiti vnquam, quin potius nocendi omnes occasiones quæsiui; nihil ei præcepi, sed suasi; & nõ leue aliquid, sed durum, molestum, difficilè. Ipse autem te spreto, & abiecto se mihi adiunxit & consecrauit; conuulsa similitudine & imagine tua, sordidam meam effigiem in anima sua constituit, contempta maiestate & imperio tuo, quæcunque ego vel obscurè insinuaui, alacriter præstitit, & plusquam suggerere ausus fuerim, fecit; suasi vt esset parc⁹ & tenax, pauperibusque Eleemosynas negaret; ipse etiam aliena per vim rapuit, & fœnerando multa, per summam iniuriam corrasit; hortatus sum vt ira animo concepta contumelias & maledicta effunderet; ipse etiam verbera & plagas innocenti imposuit: insusurraui vt sacris diebus neglecto tuo cultu, vacaret otio; ipse non solum hoc fecit, verum etiam pro tuis diebus festis, profestos imò funestas corporis sui dies egit & celebrauit, commessatus est, luxuriatus est multò vehementius, quam alijs diebus, ita vt totius septimanæ peccata in sacros dies, reseruasse videretur. Monui vt ad lautiorem commodioremque

vitam degendam pecunia emeret Sacerdotium, ipse eadem arte plura beneficia inuasit; preces horarias rarò persoluit, impurũ scortum ad multorum scandalum domi, sacrilegus aluit. Quid supereſt igitur quam vt à te quem viuens inter mortales reiecit, spreuit, contumelijs affecit, vicissim reiectus, mihi adiudicetur, quem audiuit, quem coluit, quem imitari studuit?

Ad quas angustias redigetur tunc miſellus homuncio, quando ex conscientia iudicabit veriſſimas esse accusationes? Quo se conuertet cum Iudicem videbit iratum, sanctos indignabundos, dæmonem vt abreptum in gehennam præcipitet accurrentem, conscientiam sibi malè conscium, obiecta crimina confitentem.

Quod examen instituetur?

Factorum, dictorum, & cogitatorum omnium.

Quæ metum examinando adferunt?

Tria potissimum. Primum, multitudo
Luc. 12. earum rerum de quibus erit reddenda ratio; nam *cui plus datum est, plus requiretur abeo.* Scriptura nos vocat Oeconomos, & dispensatores bonorum Domini nostri, bona item
Luc. 16. ista terrarum dicuntur, non nostra, sed aliena: *Si in alieno* (inquit) *fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis?*

Repetet

Repetet ne à nobis Deus rationem omnium bonorum nobis creditorum?

Repetet profectò, & non minus seuerè, atque nos à famulis & œconomis nostris. Esto igitur dives quispiam mercator, qui misso ad nundinas famulo, iubeat optimas merces emi, easque diuersarum regionum, Italicam byssum, Hispanica aromata, Germanica vina, Belgicos pannos, & quicquid Gallia, Anglia, Noruuegia, præclarum habet: Tradat verò illi adhæc comparanda, monetam omnis generis, quæ in prædictis regionibus grata sit; Addat deinde munera amicis fautoribusque offerenda, & denique filios illi suos tres adolescẽtes adiungat, quorum curam ei singulari studio, & affectu commendet.

Peractis nundinis vbi domum reuerterit famulus, exigetur ratio de mercibus, de muneribus, de filijs. Primò, an sicut iussus fuerat, vniuersam pecuniam in merces expenderit: Secundò, quas nam emerit: Tertiò, an bonas, an viles, laceras, singulæ namque inspicientur. Quartò, an æquabili precio nec carius nec vilius.

Non vacabit culpa apud Dominum famulus, si cum merces in mercatu non deessent, vniuersam pecuniam ex ipsius mandato, pro ijs comparandis, nõ exposuerit, multasque vtiles neglexerit.

Secundò, multò minus si cum ad emendum magna pecunia data missus fuerit nihil tamen emerit.

Tertiò, neque erit immunis à reprehensione si non bonas sed laceras, veteresque res domũ tulerit, cum eodem pretio offerrentur res præstantes.

Quartò, si sponte sua carius emerit, cum potuisset vilius.

Quintò, grauissimam incurret Domini offensam, si alijs, præsertim hostibus iuratis Domini emerit non Domino suo.

Sextò, si furatus pecuniam in suum aut aliorum vsum, conuerterit.

Quod ad munera attinet, in magna ei culpa ponetur: si ea dare neglexerit, quibus iussus fuerat, sed vel perire sua incuria permiserit, vel alijs obtulerit, vel sibi seruauerit.

Denique de filiorum commissorum cura inquiretur, quas si vel fugere, vel insolenter se gerere, vel inopiam incommodaque pati, cum potuisset cauere, vel miserè interire permiserit, suique ipsius potius, quam illorum rationem habuerit, meritò graui pœna corripiendus veniet.

Quorsum hæc?

Hæc ad te referas, quem Deus bonorum suorum constituit Oeconomum, atque ad nundinas reum cœlestium, in hunc mundum

dum ablegauit, pecunias varias nempe diuersa beneficiorum genera commisit.

Primò, vitam ipsam.

Secundò, animam cum facultatibus suis, atque potentijs, docile ingenium, tenacem memoriam, eruditionem, prudentiam, & quicquid ad animum pertinet.

Tertiò, corpus sanum, vires, formam honestam, nobilitatem, vsum loquendi, dicendiq́ue facultatem.

Quartò, externa bona, diuitias, honores, dignitatem, authoritatẽ, cibum, potumq́ue, locum & tempus ipsum, in quo viuimus.

Munera sunt cum cæteræ diuitiæ, tum maximè Ecclesiastica bona, quæ ad inopum necessitates, cultumq; Ecclesiarum fuerunt à maioribus relicta & donata. *Vide Prax. Catech. n. 15.*

Filij sunt quoscunque nostræ curæ Deus commisit, liberi nostri, famuli, mercenarij, & nobis quacunque ratione subiecti.

Examen igitur sic à Deo instituetur, vt inquirat, an his beneficijs omnibus, bonisq; acceptis, ad ipsius gloriam vsi fuerimus. Indignabitur enim Deus: Primò, si aliquod talentum neglexerimus expendere, tametsi reliqua in bonum vsum conuerterimus, nempe si scientia quidem, eloquentia, authoritateq́ue rectè fuerimus vsi, pecunias verò non vtiliter elargiti, tempus sine fructu triuerimus, verbaq́ue temerè effuderi-

mus: vult enim Deus, nihil quod nobis ad lucrum commisit, suo lucro vacare.

Quamobrem, secundò, graui peccato se illi obstrictos intelligent, qui talenta omnia inutiliter expendunt, neque lucri aliquid ad animæ suæ salutem reportant.

Tertiò, etiam illi, qui in rebus non omninò quidem malis, aut noxijs, sed non perinde integris, atque vtilibus, toti occupantur, vt qui ad altiora nati, ingenia sua in rebus minutioribus, vt Musicis, Poëticis, temporalibus externisque occupationibus, & curis defigunt; qui bona opera, vel praua intentione corrumpunt, vt qui ad laudem & inanem gloriam eleemosynam tribuunt, qui in confessione, peccatum aliquod, de industria silentio prætereunt, qui Christi corpus, in peccato suscipiunt, vel negligentia obscurant, & quasi puluere aspergunt, vt qui in oratione mentem habent longè latéque dispersam & vagantem: qui varijs sermonibus dissoluuntur, quando in pauperem conferunt eleemosynam, &c. Ait enim Dominus: *Ego iustitias iudicabo*, bona inquam opera, quæ rectè sint facta, examinabo. Psal. 74.

Quartò, qui carius emerint, hoc est pro ratione pecuniæ expositæ, parum retulerint domum, vt sunt, qui cum præstantia à Deo acceperint talenta, magnas vires & opes, plurimum temporis, &c. Exiguum tamen lucri

lucri fecerint : vires corporis ferebant quidem maiores labores; diuitiæ maiorem eleemosynam ; ætas tot annorum auctiores virtutes:at ipsi minoribus contenti fuerunt. Monuit itaque rectè sapientia : *Quodcunque potest manus tua,instanter operare.*

Quintò, qui contra Dominum talentis vsi fuerunt; doctrina ad hæreses;pecunijs ad fastum,luxum,libidinem;verbis ad blasphemias, conuitia, periuria , impuritatem , detractionem ; potestate ad peccata sua aliorumque,&c.

Sextò, qui talenta Domino furto abstulerint,atque ad sua ipsorum commoda retulerint, vt qui in diuitijs , atque honoribus oblectantur , & in bonis Domini sui , non aliter atque si à Deo accepta non essent,gaudent,deliciantur,glorianturque.

Iam verò de muneribus, hoc est, de eleemosynis in pauperes erogatis, cum omnibus quidem , potissimum tamen cum ijs, qui Ecclesiasticis Sacerdotijs sunt ornati, districta accurataque instituetur quæstio. Siquidem res pauperum , non pauperibus dare,par crimen sacrilegij est,&(quod olim Canonico cuidam scripsit B. Bernardus) quicquid tibi seruas, præter victum & simplicem amictum, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. Et sicut grauius in Sacerdotum , quam in sæcularium vitia animaduer-

Domine quis credit auditui nostro?

tetur (quia apud sæculares, nugæ sunt nugæ sed in ore Sacerdotis nugę sunt blasphemię) ita seuerius in Ecclesiastica bona inquiretur, nempè de beneficiorum numero, de prouentum magnitudine, de sumptibus factis, in quos vsus, de possessione eorum legitima, an per Simoniam parta, aliaque id genus innumera.

Denique de subditorum peccatis negligenti cura, ignorantia, exiguo profectu reddenda erit superioribus ratio; non modo an doctrina, verbo, aut exemplo, præbuerint ad malum occasionem, sed an omissione, negligentia, & negotijs aut occupationibus alijs, minus necessarijs detenti, eorum salutem aut progressum minus promouerint.

Alterum quod in diuino examine metum conciliabit profer.

Iudicis exactissima & diligentissima inquisitio, accurata inspectio, & seuera punitio: Quis paterfamilias in magnis rationibus obulum vnum, qui forte perijsset, à famulo exigit? at Christus non solum nouissimum quadrantem reddi iubebit, sed de omni verbo otioso rationem exiget; quanto magis de his, quæ otioso verbo grauiora sunt? Quis item antiquas offensas, minutioresque, quæ memoria exciderant in medium adducit? at Deus occultissima quæque inuestigabit, *scrutabitur q3 Ierusalem in lucernis*, &

Matt. 5. *Matt. 12.* *Soph. 1.*

for-

sordes omnes minimosque pulueres in angulis abstrusos, proferet in lucem.

Quis denique cogitationes indagat quando res ipsa quæ præstatur est vtilis & commoda? Deus autem penetrabilior omni gladio ancipiti, penetrabit vsq; ad diuisionem animæ & Spiritus, distinguens inter animæ, hoc est naturæ cogitationes, & diuini Spiritus motiones, discernens intentiones intimas cordis, ipsasq; medullas, & animæ compages, ne quid vel intus lateat impuritatis, vel foris adhæreat. *Heb* 4.

Adde & tertium?

Tertia est, grauissima & acerrima Christi Iudicis, de rebus existimatio; *non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ, neq; viæ meæ, viæ vestræ, dicit Dominus, quia sicut exaltatur cœlum à terra, ita cogitationes meæ, à cogitationibus vestris.* Qui bonos habet oculos & acutè videt, minimas notat & obseruat maculas: qui valdè studiosus est mundiciei, nō potest ferre, vel exiguas in pretiosa veste sordes: in facie speciosa, & pictura excellenti, paruus nęuus ab artifice peritissimo, notatur facillime: CHRISTVS amantissimus puritatis, atque adeò ipsa puritas, aspectu suo omnia peruadens, & penetrans in anima, nobilissimo, pulcherrimoque Dei opere, minimos næuos, & videt clarissimè, & fert inquissimè. Nos veluti corpore, oculis mentis capti, sor- *Isa.* 58.

dibusque vitiorum immersi, vix quod rectum est, aliquo modo perspicimus. Itaque nos quædam arbitramur exigua peccata, in quæ Deus grauissimè animaduertit.

Affer quæso huius rei exempla aliquot probata.

Quis nostrum non existimaret exiguum
Gen.3. peccatum Adami, primi parentis, qui vxoris desiderio satisfaceret, pomum vni-
Num.15. cum gustauit; & quis magnificaret colligere ligna paucula, die sabbathi, ad culinę necessitatem? Quis Moysi peccatum, quo iusta in-
Num.20. dignatione commotus hoc solum dixit: Audite rebelles, & increduli, num de petra hac,
Iosue.7. poterimus vobis aquam educere? Quis sa-
Actor.5. crum Achan, qui ex hostium ciuitate nonnulla clàm seruauit, de bonis gentilium, contra ducis sui Iosue mandatum? & Ananiæ Saphiræq; mendacium, qui metu egestatis non integrum pretium venditi agri B. Petro obtulerunt? & hi tamen omnes grauissimè puniti, euidenter docuerunt, quanti apud Deum hæc peccata fuerint: Adami peccatum etiamnum luimus; collector lignorum & Achan lapidibus obruti fuerunt: Moyses mortalium omnium mansuetissimus, Deoque charissimus, ad terram promissionis non adspirauit. Ananias & Saphira morte mulctati, & quis reum gehennæ puta-

putaret illum, qui dicit fratri suo, fatue, nisi iudex ipse affirmaret? *Matth. 5.*

Fit ne aliquando vt quæ nos in peccatis non numeramus, Dei iudicio peccata esse deprehendantur?

Vtique: Ionathas enim ignorans patris sui indiscretum mandatum, nonnihil mellis gustauit, quod Deus, quam sibi ingratum fuerit, negato oraculo, patefecit, erat iam capite plectendus Ionathas, nisi populi authoritate fuisset liberatus. Dauid quod vana quadam leuitate impulsus, numerandum populum curauisset punitus est triduo, interitu 70. millium hominum. Vnde magno affectu clamare cœpit: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me Domine.* *1. Reg. 14.* *2. Reg. 24.* *Psal. 18. ver. 13.*

Velim & hoc scire an eorum aliqua quæ nos in bonis operibus ponimus, peccata sint coram Deo & grauiter punienda.

De hac re nihil dubites: Bethsamitæ visa arca obtulerunt sacrificium, ex ijsque occisi 70. nobiles viri, & 50. millia è plebe. Saul parcens Amalech, & melioribus ouium gregibus, ad sacrificium, traditus est diabolo, priuatusq; regno, mortem deniq; sibi ipse consciuit: Oza leuita tenens arcam Domini ne caderet, subitò perijt. Propheta ab altero diuinum præceptum mentiente, ad cibum sumendũ inductus, à leone occisus est. B. Petrus obseruans Dei sui maiestatem, cum recusaret humiliter, pedes sibi à Christo lauari, audiuit: *1. Reg. 6.* *1. Reg. 15.* *2. Reg. 6.* *3. Reg. 13.*

Ioan. 13. diuit; *Nisi lauero te, non habebis partem mecum.* In hoc ergo Christi æquissimo iudicio, multa adferentur in lucem examinanda occulta, & quæ non arbitramur considerandа, ne dū punienda. Plerique se multis meritis, bonisque operibus existimant placere Deo, qui tunc se prorsus vacuos omni merito inuenient, vel quia mercedem in hac vita mortali, per fœlicitatem temporalem, receperunt: Luc. 16. quemadmodum purpurato illi Epulonidictum fuit: *Fili recordare, quia recepisti bona tua, in vita tua*: vel quia bona illa opera, per inanem gloriam, aliaue peccata, vitium contraxerunt, vel euanuerunt. Quemadmodum de ieiunijs, eleemosynis & orationibus Pharisæorum testatur Dominus: Matth. 6. *Receperunt* (inquit) Matth 7. *mercedem suam*, & de alijs: *Multi dicent mihi in illa die, Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & in nomine tuo, virtutes multas fecimus, & in plateis nostris docuisti*, concionati sumus, conciones continenter audiuimus, ad fidei confirmationem miracula edidimus? Quibus Ibidem. responsurus est Dominus: *Amen dico vobis, nunquam noui vos*, ne tum quidem, cum miracula ederetis, tamq; præstantia opera perficeretis: *discedite à me omnes operarij iniquitatis.* Non deerunt, qui se frequenter confessos affirmabunt, & à peccatis liberos existimabunt, qui ijsdem adhuc peccatis maculati

con-

condemnabuntur: vel quia sine peccatorum vero dolore confessi; vel quia sine proposito mutandæ vitæ.

Quis igitur non metuat Iudicia Dei? quis glorietur se castum habere cor? quis non videat quam sit necessarium, vt semper sit pauidus, omniaque suspecta habeat, nec secure viuat, suisque vitijs laxet habenas? *Si enim iustus vix saluabitur*; si B. Paulus, hoc Dei iudicium tam anxiè metuit, si sancti omnes reformidarunt Christi aduẽtum ad iudicium: *impius & peccator vbi apparebunt?*

Discussis cognitisq; causis quid fiet deinceps?

Procedetur ad sententiæ pronunciationem. Gerit se Christus ritu præceptoris, qui iniuncta Discipulis lectione, videns eos studiorum tempore nugari, garrire, ridere, ludere, & alijs rebus illicitis operam dare, silet vsque in tempus recitandarum lectionum, quando ignoratæ lectionis, ab omnibus meritas pœnas repetet. Ita Christus de cœlis prospectat quid agatur, patiturque, nos pro arbitratu nostro viuere, & quidlibet agere; *Hæc est* (inquit) *hora vestra, & potestas tenebrarum*, hora est breue tempus. At vbi venerit hon hora, sed dies Domini, acerrimum aget, non iam monitorem, sed iudicem, sententiaque sua terrebit impios. Luc. 22.

Estne

Estne formidabilis summeq; metuenda ista hæc sententia?

Est equidem & multis nominibus.

Primò, propter constantiam ac integritatem Iudicis, qui nullis precibus, nullis lachrymis, nullis promissis, nullo propositò emendationis, & pœnitentiæ, nulla intercessione sanctorum flectetur, nullius terrebitur nobilitate, nullius eruditione, nullius authoritate, potentia, diuitijs: Nullas admittet excusationes, sed pro iustitia iudicabit impios. Apud mortales videntur locum aliquem habere excusationes nonnullę. Primò si ab aliquo, de officio moniti, dicamus nos esse homines sęculares, externis negotijs occupari, occasiones peccandi, iurandi, plus æquò bibendi, nugas tractandi, &c. vitare non posse, &c. esse cum sæcularibus in huiusmodi quotidianis rebus conniuendum. Secundò, magnam esse eorum multitudinẽ qui ita faciant, & hanc viuendi rationem constanti, ac penè generali omnium hominum consuetudine iam diu corroboratam. Ita aiunt, iam fieri consueuit, vt hospites ad æqualia pocula cogantur, vt sermoni, quasi ornatus gratia misceatur iuramentum, vt lepidæ narrationi, addatur mendacium. Tertiò, multo grauiora in alijs esse peccata; imo quidem inquis, sed alter peiurauit: nonne melius est, Sacerdotem, vna muliere contentum

tum viuere, quam incertis vagisque libidinibus, alienos thoros violare? Quid magnum feci ebrietate? nemini nocui, neminem læsi, nullius facultates abstuli.

Hæc speciosè apud homines: at non habebunt locum apud Deum, qui & multitudinis inueteratam peccandi consuetudinem euersis Sodomis, totaq; Pentapoli, hoc est, quinque regnis, grauissimè castigauit; & nõ solum in grauiora flagitia sæuiet, sed leuiora quoque delicta vindicabit, qui non solum cultores vituli in deserto prostrauit, sed pauperculum colligentem sabbato ligna, lapidibus obrui iussit, & non tantum decem millium talentorum debitum exiget, sed nouissimum etiam minimumque quadrantem solui volet, & non modo ligna, sed fœnum quoque & stipulam, res minutissimas ignis vastabit & absumet.

Gen. 19.

Exod. 32.
Num. 15.
Matth. 18.
Matth 5.
1. Cor. 3.

Si quas alias habes rationes enarra?

Secunda sumetur à magnitudine rerum, quæ misero adiudicabuntur; non hic agetur de limitibus, de stillicidijs, de restitutione debitæ pecuniæ; quæ tamen res non parum anxias reddunt partes, quando ad sententiam lis est perducta. Sed de summis malis, aut summis bonis, talibusque, vt nullius homins mens & cogitatio, vel horum bonorum præstantiam, & multitudinem: vel illo-

illorum malorum vehementiam,& atrocitatem, animo compræhendere possit; tamque diuturnis vt non vno aut pluribus annis finiantur, sed in perpetua secula, & in omnem æternitatem durent; & nunquam intermoriantur aut terminentur, quamdiu Deus ipse futurus est Deus.

Tertia verò ab immutabili sententia, quę nullo iudicio retractabitur, nullaque de causa relaxabitur. In hac vita permittuntur ad superiores Iudices appellationes, vel causarum reuisiones, quia fortassis Iudex vel ignorantia laborauit, vel affectu: DEVS creaturarum omnium Dominus & conditor, supremus Iudex est, ad quem ab omnibus prouocari potest, à quo ad alium nullum est appellatio; cumque omnia clarè præuideat, non potest ignorantia falli; & cum personam nullius accipiat, sed omnes homines ardentissimè diligat, non agitur affectibus. Igitur quando discussis omnibus, erit æterna illa & irreuocabilis à Christo pronuncianda sententia, quantus metus miseram animam inuadet, ne fortè sors aliter, atque optandum illi esset, cadat? quæ trepidatio quando eleuata manu, conuersisque in te oculis, labia mouere, os aperire, verba edere, ad sempiternam illud immutabile, summique momenti decretum iudex incipiet.

Fami-

Familiari aliqua similitudine si potes rem tantam mihi ob oculos pone?

Si apud potentissimum Regem vir quispiam nobilis, multorum flagitiorum accusatus, suis tamen dilectus; pro quo liberando ciues sui supplicent, hostes verò eum ad horrendum ignis supplicium postulent & vrgeant: Rex sorti committat sententiam, vt prout sors exierit, vel adoptetur in filium Regis successurus in regno, vel igni extructo quam primum exuratur; Adsit præsens huic sortioni miser ille captiuus; videat duas illas scedulas in vrnam mitti, vrnam nonnihil agitari, tum adolescentem brachium manumque mouere, eamque in vrnam mittere, scedulam alteram educere, explicare, explicatamque Regi legendam pronunciandamque exhibere; tanta hac actione, quomodo miselli hominis cor palpitabit? quas non preces ad Deum fundet? quæ non vota nuncupabit? quomodo non toto corpore contremiscet, totusque madebit in re tanti momenti? Et hæc tamen res quanti est ad sentẽtiam Christi? mors temporalis ad mortem sempiternam? ignis terrestris & caducus, ad ignem inferni inextinguibilem? Nõ agetur hic quidem sorte aut fortuitò, sed sapientissima iustitia Christi. Verum quamdiu tibi ignota erit dubiaque sententia Iudicis, & inde quidem vrgebunt aduersarij dæmo-

nes ad ignem, infernusque os suum aperire ad te deuorandum; hinc verò mens sibi malè conscia veritati non repugnabit, nonnè in magnis angustijs eris? profectò si spes aliqua euadendi appareret, nihil non offerres Deo, vota nuncupares, sanctissimeque non modo vitæ mutationem, sed maximam quoque pœnitentiam, corporisque afflictiones per omnem vitam iurares, atque pollicereris.

Posteaquam verò fatale illud, & totius rerum vniuersitati horribile verbum Iudex edixerit: *Discede maledicte in ignem æternũ.* Matth. 25. Deus bone quæ desperatio? qui fletus? quæ lamenta? singula verba admirabili pondere concutient animum, ipsasque cordis medullas penetrabunt: *Discede à me.* Hactenus patronum patremque tuum egi, innumera beneficia largitus sum, tui curam habui, in posterum ab hoc momento, nihil mihi tecum negotij erit, te nunquam exaudiam, tui in grauissimis miserijs & calamitatibus nunquam miserebor, nulla vnquam tuorum cruciatuum commiseratione mouebor, discede ab omni bono, alienus à Deo, & bonorum Sanctorumque communione, Dei faciem nunquam visurus, nil boni aut commodi vnquam habiturus.

Maledicte: Ecce tibi nouo isto nomine, tot splendida prænomina honorumque tituli commutantur. Prius Reuerendus, Doctissi-

ctiſſimus, Nobilis, Generoſus, Illuſtris, Reuerendiſſimus, Illuſtriſſimus, Doctor, Comes, Dux, Princeps, Rex, prælatus, Pontifex, &c. Nunc æterna obliuione omnibus iſtis ſepultis, ſolum eris re ipſa, & nomine maledictus: Ita miſerijs, calamitatibus, cruciatibus, tormẽtis, omnis generis oppreſſus & circumuallatus; vt nulla pars, nullaque facultas, ſuis tormentis ſit vacua. Ita prorſus maledictus, vt non ſolum ipſe maledictionem apud te ſentias, ſed eandem tuam miſeriam, cum maxima tua confuſione, omnes videant, teq; plenum eſſe maledictionibus, luce palam cognoſcant. Maledicet enim tibi Deus ipſe, cuius maledicere, eſt mala inferre, maledicent ac deteſtabuntur te cœlites, maledicent terreſtres, maledicent dæmones, & damnati maledictionis ſocij, maledicent denique creaturæ omnes, malaque imprecabuntur, vt ſis per omnia in omnibus, & ab omnibus in æterna ſæcula maledictus.

In ignem: Cruciatum & tormentum, quo maius cogitari ab homine non poſſit.

Æternum: Cuius finis tunc erit, cum Deus, (cuius regni non erit finis) Deus non erit.

Qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius: Cœlum tibi creatum, comparatumque fuerat, non gehenna, ad gloriam excitatus eras, non ad pœnam deſtinatus: non vt Dęmonis po-

testatem venires generatus, sed vt immortalem cœlestis gloriæ hæreditatem adires, pretioso Dei sanguine redemptus & regeneratus. At quia dæmonis consilia moresque secutus, indignum te reddidisti domo cœlesti, nullus alius tibi supereſt locus, quam qui Dęmonibus est constitutus, vbi Lucifer imperium tenet, hostis tuus immanissimus, qui cum Angelis suis, hoc est Dæmonibus, nihil aliud per omnem æternitatem facturus est, quam vt ad tormentum ignis, alios tibi cruciatus innumeros adijciat. Heu quæ verba, quæ modo quidem parum à te ponderantur, at vero tunc, cum seriò causam tuam agi perspicies, intima cordis tui viscera penetrabunt.

Dum hæc audio turbatur in meipso anima mea, & contremiscunt omnia ossa mea; Quid quaso mihi faciendum censes?

Ita tibi viuendum puta, ne ab auditione mala in illa die timendum sit, quin vero supra omnem modum gaudendum. Si enim composito ad serenitatem vultu, oculisque ad te suauiter conuersis, dulcissimis, illis optabilissimisq; verbis, te compellare incipiat: *Veni benedicte patris mei*: Discussa omni tristitia, pulsoq; metu, succedet admirabile gaudium, cordisque suauitas, animusque in amorem Dei sui liquefactus, singula verba dul-

dulciſſimo guſtu percipiet, ſummaque voluptate expendet.

Veni: verſatus hactenus in mundi afflictionibus, dæmonumque moleſtijs & tentationbus, varijſque periculis miſer, ijs in poſterum omnibus malis liber, extra pericula occaſioneſque malorum, ne minimum quidem malum, in æternum paſſurus: Veni ad me ſummum bonum, vt ſemper mihi adhæreas, neque de latere meo vnquam recedas.

Benedicte patris mei: Nouum nomen quod nemo nouit, niſi qui accipit. Repleberis benedictionibus & bonis intus foriſque, ſic glorioſus, vt conſpicuus ſis vniuerſo orbi futurus: Benedictus à Deo, qui te infinitis bonis cumulabit. Benedictus à ſanctis Angelis & vniuerſo beatorum cœtu, qui tibi congratu labuntur: Benedictus ab inferis & damnatis, quorum inuidentia & maledictiones gloriam tuam augebunt mirabiliter.

Poſside. Hactenus ſpe vixiſti, & labore cœlum emiſti, nunc ingredere, nunquam egreſſurus, poſſide nunquam amiſſurus.

Regnum: Vt ſcilicet cum Chriſto regnes, in eodem throno reſideas, ſummaque gloria, libertate, potentia, diuitijſque in æternum abundes.

Paratum tibi à conſtitudione mundi. Iam

finem adipiſceris tuæ creationis, cœlum tibi factum eſt & tu cœlo; non excidiſti à termino; gaude igitur quod in te diuina voluntas ſit omnino perfecta. His vocibus ad CHRISTVM euocatus, innixus ſuper dilectum tuum, ad cœlum proficiſceris cum lætitia inenarrabili.

DE PVRGATORIO.

Ad quæ loca iudicati destinantur?

TRia sunt genera hominum, in quos à Christo Iudice, statim à morte sententia profertur. Primò, quidam enim ex hac vita discedunt, obstricti peccato mortali vt Gentiles, Iudæi, omnesque hæretici, præterea Catholici illi, qui peccata sua pœnitentia non deleuerunt. Hi omnes omninò, durissima Christi sententia sempiternis flammis adiudicantur, quorum numerus cum sit longè maximus magnopere vereri quilibet debet, ne illo etiam ipse comprehendatur.

Secundò, sunt qui plenè atque perfectè, peccatis purgati, multisque operibus bonis meritisque redundantes vita decedunt, qui statim à corpore ad vitam æternam transmittuntur; pauciſſimi rariſſimique illi sanè, quod ingens sit splendor gloriæ cœlestis, ad quem difficillimum est attingere laboribus nostris.

Sunt igitur Tertiò, inter hos medij Catholici, amici Dei, diuinaq; gratia ornati, qui ob internũ Spiritus S. donum amicitiamq; Dei securi sunt, & tuti à gehenna, neq; tamen ob sordes quasdam, reliquiasq; peccatorum ita mundi, vt digni habeantur consortio sanctorum, atque his purgatorium designatur.

Qui mittentur ad purgatorium?

Primò, qui post mortalia peccata, dolorem quidem syncerum & sufficientem ad culpam, non autem ad pœnam omnem auferendum, concipiunt, sed morte præuenti nondum Baptismo, (aut si quidem Christiani sint) pœnitentiæ sacramento sunt expiati, & si admodum pauci, quod rara sit vera contritio extra sacramentum.

Secundò, qui à peccatis mortalibus pœnitentiæ sacramento purgati fuerunt, sed dignos pœnitentiæ fructus non egerunt. Horum in purgatorijs ignibus est ingens numerus, quod verè in hac vita homines de satisfactione nihil vel parũ cogitent, sed omnem satisfactionem in futurum sæculum reseruent.

Tertiò, qui mortalibus quidem peccatis liberi decedunt, sed quotidianis & venialibus occupati.

Quod nam inter hos est discrimen?

Horum aliqui grauioribus, quæ proximè ad mortalia accedunt, qualia sunt iurare, in re non magna fraudem facere, mentiri, in templis irreuenter inambulare. Alij minus quidem grauia habent, sed quæ difficulter vitare queas; vt temporis aliquid otio & fabulis terere, ad laudem suam leuiter loqui, in cogitatione illicita nonnihil hærere; paulò amplius quam sibi aduertat necessarium, vel

vel ad sanitatem vtile, potus aut cibi sumere. Alij denique minima sine quibus propter naturæ nostræ imbecillitatem, hæc vita non ducitur, cuiusmodi sunt otiosum verbum, inanis risus, distractio mētis in orationibus, leuis oblectatio in laude, & motus illi, quos Theologi secundò primos appellant, hoc est, affectiones malarum cogitationum, quibus priusquā plenè aduertat, voluntas tangitur & leuiter oblectatur. Hæc omnia debent perpurgari, quia nihil inquinatum aut minima labe aspersum intrabit in gloriam beatorum: Apostoli omnes Christi testimonio mundi erant, dictum est tamen B. Petro; *nisi te lauero*, hoc est, nisi absterſero pulueres pedum tuorum, leuiaque peccata deleuero, *non habebis partem mecum*; quia etiam qui lotus est, munduſque totus, opus habet, vt pedes lauentur, & non tantum ligna, sed fænū quoque & stipula, adeoque festuca, igne absumuntur. *Ioan. 13.*

Vnde hanc doctrinam hausisti?

Ex similitudine qua B. Paulus, cuiusque animæ post mortem, particulare iudicium declarauit, intelligimus, neminem prorsus hominem euasurum ignem, hoc est, diuini iudicij rigorem & seueritatem, ad quam seueritatem id omne pertinet, quicquid inter mortem & æternam beatitudinem, vel *1. Cor. 3.*

damnationē intercedit: Sicut enim ad molestias examinis, quo ad altiores gradus studiosi parantur, refertur quicquid ante gradum, aut ascensum difficultatis ex malis responsis oritur, qualia sunt confusio, obiurgatio præceptoris, terrores & verbera; Ita ad CHRISTI iudicium & examen pertinet, timor, pudor, purgatorius ignis, & maiores minoresue cruciatus, & tormenta, pro meritis & conditione vniuscuiusque.

Quis Paulo argentū, aurum & lapides pretiosi.

Qui igitur in hac vita, vel martyrio, vel longa infirmitate, varijsque malis à Deo immissis, vel spontaneis pœnitentijs, corporisque molestijs omnino purgatus, nihil præter aurum, argentum, lapidesque pretiosos secum defert, facile sustinebit iudicium & examen illud rigidissimum, sicut discipulus diligenti, diuturnoque studio paratus, non fert molestè examen præceptoris.

Qui verò attulerit maculas, & in hoc examine non per omnia, vt par est, Christo Iudici, responderit, admittetur ille quidem ad gradum honoremque vitæ & gloriæ sempiternæ, sed non sine reprehensione, sensuque doloris: qui dolor peccatorum magnitudini multitudinique respondebit.

Quid lignum, fœnum & stipula.

Ligna id est maiora absumentur tardius; fœnum, id est, minora citius; stipula atque festuca, id est, minima, sola motu transitus auferentur per ignem.

Quam

Quam fœlix qui à gehenna liber, purgatorijs ignibus, post hanc vitam mundatur?

Itane parui faciendas putas : Memento eas pœnas esse grauissimas & acerbissimas, quantas secundum sententiam B. Augustí: nulli passi sunt martyres, pro iustitia : Vel impij pro flagitijs. Cogita lētum ignem craticulæ B. Laurentij; cogita confractiones ossium, membra contusa, cutem detractam, bouem Phalaridis, & quicquid tormentorum cuiquam illatum est ; grauior est pœna quæ te expectat; CHRISTI quidem Domini passio superauit cæterorum omnium viuentium dolores; sed grauiores sunt illa, purgatorij cruciatus, ad quos adeò serena fronte, & erecto animo tu festinas; B. Apostolus vocat eum nomine ignis, quo nihil in hac vita vehementius torquet & affligit. Malachias *Malch. 3.* Propheta CHRISTVM purgatorio igne, animas mundantem, facit similem homini, qui in ardentissima fornace conflat aurum atque argentum, conflatumque célat, ne quid sordium vlla in parte restet. Si cogites hominem nimio ardore liquefactum per minutissima coli foramina transmitti, intelliges grauissimos cruciatus à propheta significari.

Vnde

Vnde colligis tantam purgatorij acerbitatem?

Possumus ex ijs, quæ in hac vita contingunt, aliquo modo seueritatem Christi, in animas quæ purgatorijs ignibus expiantur, conijcere. Tribus potissimum modis luunt in hac vita pœnas homines pro peccatis.

Primò quas homines ipsi assumunt. Secundò quas Deus infligit, morbis, bellis, fame, persecutionibus alijsque modis. Tertiò quas Ecclesia, per ministros suos sacerdotes, imponit:

Et quidem si eas pœnitentias considerem us, quibus se complures, sua sponte, pro peccatis mulctarunt, inueniemus grauissimos labores, & corporis cruciatus longè acerrimos. Simeon stilites multis annis sub dio, in columna stetit; alij continuis ieiunijs, cilicijs, frigore, verberibus, carnem afflictarunt, neq; vllam corpori quietem reliquam fecerunt;

Deus etiam grauissimè peccata castigat, vt enim Adamum Dauidē & Moysen prætermittamus, aliaque veteris, nouique testamenti exempla; B. Hilarion (vt author est B. Hieronymus in vita ipsius) semel nonnihil in oratione pro fragilitate humana distractus, sentit sibi insidentem diabolum, calcibus pungentem, cædentem, grauiterque affligentem.

Po-

Postremò Ecclesia Dei, magnas olim pœnitentias in peccatores constituit, ieiunia, publicam confusionem, vigilias, multaque id genus; & quidem hæc pro grauitate peccatorum magis vel minus diuturna; quosdam totam quadragesimam voluit pœnas dare, alios per annos, alios septē, nonnullos per omnem vitam. Si igitur homo ipse vestitus carne, tam grauibus pœnitentijs iudicat peccata sua expianda, quid Deum facturum censes, qui nec minimum verbum otiosum, impunitum patietur abire.

Et si Deus in hac vita, tam graues pœnas à peccatoribus exigit, in tempore misericordiæ, & vbi non solum satisfaciunt opera, pœnæque hominum, sed etiam apud Deum merentur, quam graues erunt illæ, quæ in futuro sæculo dependentur? in sæculo non misericordiæ, sed iustitiæ, vbi non merito locus erit, non satisfactioni, sed satis passioni. Denique si mater Ecclesia, in sinu suo ita grauiter filios suos castigat, quam grauiter animaduertet Deus Pater in filium, à matris sinu ipsa nimirum visibili Ecclesia aliò abreptum? grauiora sunt nempe verbera patrum, quam matrum.

Porrò quæ efficient magnitudinem tormentorum istorum?

Primò, locus subterraneus, horridus, tenebricosus.

Secun-

Secundò, dæmones qui & præsentia sua, funestoque aspectu terrebunt, & administri erunt iustitiæ Dei.

Tertiò, ignis ipse, aut frigus, quo admirabili modo, animæ, licet à corporibus distractæ, diuina potentia torquebuntur.

Quartò, dilatio visionis Dei, quæ animam à corpore laxatam, nihilq; præter Deum suum desiderantem, supra id quod explicari potest, affliget. Sicut enim diuturna fames & sitis, ita vehementer cruciat hominem, vt quiduis tentare & aggredi audeat ad famem sitimque sedandam, malitque quouis alio quam isto mortis genere interire, ita anima corpore soluta, non amplius voluptatibus huius mundi præpedita, intelligens, quam suauis sit Deus, qui solus desiderium explet rationalis creaturæ, mirabili cupiditate auet videre Deum, eiusque præsentia satiari: tantoque famis cruciatu, vt plerisque dicatur, hęc sola pœna, in purgatorio infligi.

Quintò, temporis vel æui illius longitudo, non enim horam vnam atque alteram, durat hæc pœna, aut paucos dies, interposita noctis quiete, sicut in hac vita; sed dies subinde multos & annos

Vnde vero id colligũ?

Gen. 50. Ioseph̃us septuaginta septem diebus defleuit

fleuit parentis delicta, non dubitans quin tot diebus potuissent puniri. Vetustissimus est in Ecclesia vsus anniuersariorum sacrificiorum, pro animabus fidelium, quia creditum semper fuit à Christianis, nonnunquã annos aliquot in his pœnis consumi. Et sanè si vnum mortale peccatum, septem annorum satisfactione, iuxta veteres Canones pœnitentiales, expiabatur, qui multis grauibusque criminibus vitam suam commaculauit, an non plurimorum annorum purgatione indigebit, nisi Ecclesiæ viuentiumque suffragijs adiuuetur?

Qui ista, qua par est attentione expendet, non reponet in magna fœlicitate, in flammis purgatorij versari. Si enim hominem extrema inopia laborantem, fameque morientem, nemo fœlicem dicet; si miserum putamus latronem illum, qui in rotam actus, fractis cruribus, alijsque ossibus & membris, toto triduo, sub dio, media hyeme, cum suis tormentis & doloribus luctatur: quomodo non est censenda miserabilis anima, quæ plurimis annis continenter, nulla data quiete, cum tantis doloribus conflictatur, quantos nemo vnquam mortalium in hac vita sustinuit? Imò verò quomodo non est dicendus homo infelix, qui dum hæc non ignorat, assiduis & quoditianis pecca-

peccatis, supplicia futura auget, dumq; pœnitentiam & afflictionem, qua breui tempore in hac vita posset peccata expiare, in futurum sæculum reijcit, vbi & tardius purgantur, & grauissimis supplicijs purgantur?

Quicquid sit fœlices iudico, vt pote de æterna salute securos?

Est in hac re magna animarum illarum fœlicitas, quod certi de æterna salute, inferni pœnas non pertimescant: maior tamen
2. Pet. 1. erit nostra, si per *bona opera certam nostram vocationem faciamus*, pœnasque purgatorij tam atroces & diuturnas, pœnitentijs & corporis molestijs, sponte in hac vita susceptis, deuitemus.

Vt in tremendo illo iudicio securus sim, quid faciam?

Si securo & erecto animo esse cupis, in tremenda illa iudicij hora quando discussa causa tua, fatalis illa, & æterna in te sententia pronunciabitur, quinque ista documenta in animo tuo inscribito.

Primò, metuas iudicium illud sententiamque eius dum manes in hac vita, secutus exemplum Apostoli Pauli, atque aliorum sanctissimorum, lectissimorumque virorum, nunc enim salutaris est metus, vtilisq; ad vitandam sententiam damnationis, tunc autem

autem quantuscunque tandem sit ille, nullo prorsus emolumento tibi erit.

Quare in hac vita metuam?

Habemus sanè non minorem modò metuendi causam, quam tunc habituri sumus, quod & nesciamus qualis sit in nos sententia proferenda, & fortasse non longe absimus ab illo momẽto, cum iudicio sistemur, quis enim est cui sit exploratum se vsque ad vesperum esse victurum?

Nam Primò, si conscientiam nostram perlustremus, plura illic fortassis inueniemus digna damnatione quam salute; plura inquam peccata, quam bona opera, quippe qui quotidie peccata peccatis addimus, de virtutibus colligendis nihil cogitamus; minora peccata siue venialia pro nihilo ducimus.

Secundò, si tibi sis aliquorum bonorum operum conscius, fortassis quia Deus illa mercede & præmio temporali in hac vita compensauit, tibi postea dicetur, *recepisti bona in vita tua, recepisti mercedem tuam.*

Tertiò, te securam in peccatis vitam agente, nihilque minus quam de futura sententia cogitante, fortassis Deus in secreto suo consilio, de te in flammas tartareas ante vesperam demergendo, cum suis communicat, sententiamque firmat. Nihil minus

Gen.18. Num.16. quam de interitu cogitabant Sodomitæ quando de illo Deus cum Abrahamo colloquebatur. Chore, Dathan & Abiron, animo & cogitatione in peccato suo erant defixi, quando Moysi Deus, de inusitata eorum morte, & punitione consilium suum aperiebat. Metuas igitur ne de te quoque simile aliquid agatur. Vides multos subita morte de medio tolli: idem tibi euenire posse persuadeas. Nec enim vires, nec modi deficiunt omnipotentem Deum, quibus te nec opinantem, altissimo peccatorum somno 2. Reg.18. consopitum, possit extinguere. Absalon ramis arboris cursim implicitus, fatalem lanceam hausit, cum ad optimũ sanctissimumque parentem regno vitaque expellendum, furore & crudelitate raperetur. Onam filius Iudæ patriarchæ, quod illicito contactu se polluisset, & Oza Leuita, quod minus reuerenter sacram fœderis arcam contrectasset, occulta Dei virtute statim extincti, in 2. Reg.6. terram corruerunt: Sicut & primogenitiin Exod.11. Ægypto, & centum octoginta quinq; mil- 2.Par.32. lia hominum, in Regis Sennacherib exerci- 4. Reg.19. tu. Holofernes nimia ebrietate sopitus, ca- Isai.37. pite à muliere diminutus est; Aman è con- Esther. 7. uiuio, in malam crucem sublatus, Caue igi- Iudic.13. tur ne similiter præter opinionem, ad Iudicem subito euocatus, æterna damnationis sententia ex improuiso feriaris, quam in vi-

uientem, & nolentem resipiscere, fortassis nunc concipit & dictat.

Ad alia perge?

Secundò, non est in solo metu, considerationeque iudicij hærendum, sed per eum vlterius progrediendum, vt metu futuræ rationis debita contracta dissoluas. Christiani, qui olim à Christo nomen discipulorum acceperunt, non dissimiles sunt discipulis, qui literis dant operam. Sicut enim illi præceptori suo, duo quidem debent, nempè progressum in literis, vt præceptoris laborem suo profectu compensent, & pœnam si forte deliquissent: Ita nos sub præceptore Christo in schola Ecclesiæ virtutibus Christianis, & moribus fide catholica dignis, studere iubemur. Itaque præceptori nostro Christo, profectum in virtutibus debemus, vt ei occurramus viri perfecti, vitijs omnibus, prauisque affectionibus vacui, virtutibusque ornati, ne frustra tot in nobis instituendis labores insumpsisse videatur: etsi pro fragilitate nostra, aliquid admisimus, tenemur præceptori nostro Christo, pœnas dare.

Hoc duplex debitum, vnusquisque ante rationis diem maturè soluat, & quidem pœnæ peccatis debitæ, sacramento pœnitentiæ crebrò expientur, voluntarijsque pœnis, &

carnis afflictionibus deleantur, & si quæ e thesauro Ecclesiæ indulgentię concessæ fuerint, magno studio & demissione in peccatorum condonationem suscipiantur. Progressus verò in virtutibus, & compressio passionum ita curari poterit, vt peracta confessione cum animo tuo seriò consideres, quibus vitijs magis abundes, tum vnum aut alterum quod plus exhibet molestiæ ad expugnandum & penitus tollendũ, tibi proponas; quod propositum vt mane quotidiè, implorata ope diuina est concipiendum, ita semel iterumq; de die, potissimum vespere, de eius obseruatione, esset ab animo tuo exigenda ratio, vt quoties eo die lapsus fueris, quantum promoueris, clarè & perspicue intelligas. Superato vno vitio, ad alia, simili modo deuincenda, si progrediaris, non difficile erit post paucos annos, depositis prauis consuetudinibus, pulcherrimis virtutum ornamentis mentem illustrare, & cum voluptate Christiani hominis officium peragere, Deoque in futuro examine insignis progressus specimen præbere.

Omne debitum soluendi commodissima ratio fuerit expræscripto Prax. Catech. diligenter & assiduè se exercere.

Da & tertium remedium?

Tertiò, iuuerit multis operibus bonis, vitam locupletari, vt illorum multitudine peccata cooperta & obscurata non conspiciantur, iuxta illud *beati quorum tecta sunt pecca-*

Psal. 31.

ta.

ta. Itaque nullus dies vacuus operibus bonis prætereat, & in vespertina oratione, priusquam cubitum concedas, actiones omnes diei percurras, & bona opera cum peccatis conferas, vt quo loco & statu sint res tuæ cognoscas, more illorum qui frequenter rationes acceptorum expensorumque subducũt, ne facultates decrescant, sed augeantur. Si enim multis operibus auctus Christo iudici sistaris, prę sertim commiseratione proximorum, facilius ignoscentur leuia delicta. Quia iudicium cum misericordia illi qui fecerit misericordiam, & *superexaltat misericordia iudicium*, hoc est, misericordia quodammodo insultat iustitiæ, eiusque seueritatem comprimit, quia *charitas operit multitudinem peccatorum*. In his pietatis charitatisq; & aliarum virtutum officijs, qui se quotidie exercet, post annos aliquot, amplissimum thesaurum inueniet meritorum, non aliter quam qui in cistam quotidie nummos aliquot, nunc aureos, nunc argenteos injcit, post annos 20. aut 30. ingentem cumulum diuitiarum videt. Deus in cœlo custos est meritorum tuorum; tu multa ede quotidie, nec diem vllum sine opere meritorio præter labi patiaris, vt thesaurum quem tibi thesaurizaueris, cum immortali animæ voluptate, in cœlo reperias, peccata hominum pœni-

Vide Prax. Num. 58.

Iacob. 2.

1. Pet 4.

tentia tolluntur, bona vero opera nunquam in homine iusto extinguuntur.

Ex quibus bonis operibus cœlestis ille thesaurus constituitur?

Non omnia quæ nos arbitramur iusta, ad illam rem sunt idonea: Igitur omissa peccatorum mentione, quæ sunt mortifera, Deoque inuisa, duo sunt bonorum operum genera: Quædam viua, quæ à viro probo, & Dei amico eduntur; alia mortua quæ à peccatore. Hæc nihil ad illum thesaurum, ne post conuersionem quidem peccatoris, tametsi nobilissima esse videantur; quia quicquid agit peccator extra gratiam & charitatem constitutus, nihil valet ad salutem comparandam, & quod sine vita gratiæ est editum, nunquam vitam assumit. Disponitur quidem homo peccator, orationibus, ieiunijs, eleemosynis, aptiorque redditur ad gratiam & virtutes à Deo accipiendas, sicut de Cornelio centurione in actis Apostolicis legimus; sed nihil ponit in cœlo, quod post hanc vitam inueniat. Priora illa sola ad hunc thesaurum pertinent, quamdiu vita gratiæ manent informata. Cum enim anima viri iusti mortiferum vulnus accipit, moriuntur opera illius bona, & quasi necantur, & sicut loquuntur Theologi, mortificantur, & ex thesauro cęlesti abijciuntur.

Quod

Quod si enim vsque ad extremam ætatem, iustitiæ operam dares, tunc autem vel vno lethali peccato, Deum offenderes, nihil tibi totius anteactæ ætatis probitas apud Deum prodesset, sed potius obesset, quod tunc suaue Christi iugum abijceres, quando ad metam peruenisses: quemadmodum ille qui ex Germania Romam, pretiosam sibi commissam sarcinam toto itinere, magno animo, patienterque ferens, ante portas Romanas, tædio affectus, in profluentem abijcit, grauius delinquere videtur, quam qui sub initium viæ à molestia superatus, illam deponit.

Quod si ad mentem redeat peccator?

Reuiuiscunt omnia eius opera bona, ante peccatum edita, atque in thesaurum cœlestem, vnde eiecta fuerant, reuertuntur. Qua ex re intelligere potes, quanto studio vitandum sit mortale peccatum, siquidem bona opera ab homine peccatore facta, neq; viuunt, neq; vnquam victura sunt, hoc est, nihil valent ad vitam æternam promerendam, neque vnquam quicquam valebunt, etiamsi in gratiam cum Deo redeat peccator, quia vitam nunquam habuerunt: & opera bona meritaque ante peccatum collecta, per peccatum ad nihilum recidunt, vt quamdiu peccatum in homine perseuerat,

nullam vim habeant ad gratiam & salutem homini conciliãdam. Quocirca si quid humanitus tibi accidit, ne cunctaris illud emẽdare, noli immorari, multò minus immori peccato, ne quicquid piè & laudabiliter gessisti, pereat, & quicquid agis, vel in posterum acturus es, frustrà & sine merito agas.

Expecto quartum securitatis remedium?

Non solum multis, sed etiam magnis & præstantibus actionibus deditum esse par est. Sunt namque tria bonorum operum genera, quæ apud Deum æstimantur digna mercede cœlesti;

Quædam minora, quale est, in nomine Christi prębere egentibus calicem aquæ frigidæ, paruam aliquam dare eleemosynam, adire subinde Ecclesias, reique diuinæ adesse, ante & post cibum precari Deum gratiasque agere, aliaque id genus leuiora, quæ passim à Christianis præstantur.

Alia sunt maiora, quæ plus molestiæ habent, & charitatis, vt liberali eleemosyna indigentium necessitates subleuare, *visitare pupillos & viduas in tribulatione eorũ*, octauo die, peracta confessione, Christi corpus accipere, pueros & homines Christianæ doctrinæ rudes instituere, &c.

Sunt alia deniq; maxima, quæ sicur plurimum habent difficultatis; ita non nisi ab arden-

ardentissima charitate proficiscuntur, quæ dici possunt heroica opera, magnitudine sua Hercule digna: Eiusmodi sunt pro fide & religione Christi, caput in discrimen vitæ objicere, mortemque oppetere. Eadem charitate mundo cunctisque fortunis, corporisque commoditatibus relictis, nudum Christum in paupertate sequi, voluntatem iudiciumque suum alieni hominis arbitrio subijcere, ijs omnibus quæ mundus consectatur, contraria velle, & concupiscere; se totum suaque omnia in animorum lucrum expendere, nihilque mercedis in hac vita præter Deum ipsum exposcere. Itaque quo præstantioribus officijs, seu mercibus nobilioribus, ad Christum Dominum onustus redibis, acceptior eris, minusque trepidabis in illa die.

Qualia illa opera esse oportet, vt me reddant securum?

Plena ac pura, hoc est nullis sordibus aspersa. Si enim inter agendum admisceas venialia leuiaque peccata, vt inter orandum distractiones animi; dans eleemosynas propter leuem aliquam inanem gloriam; purganda erunt opera, sordesque eiusmodi lachrymis, pœnitentia, confessioneque abluendæ. Si rursus pura quidem illa feceris, omnique sorde vacua, de illis tamen postea libe-

rius loquens vel cogitans ſuperbiam admiſeris, plenitudinem ſuam & decorem amittent, non aliter quàm phiala, ſubtili diſtillatoque liquore repleta, ſi aperto ore, ſolis calori exponatur, paulatim deſtituetur liquore, & pannus alioqui nitidiſſimus, crebra manuũ contrectatione obſcuratur, & commaculatur.

Quod eſt extremum remedium?

Quintò ſi res ſit integra, non parum faciet ad metum illius iudicij pellendum, minuendumque, vitæ genus capeſſere, quo tutius ſecuriuſque opera tua deferantur in cœlum. Ita enim videmus mercatores, non parum qua ratione iter ſuum inſtituant, merceſque coemptas in patriam deuehant, eſſe ſollicitos; ſi flumen vaſtiſſimum, curſu præceps, vndiſque æſtuoſum & plenum periculis ſit tranſmittendum, magnum ille ſubit periculum, qui mercibus in humeros ſublatis, natandi arte confiſus, aquis ſe, ſuaque committit. In minore non tamen extra omne periculum erit, qui in lintrem vel ſcapham, ſe reſque ſuas imponet. At qui oneraria naui vtetur, fœlicius aget; ſed quia hic quoque ventorum vi, in ſcopulos forte impelli poteſt, tutiſſimus ibit is, qui ponte conſcenſo vehiculo, merces tranſportabit.

Non eſt diſſimilis mundus, eiuſmodi æ-

ſtuo-

stuoso flumini, cuius negotijs, procellis & periculis se committunt, qui totos se in molestias & curas sæculares immergunt: Qui verò vtuntur mundo, non penitus in eũ effusi, sed ei tamen ob initum matrimonium, & rei familiaris curæ addicti, securius nauigant: Sacerdotes & Ecclesiastici sæculares, quibus est maior Deo seruiendi occasio, in naui sunt tutiori, ob exempla tamen & occasiones malorum, non prorsus extra periculum. At verò qui relicto sæculo, ad religionis pontem ascendunt, nihilque sibi cũ mundo, quo superiores sunt, commune esse volunt, illi adeò non timent pericula mundi, vt ne conspiciant illa quidem, quippe, quibus muri quibus pons est septus, aspectum fluminis intercludunt. Metiatur quisque vires suas, & qua videbitur ratione transmittat.

DE

DE INFERNO.

Inter omnia quæ mundus habet admiranda & ob stupescenda, quodnam tibi maximè omnium, admiratione & stupore dignum videtur?

QVod homo Christianus, vera fide & religione imbutus, cũ firmissimè credat acerbissimos cruciatus apud inferos sceleratis propositos, illos tamen non solum pertimescat, non expendat, non cogitet, non pili faciat, verum etiam ac si infernus nullus esset, innumeris flagitijs Dei maiestatem lædat, sibique iram ac vindictam thesaurizare non vereatur.

Si magistratus capite sanxisset, ne quis ciuitatis portas egrederetur, & ad portas certos homines constituisset, qui & egredientium nomina in tabulas referrent, & singulis simul atque egressi essent, laqueũ, quo paulò post suspendendi essent, seponerent, is qui lege spreta exijsset, reuersus in ciuitatem nonne vehementer metuere haberet, ne quam primum ad supplicium abriperetur? nonne ipsas portas horreret, omniaque suspecta haberet, quæ à quocunque gererentur? & tu miser, & insipiens, non metuis, ne te æterna gehennæ flamma absorbeat?

Quid

Quid horrescam supplicium post longa sæcula, vel fortè nunquam infligendum?

An te immunem putas, quia differtur supplicium? simulatque tu peccatum mortale vel vnicum admisisti, expungitur de libro vitæ nomen tuum, referturque in albo damnatorum; tibi verò pro magnitudine numeroque peccatorum collocatur sedes in inferno; tantummodo expectatur in horas mandatum diuinum, vt illuc deferaris; quod mandatum frequenter subitò & à Deo datur, & à Dæmonibus perficitur. Sæpè multi vel in suis libidinibus deliciantur, vel in conuiuijs splendidè epulantur, vel in alijs lędendis & trucidandis occupantur, vel in rationibus putandis, & re familiari constituenda, & amplificanda distinentur, cum ecce subita morte oppressi, prius se in inferno positos, quam sentiant se ea deseruisse, quæ tanta contentione tractabant: Exempla nõ desunt, in veteri & nouo testamento. *Ducunt* (inquit Propheta) *in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*; In puncto ait, hoc est, dum putant se in delicijs adhuc agere, ecce apud inferos agunt. *Iob. 21.*

Quid est quod maximum omnibus timorem meritò incutiat?

Damnatorum multitudo. Si centum homini-

minibus, qui pontem transituri essent, quidam certo prædiceret, fore, vt illorum vnus de ponte, in flumen delapsus mergeretur, nonne quisque diligentissimè circumspiceret, & caueret, ne vel ad marginem propius accederet, vel ibi pedem poneret, vbi minus firmus pons esse videretur? Quid si verò Imperator vi occupata ciuitate, per præconem ediceret, de numero ciuium trecentos esse graui supplicio afficiendos, nonne sibi metueret, quem alicuius in principem delicti conscientia vrgeret? Atqui scriptura sacra, quoties de inferni pœnis meminit, non vni, non trecentis minatur, sed certissimè clarissimeq; enunciat, maximam hominum partem ad inferos descensuram. *Intrate* (ait Dominus) *per angustam portam, quia lata porta & spacioſa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam*: & quasi admirans eorum qui salui futuri sunt paucitatem. *Quam angusta inquit porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam*: & alibi *multi sunt vocati, pauci verò electi*.

Matt. 7.

Ibidem.

Matth. 20.

Matt. 24.

Item. *Quis putas est fidelis seruus & prudens*, quasi dicat, estne quispiam fidelis & prudens? tanta quippe est raritas eorum, vt cum impiorum multitudine collati, vix numerum constituant: & quidem tanta sunt pœnæ inferorum, vt si vnicus ex tota ho-

hominum vniuersitate eas subiturus esset, meritò vnusquisque nostrum, ne ipse forsitan vnus ille esset, metuere deberet. Nunc autem cum ex diuinis literis planissimè cõstet, innumerabilem fore damnatorũ multitudinem, cur non metuimus? Cum Dathan & Abiron, diuina iustitia ita exigente, viuos terra dehisceret, populus timore perculsus, idem sibi euenturum metuebat.

Est ne magna stultitia eorum, qui hæc non perpendunt, nec à peccatis, hoc est inferni via desistunt?

Stultitia? Imo & insania. Gallinæ & alia eiusmodi animalia, cum vident ex suo grege, quippiam comprehensum occidi, in fugam se conijciunt; At multi Christianorum tametsi non ignorent, quam plurimos æternis supplicijs mactari, qui minoribus paucioribusque quam ipsi, peccatis, diuinam legem violauerunt, non verentur tamẽ peccata peccatis cumulare, nullo metu nulla reuerentia, nullo pudore. Diues ille, de quo in Euangelio, aliena non rapuit, suis fuit vsus, & quos in extremo iudicio Christus sempiternis flammis addicet, non alterius accusabuntur, quã quod sua cum pauperibus communia non habuerint. Tu verò, qui nullum peccati genus prętermittis, quo animo esse deberes? Vnicum peccatũ mortale

Luc. 16.

Matt. 25.

tale meretur gehennam, & tu, qui nouis quotidie criminibus, diuinum numen irritas, atque laceſſis non metuis? Non metuis inquam, tu qui velis (vt aiunt) equiſque ad inferos properare videris, & nihil aliud agere, nihil moliri, nihil cogitare, quam vt ignē inuenias quam maximum & acerbiſſimum, maiores enim paſſim labores atque moleſtię pro ſupplicijs æternis, ab impijs, quam pro gloria ſempiterna à pijs ſuſcipiuntur. Igitur qui tanta contentione ad infernum curris, hic ſubſiſte, obſecro pauliſper, & quæ ſedes inferorum ſit, qui ciues, quæ leges, qui mores ex ſacris literis accipe: quibus lectis attenteque conſideratis, ſi placebit conditio, progredere vt cœpiſti, ſi verò diſplicebit, aliam tibi viuendi rationem ſuſcipiendam eſſe perſuade.

Quo in loco infernus eſt?

Age qui tibi ampliſſima ædificas in hoc mundo palatia, laxas habitationes, & loca aprica, hortos campoſque amænos, vbi degas, ſpatieris, venationem exerceas, corpuſque & animum recrees; qui domum coniungis domui, & agrum agro copulas, qui pro limitibus & poſſeſſionibus pacē violas, charitatem lædis, & pugnas bellaque ſuſcitas; attende quid de inferorum ſedibus ſcriptura loquatur.

Ante-

Antequam vadam (inquit Iob) *& non reuertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Iob. 10. Isaias verò, *præparata est* (inquit) *ab heri Tophet* (id est gehenna) *à Rege præparata: profunda & dilatata, nutrimenta eius ignis; & ligna multa, flatus Domini sicut torrens sulphuris, succendens eam.* Isa. 30. Si quod est verissimum, tu verum esse credis, nec iota vnum, nec apicem in scripturis suo momento carere, admirabiles poteris hic, horribilesque inferni proprietates mente contueri. Imaginare: Primò puteum in maximam altitudinem depressum, atque adeò ad ipsas inferorum sedes penetrantem, qualis in Apoca. Diuo Ioanni Apostolo visus fuit; in eum te cogita magno impetu præcipitem dari: hoc enim peccatoribus omnibus euenturum idem Apostolus, quando vidit lapidem grandem molarem, ab Angelo forti mitti in mare & audiuit; *Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna*, (hoc est cætus omnium iniquorum) *& vltra iam nō inuenietur.* Apo. 9. Apoc. 18. Non enim carpento impositus, suauiter eò veheris, sed quemadmodum Dathan & Abyron, horribiliter raptaberis, iactaberis, præcipitaberis.

Secundò post tam horrendum descensum & iactationem, cogita regionem vastam, latam, spacioſam, qnæ omnibus illis

continendis sufficiat, quotquot in omni memoria fuerunt, sunt, & erunt flagitiosi, & gehenna digni homines. Est porrò regio illa tenebris & atra caligine horrida, neque Lunæ neque Solis luce illustrata; nam peccatorem ad inferos deportatum, scribit Propheta, non visurum lumen in æternum; à quibus tenebris infernus nomen inuenit,
Matt. 22. tenebrarum exteriorum. *Mittite* ait scriptura *eum in tenebras exteriores*: vt qui hactenus mentem habuit internis tenebris obscuratam, iam etiam externis tenebris inuoluatur.

Tertiò habent verò tenebræ istæ admixtam caliginem mortis, hoc est, fumum quédam pestilentissimum, ita obscurum, vt in Apocalypsi visus sit ipsi soli, quasi noctem quandam offundere, & ita noxium, vt vmbra mortis & caligo mortis, id est, mortifera à Prophetis appelletur?

Quartò, exhalat præterea odorem longè grauissimum, sulphuris inquam, excrementorum, & omnis generis sordium; *pluet enim*
Psal. 10. *super peccatores laqueos ignis, & sulphur, & spi-*
Ioel. 1. *ritus procellarum, pars calicis eorum & computrescent iumenta in stercore suo; nam gloria peccato-*
1. Mach. 2. *ris stercus & vermis, & de stercore boum lapidabi-*
Eccl. 22. *tur piger.*

Quintò, tota regio ardet igne ad instar fornacis, sed igne tenebricoso, qui tantum lumi-

luminis obscuri prebet, quantum ad tormenta videnda, sociosque damnationis agnoscendos, sufficiat; igne acerrimo, qui solo contractu mentes licet ferreas, puncto temporis, liquefaciat. Docuit hoc ignis ille sulphureus, qui Pentapolim totam, hoc est, quinque regna breuissimo tempore absorbuit, & ille item ignis qui iussu Heliæ Prophetæ duos quinquagenarios, cũ quinquaginta suis militibus, dicto citius, interfecit. *Gen. 19.* *4. Reg. 1.*

Sextò, horribilis est & continua tempestas: spiritus inquit procellarum: horrenda tonitrua à dæmonibus excitata, venti vehementes, atque sulphurei, qui calorem succendant, pluuiæ grandinum instar talenti, quibus miseri huius ciuitatis incolæ verberentur.

Septimò, cernes in illis locis diuersa distinctaque contubernia, in quibus eorundem scelerum participes, & affines vna inclusi, in perpetuum tenebuntur, non enim ibi cuique pro arbitratu, vltrò citioque vagari licebit, sed quoniam in hac terra plus satis ad animorum suorum voluptates explendas sunt grassati, ibi vt Christus loquitur, in fasciculos colligati, eodem loco simul pœnas luent; hic superbi omnes, illic auari, alibi ebriosi, & ventris mancipia, alio item in loco libidinosi, alibi alij, suis quique *Matt. 13.*

locis, quæ præter communia totius inferni mala, peculiares habent, pro conditione delictorum afflictiones & pœnas; vt ſicut ſcriptura dicit, *iuxta menſuram peccatorum, ſit & plagarum modus.* Apud ſuperbos cernetur admirabilis confuſio, & deiectio; apud auaros, inopia; apud guloſos intolerabilis ſitis & fames; in ditione pigrorum, labor ſine vlla requie, atque ita de cæteris. Hæc eſt regionis inferorum geographica deſcriptio, ex literis ſacris deducta, quam, ſi placet, vno delicto mortifero potes promereri. Sed *heu quis poterit habitare cum igne deuorante, aut cum ardoribus ſempiternis?* Si carceris ciuilis ſqualorem ferre nequis, ſi vix horam vnam potes vno loco conſiſtere, ſi animi & recreationis cauſa delectat patria exire, exteraſque regiones viſere, nec in domum tuam te includi pateris, quo animo feres tenebras, ſqualorem, ſordes, fetorem, calorem, cruciatum inferni ſempiternum?

Iſa. 33.

Qui ſunt habitantium in inferno contubernales ac ſocij?

Delectari ſoles multitudine miniſtrorum, ſuauitate ſociorum, forma puellarum, amicorum numero, paraſitorum turba. Iam hic apud inferos perpẽde obſecro, quos ſis reperturus contubernales, quos amatores, quos fautores, quos aſſentatores, quos lauda-

laudatores. Nullus erit ibi famulus tibi aut seruus, dominium enim quod in mundo habes, ad alium statim transibit. Tu potius mancipium eris diaboli miserrimum, cuius nutu sicut in voluptatibus perfruendis, ita in cruciatibus perferendis te gubernare in omnem æternitatem debebis. Nullus ibi pius aut bonus, nullus felix, nullus tui amans, nulla pulchritudo in quoquam, nihil iucundum, omnes scelesti, omnes infœlices, miseri, afflicti, omnes maledicti, calamitatum & miseriarum pleni, omnes denique capitali odio à te dissidentes. Ecce cum his socijs æuum tibi sempiternum traducendum erit; his dominis semper obtemperandum, ab his nunquam vel latum vnguem discedendum.

Quot se offerent ibidem personarum genera?

Tria. Primò Lucifer, dæmonum princeps, & *Rex super omnes filios superbiæ*, cuius deformitas, immanitas, atque malitia tanta est, vt eius præsentiam ferè non minus horreant dæmones, animæque damnatæ, quam Dei suauissimum vultum intueri desiderent. In scripturis varijs nominibus appellatur: à fœditate & truculentia draco: à nocendi desiderio Leo rugiens: à magnitudine ac potentia Behemot & Leuiathan hoc est balena; *Apoc* 12. 1. *Pet.* 5.

Tu igitur in medijs illis inferni incendijs, cogita instar montis altissimi monstrũ (minus enim cogitare non debes, si vt Dominus prophetæ Iobo indicauit absorbeat fluuium, & non miretur) specie & figura draconis, squãmis candentibus horribile, ex cuius oculis flamma, ex naribus fumus, quasi ex feruente olla, & ex ore ignis horrificus, longè lateque spargatur: cuius vires tantæ sint, vt neminem metuat, tanta malitia, vt nemini parcat; tantum nocendi omnibus desiderium, vt nihil præter cruciatus, pœnas & tormenta cogitet. Huius præclaræ bestiæ dominatus tibi ferendus est in inferno, sicius, in hoc sæculo legibus & consilijs te iuuat obsecundare.

Iob. 40.

Qui post illum sequuntur?

Sunt deinde dæmones reliqui, minori quidem deformitate & malitia, sed eiusmodi tamẽ, vt aspectus eorum supra omnem modum terreat, atque affligat, vt & varijs similitudinibus, in sacris literis describũtur. Serpentis, locustarum, dentium leoninorum, caudarum scorpionum, equorum ferocium qui habeant leonum capita, ignemque fumum & sulphur euomant. Affirmant B. Bernardus & Cassianus, monachos quosdam ad aspectum dæmonis ita territos corruisse, vt multo tempore sensibus destituti iacue-

Apoc. 9.

iacuerint, & præ metu ferè mortui fuerint. Si tam terribiles apparent in terra non sua, sed nostra, quales quæso se exhibebunt in terra sua?

Quod est illorum munus?

Torquere damnatos, quod ex naturæ, ingenijque subtilitate, longaque exercitatione accuratè nouerunt, & per malitiam odiumque hominum, diligentissimè præstant; non enim foris tantùm, vt carnifices nostri, tormenta adhibent, sed pro sua subtilitate, intima cordis viscera, membraque omnia penetrant, & excarnificant, sicut in hominibus obsessis non obscurè videmus, neque in corpus solum sæuiunt, sed omnia ipsa penitus peruadunt, & durissimis cruciatibus implacabiliter afficiunt. Ecce hi domini tui, quibus sicut amplectendis voluptatibus voluisti auscultare, ita in suscipiendis tormentis cogeris obtemperare.

Quos in tertium ordinem conijcis?

Homines damnatos, à dæmonibus si animas spectas non multum differentes quorum *vultus*, vt ait Propheta, *redigentur in ollã*, pleni odio, malitia, blasphemijs. Si verò corpora intuearis nihil est fœdius, horribilius, detestabilius. Prophetæ eos stercoribus cõparant, ob incredibilem fætorem, & contẽ- *Ioel. 2.* *Psal. 82.* *Soph. 1.*

Isa. 5. ptum: *Facti sunt vt stercus terræ: & corpora eorum sicut stercora: Et facta sunt morticinia eorum quasi stercus in medio platearum:* Esaias his verbis damnatorum corpora describit: *& egredientur* (Sancti) *& videbunt cadauera virorum, qui prævaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt vsque ad satietatem visionis omni carni*: hoc est sancti, ad suam maiorem gloriam & consolationem intuebuntur de cœlis miseros illos, qui in inferno cruciantur, eorumque corpora videbunt continenter à vermibus corrodi, & perpetuis ignibus cruciari; tantaque fœditate & abominatione, vt nauseam & horrorem incutere & mouere possint spectantibus. Proinde quemadmodum in lauto conuiuio nausea est de stercoribus, hulceribus, semieso & putrefacto hominis fœtente cadauere, non dico verbis mentionem facere, sed vel mente sola cogitare. Ita dedignabuntur beati damnatorum meminisse. Horum miserorum, fœtidorum, calamitosorum, consuetudine fruêris in perpetuum. Si igitur pauperum, mendicorum, & pediculosorum hominum consortium refugis; si infirmos, miseros, & afflictos hares visere; si Chirurgi sectiones, carnificum torturas, miserorum vlcera & vulnera, non sine animi dolore & horrere vides; quo animo eris apud hos miseros, quorum dolo-

tes,

res, cruciatus, miseriæ & calamitates omnem cogitationem superant?

Quas corporis pœnas sustinent damnati?

Damnatorum conditio & vita, status est malorum omnium aggregatione perfectus, in quo nihil est boni, nihil deest mali, nihil adest eorum quæ velles, nihil deest eorum quæ nolles: nullum membrum, nulla facultas aut potentia animæ, dolore & cruciatu vacua est.

Quid ita?

Desideras primò, cibum potumque, & vitæ sustentationem; hic fames est continua & ardentissima sitis, neque mica panis, neque guttula aquæ tota æternitate præbetur, etsi forte cibus aut potus aliquis porrigitur; *ignis & sulphur* (ait Propheta) *pars calicis eorum.* Psal. 10.

Secundò, vestes quæris & ornatum corporis. Hic flamma indueris cum diuite Euangelico, vermibusque & putredine operieris, iuxta illud. *Putredo & vermes hæreditabunt impium.* Luc. 16. Eccle. 19.

Tertiò, quæris amænam & laxam habitationem. At sentina omnium sordium hic est, colluuiesque omnium spurcitiarum, angusta singulorum loca, quippe qui manibus pedibusque, instar fasciculorum colligati, sese mutuo comprimant.

Quartò, ambis honores; sed hic summa confusio, tum ex nuditate, fœditate, insuperque pœnis, quas magna ignominia sustinebis, tum ex memoria peccatorum tuorum, quæ tibi perpetuò ob oculos versabuntur & cæteris luce clariora erunt, tum ex præsenti conditione tua, quod qui filius eras Dei factus sis abiectissimum dęmonis mancipium,

Si, quod absit, damnarer essent mihi dæmones & alij damnati carnificina?

Ita profectò: Dæmones quidem, quod tibi cum viueres, ad peccandum fuerint authores, & nunc sint immanissimi tui, & crudelissimi tortores. Cæteri verò damnati, quod sine vlla commiseratione, te detestantur, te odio prosequantur, tibi pessimè velint. Qui verò tibi peccatorum causam attulerunt, vel quos ipse tu ad peccata induxisti, maiori in te exardescent odio, conuitijsque & maledictis insectabuntur: Pater filium execrabitur, quod eius locupletandi gratia, bona multa iniustè collegerit, quod inani offensionis metu peccantem non correxerit, quod malo exemplo ad peccandum præiuerit, filius contra cum parente expostulabit, summa animi indignatione, de nimia indulgentia, de scandalis, de mala institutione, &c. cuiusmodi colloquijs, odio, maledi-

ledicentia, furoreque plenis, infernus tota æternitate personabit. Ista quæso perpende, dū vtiliter licet, quando alicui quacunq; ratione ad peccandū offers occasionē. Prophe-
ta. Naū de talibus sic habet. *Sicut spinæ se inui-* Naum. 1.
cem complectuntur: Sic conuiuium eorum pariter potantium, hoc est, qui iucundi fuerunt in poculis, & conuiuijs socij, qui ad æquales haustus vel coegerunt, vel inuitarunt, qui mutuas aures obscœnis leporibus & detractionibus oblectauerunt, nunc simul colligati ad instar spinarum, se mutuo pungent, carnesque mutuas vorabunt, & dilacerabunt.

Delectari soleo honesta, facili & grata occupatione, quænam sunt in inferno occupationes?

Heu nimium onerosæ & miserabiles; nihil videlicet agere posse, sed in omnibus viribus, atq; membris pati debere, & talia pati, qualia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt; & ita pati vt singuli dolores acutè percipiantur, & minorum sensus (quod apud nos fieri solet) à maioribus non impediantur.

An pœnæ omnes æqualiter cruciant?

Sunt quidem inferorum pœnæ singulæ, supra

supra quam dici potest acerbæ, sed grauiorum peccatorum, pœnæ sunt grauiores, leuiorum leuiores: nam si leues transgressiones & venialia peccata hominum piorum purgatorijs ignibus expiantur, dubium non est, quin eorundem ratio sit habenda in hominibus, æternis pœnis apud inferos adiudicatis; non enim est iustitię consentaneum, vt propter verbum otiosum, risum inanem, distractionem voluntariam in oratione admissam, aliaque id genus leuiora, repetantur pœnæ ab hominibus iustis, & eadem impunita relinquantur in peccatoribus. Igitur, vt illis qui non modo innumerabilia venialia, nullo discrimine continenter admittunt, sed multis etiam mortalibus peccatis quotidie vitam suam contaminant. Quo pacto ferent quæso dolores illos, & cruciatus acerbissimos quibus singula peccata mactabuntur? Quò se in tanta tormentorum varietate & acerbitate vertent? Quomodo viuentin pœnis magnitudine grauissimis, numero infinitis, duratione æternis?

Quæ pœna tactum manet?

Id vel hinc collige. Cum quis vno membro, in hac vita laborat, chiragra in manibus, podagra in pedibus, cholica in ventre, dolore dentium, calculo quæ singula acutissimis doloribus hominem afficiunt: vix

ferre

ferre potest acerbitatem. Si idem omnibus his morbis simul grauissimè conflictetur, res erit pœnè intollerabilis; tametsi non desint colloquia amicorum, commoditas lecti, aliaq; vitæ solatia. In inferno autem, vbi nulla pars, vel membrum à tortura vacabit, vbi nulla vnquam consolatio, vbi pro lecto stratum candens, pro aëre refrigerante ignis & fætor suffocans, pro amicorum solatio irrisiones, contumeliæ, maledicta. Quid facies miser?

Quis oculorum cruciatus?

Oculi isti tui qui modò curiosè huc illuc vagantur, formis mulierum fœdè delectantur, nutu alios ad peccatum illiciunt, nunquam vel dolore peccatorum, vel recordatione passionis dominicæ lachrymas emittunt. Hi tunc præter horridas ignitasque tenebras, præter dæmonum terribiles formas, præter miserias & calamitates extremas, nihil adspicient in æternum frustra & inaniter collachrymantes.

Habebunt & suam crucem aures?

Aures istæ quæ nunc lasciuis cantilenis, obscenis colloquijs, inanibus sermonibus, nugis, detractionibus patent, tunc nullam in æternum musicam, nihil quod delectet audient, sed horribilibus dæmonum, totque mil-

milliumdamnatorum clamoribus, eiulationibus, blasphemijs, maledictis, verberibus, tormentis complebuntur. Nihil praeter miserum væ vę illic resonabit. Cogita decem millia hominum vno loco contineri, omnes ad cœlos vocem tollere, miserabiliterque eiulari. Quis ferat hunc eiulatum? Hic erit cantus matutinus & vespertinus, nocturnusque & diurnus, quo nunquam vacuæ erunt aures tuæ.

Recense odoratus carnificinam?

Nares tuæ suauitatibus odorum nunc assuetæ, fœtores haurient sulphuris & sordium totius mundi collectarum. Cogita te viuum aperto ore, naribusque admotis alligatum humano cadaueri putido, grauemq; odorem illum percipere debere, vel in cloaca recentibus humanis excrementis plena, ad medium vsque ventrem constituturum (quod sanctos Aphricanos martyres passos fuisse scribit victor) emergere non posse. Grauiores sunt fœtores inferni, & grauior odor damnatorum corporum, quibus tu coniunctus in omnem æternitatem adhærebis.

Quod oris supplicium?

Os verò quod & sermone & crapula, ebrietateque peccauit: pro dulcibus escis, fa-

me

me torquebitur, aut absinthio cibabitur atque potabitur, pro garrulitate, iuramentis, conuitijs, adulationibus, cæterisque sermonis peccatis, edet clamores continuos, miseriasque suas ingenti rugitu deplorabit.

Quid corpus totum patietur?

Quantum quantum est, acerbissimè affligetur. Tactus enim de quo antea nonnihil dictum, per singula corporis membra diffusus est. Et hic vt varias habuit in vita voluptates, nihilque duri aut molesti, pro Christi nomine, suisque peccatis sufferre voluit, ita grauius præ cæteris sensibus, varijsque modis excruciabitur, igne intolerabili foris & intus ardente. (*Pones eos* (ait propheta) *vt clibanum ignis in tempore vultus tui*) frigore vehementissimo, verberibus, ossium, membrorũq; confractione; nã *malleos percutiẽtes paratos esse corporibus* peccatorũ testatur scriptura. Dæmones ipsi corpora penetrãtes, grauiter affligent. Si enim pulex vnus in auribus molestus est, si guttula liquoris catharrosi intollerabilem gignit in dente dolorem, & aliquid purulentæ calcis chiragram; modicum etiam venti in intestinis inclusi cholicam, & denique exiguus lapillus cruciatus calculi; quem non adferent dolorem dæmones igniti, per singula membra discurrentes, & intus foriſque debachantes? Hæ igitur

Psal. 20.

Prouerb. 19.

gitur futuræ sunt corporis occupationes cõtinuæ, clamor, fletus & stridor dentiũ: Hic sensuum oblectationes perpetuæ, quibus sensibus carere satius foret, quam frui. Corpus hic doloribus fractum & contritum, prę infirmitate vix membra mouebit, & quod viuentibus in difficili morbo vsu venit, planè iacebit atque languebit.

Habebit & anima suas pœnas?

Anima siue à corpore separata, siue post resurrectionem corpori coniuncta, præter vehementissimos ignis cruciatus, singulares quosdam ac proprios dolores habebit, quibus grauissimè afficietur.

Quos nam quæso dolores?

Animæ inprimis proprium est scire, & omnis homo cum natura sua scire desideret, valde rerum variarum cognitione delectatur. *Apud inferos* autem (inquit sapiens) *nec opus nec ratio, nec scientia erunt.* Itaque phantasia animæ sensus interior cuius munus est cogitare, nihil iucundum aut lætum tractabit, cogitationes omnes in tormentorum immanitate, quæ iam inferuntur, & futurorum expectatione versabuntur, ex qua re intolerabilis dolor nascetur & metus. Memoria repetet anteactam vitam honores, delicias, fœlicitatem, quibus omnibus in poste-

posterum carendũ erit. Heu (inquiet) quan- [illegible]licitas, in quantam versa est miseriam: abundabam opibus, honoribus, fauore, nũc inops, contemptus, afflictus: Transierunt bona omnia nunquam reditura, obuersabuntur etiam ob oculos peccata sed longa alia imagine, quam dum delectabant, fœtor eorum & quicquid putendum habuerunt, cum horrore pudoreque cogitabitur.

Enarra afflictiones intellectus?

Intellectus vt sublimior animi potentia grauissimè torquebitur. Considerabit enim, Primò, quæ quantaque bona amiserit; gloriam beatorum, regnum cœlorum, conspectum iucundissimum, & possessionem fœliciſſimam Dei, videbit eò iam peruenisse socios suos multos, in scholis condiscipulos, aut contubernales; se verò in perpetuum ijs omnibus priuari.

Secundò, quæ mala nunc habeat, quas pœnas, quos cruciatus.

Tertiò, quibus operibus sit beatitudine exclusus, & æternis incendijs adiudicatus, nempè peccatis, quæ & naturæ aduersantur, & plus molestiæ habent quam voluptatis, & tantæ sunt fœditatis, vt is etiam qui peccatis abundat, peccatorum suorum nomine vocari nolit, nemo superbus, nemo auarus, nemo adulter vult appellari.

Quartò, quanta facilitate hæc mala effugere licuisset,& bona adipisci.

Quintò,iam seram esse pœnitentiam,innuam cœli clausam, nunquam sibi aperiendam;merita Christi nunquam cõmunicanda,inferni claustra nunquam reseranda.

Sera pœnitentia quale tormentum?

Vermis cõscientiæ. Diuina scriptura vocat ipsam vermem, qui conscientiam perpetuò rodet,& sine vlla vtilitate præterita obijciet, quem toties monentem audire noluisti, & ne stimulos eius persentisceres, cõtinuis peccatis oppressisti; qui tecum quodammodo in hanc sententiam aget. Nonne hæc tibi futura prædixi,dum viueres,& vitia deponere,& expiare liberum erat; priuatus es æterna beatitudine, priuatus & meritis & sanguine Christi, frustra tibi Christus mortuus est, frustra tibi sanguinem suum fudit, frustra tot labores, doloresque tui causa suscepit. Eras filius Dei,regeneratus in baptismo,debebatur tibi æterna hæreditas, inexplicabilis illa gloria, adeoque sedes ipsa & thronus Christi. Viden socios hos & illos iam glorioſos; hi paris aliquando tecum erant conditionis,nunc in gloriam admissi, tu exclusus & instar canis eiectus,atque ad has intolerabiles æternasque pœnas detrusus; vbi, quocunque oculorum aciem conuertis, nihil

hil præter dolores & cruciatus vides: si cœlum intueris auertit à te indignabũdus vultum suum CHRISTVS, irrident sancti, & socij olim tui abominantur: si ad læuam, si dexteram te conuertas, nihil præter tormenta & horrificas dæmonum formas, occurrit. Nullus tui miseretur, nemo præbet auxilium, nullus solatur, quia iustè pateris, & iniuriam tibi nullam fieri tu ipsi tibi conscius es.

Et quibus quæso modis has tantas pœnas mercatus es, tantorumque honorum iacturam fecisti? libidinibus, auaritia, ebrietate, alijsque id genus flagitijs, & qualia erant illa, multum laboris insumebas, parum reportabas voluptatis, torquebat conscientia, maiores indignabantur, vicini socijque detestabantur, contemptui eras alijs. *Verè ambulasti vias difficiles & viam Domini ignorasti.* Contra verò socij isti tui, qui nunc computantur inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est, qui tibi videbantur insani, stulti & miseri, pacata lætaque conscientia, exiguo labore, hanc immortalem sibi gloriam pepererunt. Dilecti socijs chari parentibus & superioribus, veneration i & ornamento ciuibus, vitam duxerunt honestam, tranquillam, & non iniucundam, Væ tibi misero & terque quaterque miserrimo, non tamen miserabili.

Cur non eandem cum illis viam es ingressus, an quod illi potuerunt, tu non potuisses? Non tibi similiter præsto gratia Dei fuit? Quid magnum à te expostulabatur ad salutem? Confitenda erant & deflenda deserendaque peccata. Quid magnum; aderat sacerdos vice Christi peccatorum condonationem offerens; hortabatur concionator, superiores socijque monebant, conscientia stimulabat; & quid magnum erat confiteri? Hoc est vni soliq; homini, & quidem peccatori, qui misereri iussus erat, peccata tua & operire, quæ nunc toti mundo sunt manifesta, pudebat tunc coram vno; at quis pudor nunc coram tot millibus; metuebas iniustè acquisitæ pecuniæ restitutionem, ne inopia premereris; nunc autem quę sunt diuitiæ? vermes, ignis, tormenta: Terrenas illas opes alij possident, pigebat nunc voluptates deserere, sed nunc te ipsæ deserunt, horrent infernum deliciæ, hic præter tormenta, torturas & miserias, nihil. Tu voluptates deserere noluisti: sed ecce, voluptates te ad gehennam proficiscentem deseruerunt. Quid enim nunc prosunt honores, quid opes, quid deliciæ? Quid commodi nunc habes ex omnibus quæ tanto studio parasti? Quorum gratia Deum neglexisti, & miseræ animæ tuæ salutem proiecisti; voluptas perijt, pœna manet. O miserum te qui,

cum

cum posses, ista non præcogitasti, qui pias admonitiones maiorum spreuisti, internasque Spiritus Sancti suggestiones oppressisti, væ tibi & væ æternum.

His rationibus intellectis quid fiet?

Voluntas in rabiem & furorem versa, maledicet diei in quo natus est homo, & nocti, in qua conceptus est in vtero matris, cumq; æternas ineuitabilesq; pœnas considerabit, quas ipse sibi solus creauit, in se ipse fremet, frendetque miser homo, & in Deum autorem, qui se finxit, blasphemias euomet. *Videbit enim peccator & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet.* Psal. 111. O miserum me (inquiet) ideone natus sum? Quantò satius fuisset nunquam vidisse hanc lucem? Vtinam vel modo mihi detur, in nihilum redigi, quantò fœliciores me sunt bestiæ & iumenta, quorum anima vna cum corpore extinguitur: Iam enim perire cupio, & non conceditur, mors à me fugit, & tamen sine morte, mortem morior sempiternam.

Inferni cruciatus quam diu tolerandi?

In hac mortali vita quidquid diuturnum est, molestum est, & graue; Et si grata est quies; tamen si sanè duos annos in molli lecto continenter cubandum esset, nõ ferres tam diuturnæ quietis laborem. Quod si verò su-

beundæ essent vnius anni graues & continuæ pœnę calculi, confractiones ossium, aurium aduſtiones, nonne quiduis pro dolorũ illorum depulsione offerres? At nunc considera gehennę pœnas grauissimas, cũ quibus comparatum nihil graue est aut durũ, quidquid hic mundus in durissimis ponit, ignis, membrorum contusio, feruens oleum, cruces, scorpiones, equulei, & quidquid acerbissimum dici cogitariq́ue potest, etiamsi ico. annis omnia simul toleranda forent, vnius diei gehennam non adæquarent.

Proinde sicut prudenter is sibi consulit, qui istius mundi pœnitentia, inferni pœnas redimit; ita imprudentissimus videtur, qui impura leuiq́; voluptate captus, his cruciatibus se, tametsi breues futuri essent, addicit. Quis enim adeò demens est, vt triũ dierum equuleum, vnius horæ libidine emat? Cruciatus inferni non tempore, sed æternitate, non anno, sed æuo mensurantur.

Heu æternitas, æternitas, quam diuturna es, quam grauis, quam vicina, quam parum tamen à pleriſq́; curaris? omne momentum in pęnis est annus, quid erit æternitas in tormentis inferni; Heu quanta Dei iustitia, quanta in peccatores seueritas? Quis vnquam vel grauissimum flagitiũ, biennij supplicio puniuit? plurimum triduò aut quatriduo pœnæ huius vitæ terminantur, sed Deus

Deus qui solus magnitudinem peccati suo momento æstimat & ponderat, tota æternitate pœnas exigit à peccatoribus. Heu miser quomodo in hac calamitosa æternitate perdurabis? Si tot anni in cruciatibus ponerentur, quot peccata admisisti; aut si hoc parum, quot saltem horis aut quadrantibus vixisti; vel si nec hoc satis est, quot sunt stellæ cœli, & maris arenæ, tolerabile videretur iudiciũ: At verò hoc numero annorum nõ contenta iustitia Dei, æternitatem pœnaram exigit, quæ æternitas, quantumcunque temporis demas, nihil minuitur. Si auferas tot millia annorum, quot sunt in vniuersa terra minutissimæ arenæ; si tot myriades annorũ, quot guttæ numerantur in Oceano, quot folia arborum omnium atque herbarum, qnot gramina camporum; adhuc sibi constabit æternitas, adhuc nihil de durationc supplicionum detractum erit: peccatum mortale inferni ignibus ardet quidem semper, sed nunquam excoquitur, punitur sed non expiatur. Deus ipse quamdiu Deus erit, peccatorem torquebit, neque prius liberabitur peccator à pœnis, quam Deus omnipotens & sempiternus desinat esse Deus.

Minuiturne doloris sensus pœnarum diuturnitate?

Corpus peccatoris damnati non indurescit, neque callo obducitur; proinde neque

pœnæ ipſæ molleſcunt, ſed quam graues tibi ipſo in gehennam ingreſſu fuerint viſæ tales tibi per omnem æternitatem videbuntur; æquè moleſtę & intollerabiles; niſi forte culpa tua augeantur. Hanc diriſſimam æternitatem cur non expendis? Eiuſque metu vitam tuam melius inſtituis? An forte quia ſolum præſens tempus æſtimas, futura tanquà abſentia, & longe poſita nunquam aduentura putas? Futura certè aliquando præſentia ſunt, & niſi quandoque adeſſent, futura non dicerentur. Qui ante annos 100. tua ætate & conditione vixerunt, illis non aliter æternitas futura fuit, atque tibi futura prædicitur; præterierunt illi, migrarunt ex hoc ſæculo, & nunc præſentem habent æternitatem, quam expectabant. Sicut igitur hodiernus dies ſuperiori anno futurus erat, & nunc non futurus eſt ſed præſens; ita æternitas illa gehennæ, quam procul abeſſe exiſtimas, aliquando te aſſequetur, præſensque aderit, & non ſicut tempus omne quantumuis longiſſimum aliquando præteribit, ſed ſemel præſens factum, in æternum præſens manebit. Hæc tu chariſſimè, obſecro etiam atque etiam cum animo tuo cõſidera, & illam longe terribiliſſimam ſuppliciorum æternitatẽ, quam nulla oratio ſatis poteſt enarrare, exiguo labore & pœnitentia deuita.

DE

DE REGNO COELORVM.

Optimus sapientissimusque mundi opifex in quem finem quæ ex nihilo creauit, retulit?

CÆteras quidē creaturas corporeas hominis vsui & vtilitati consecrauit : hominem verò ipsum in hunc finem produxit, vt post hoc exiguum breueque vitæ curriculum, rectè & honestè cōspectum, in domum illam migraret, vbi diuino conspectu fruēs, vitam longè iucundissimam beatissimamq; in omnem æternitatem viueret.

Quid hinc colligis?

Primò, manifestum euadit, vitam quam hic ducimus nihil esse aliud, quā viam quandam & motum ad illam beatam & immortalem, resque alias omnes ob eam potissimū causam factas, & impartitas nobis, vt ijs in hoc itinere ad cœlum commodius faciliusque conficiendo vtamur.

Secundò, Christianum hominem, qui hanc veritatem fide edoctus est, omnes suos conatus huc conferre debere, vt à beata illa vita nec excidat, nec frustra in hoc mundo constitutus, nec suæ procreationis finem assecutus videatur.

Tertiò, hinc efficitur, Christiani hominis mentem, cogitationesq; non alibi quam in cœlo defixas esse debere, iuxta B. Pauli admonitionem dicentis. *Quæ sursum quærite, vbi Christus est ad dexteram Dei sedens, quæ sursum sunt, sapite, nō quæ super terram: nostra enim conuersatio in cœlis est, qui sumus conciues sanctorum & domestici Dei.*

Coloss. 3.

Ephes. 2.

Quomodo ad regnū cœlorum mortales afficiuntur?

Tria sunt hominum genera, qui de æterna vita aut loquuntur aut cogitant. Primi sunt, qui cœlestia illa bona tanquam aliena, & ad se non pertinentia cōtemplantur, more illorum hominum, qui in itinere insigne aliquod palatium contuentes, pulchritudinem & splendorem eius admirantur, multaque inter se de illo conferunt, sed prætereuntes ad obiectam aliquam casam rusticanam diuertunt.

Secundi sunt, qui de cœlestibus quidem bonis, tanquam sibi comparatis & propositis, multa copiosè & splendidè disserunt, sed difficultate itineris multitudineque aduersariorum deterriti, neque ipsi eo contendunt, neque alios eo contendere sinunt. Quemadmodum olim in deserto 10. illi exploratores fecerunt, qui cum Iosue & Caleph in palestinam promissionis terram à Mose ablegati fuerunt.

Tertij porrò de cœlo agunt, tanquam de patria

patria ad quam iter habent, eiusque cogitatione ac crebra commemoratione omnes miseræ huius vitæ molestias & difficultates exsorbent, non aliter quam nobilis, qui ex longa difficilique peregrinatione pedes domum reuertens, eminus arcẽ suam in monte conspicatur. Hic enim cogitans paulò post occursuram cum liberis & familia vxorem, in amplexus ruituram, sedem, mensam, epulas, cæteraque omnia corporis animique oblectamenta proposituram, nihilque defuturum commoditatis, opum, honorum, &c. in itinere fortiter & animosè decurrendo alacriter progreditur, vim sibi facit, atque adeò etiam comites certa futurorum bonorum ostentatione animat atque impellit, si quę in itinere occurrunt, cœcis quasi oculis transit, & futurarum commoditatum consolatione facile contemnit. Ita affectos esse illos conuenit, qui beati esse volunt, vt magno & inuicto animi robore superatis omnibus impedimentis, & difficultatibus ad illam gloriam contendant, propter quam in lucem æditi, & per Christum à morte sempiterna vindicati fuerunt.

Inenarrabilis illius beatitudinis in nobis desiderium quænam excitant?

Primum si consideremus quæ quantaq; bona Deus in hac vita dilargitus sit, non modo infidelibus idolorumque cultoribus, & ho-

& hominibus ventri suo abdominique deditis, sed hostibus quoque suis, & Christiani nominis accerrimis oppugnatoribus. Nero præter nefarium parricidium & alia innumera flagitia commissa, primus imperatorũ Christianos vehementissimè est persecutus, vsque ad internecionem glorioſissimorum Apostolorum Petri & Pauli, Decius, Diocletianus, Maximinus, Maxentius, cęterique veræ religionis hostes, quid non in Deum, Deique cultores Christianos machinati fuerunt? Iulianus Apostata ex tonsurato clerico religionis Christianæ desertor, magicis artibus deditus, Valens hæreticus, &c. Hi (inquam) omnes cum tot sceleribus inquinati ex professo Deum ipsum, Deique legem impugnarunt; à Deo tamẽ donati sunt immensis opibus, honore, gloria, splendore, delitijs, vt nihil deesset, quo minus vitam agerent suauitatis, dignitatis, voluptatis plenissimam; imperauerunt orbi, subiectos sibi habuerunt populos ac Reges; ad eorum nutum omnia gerebantur: Et quid optare possis in hac vita, quod illis non fuerit concessum? Sed hinc attolle mentem ad alia. Sic enim tanta largitus est hostibus, persecutoribus, improbis, flagitiosis, sceleratis hominibns, atque tyrannis; quid præparauit, non dico, seruis, non amicis, non charis, sed filijs dilectissimis, regni sui hæredibus? Si optabilis

lis est imperatorum regumque terrenorum conditio, quanto magis optandum cœleste regnum, cui præficientur filij accepturi hæreditatem?

Secundum est ex diligenti consideratione verborum Isaiæ, & B. Pauli Apostoli. *Oculus non vidit, auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Magnam gloriam, magnas opes, magnos honores oculi nostri viderunt principũ Christianorum: Multò plura audiuimus aut legimus ipsi, quanta fuerit gloria imperatorum, quæ victoria ac potentia Alexandri Macedonis; quæ Nabuchodonosoris regna, qui triumphi Ducum Romanorum, quam admirabilis sapientia Salamonis. Longè deniq; magnificentiora & splendidiora mente & cogitatione complecti possumus: sed quantamcunque videris in orbe gloriam & fœlicitatem, quantumcunque; audieris quãtumcunque mente complexus fueris, nihil ad gloriam, beatitudinemque illam quam dabit, & reuelabit in cœlo Deus diligentibus se. *Isa. 64. 1. Cor. 2.*

Tertium ex eiusdem Apostoli verbis colligi potest: *Non sunt condignæ passiones huius tẽporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis*: hoc est nihil tam graue cuiquam, in hac vita inferri potest, aut à quoquam sustineri, quod dignum sit æterna gloria. Quò maio- *Rom. 8.*

ris

ris momenti & pretij est res, eò maiore labore molestijsque digna censetur. Sunt qui ferrum patiantur & ignes, vt vel præmia consequantur, vel commodis & emolumentis quibusdam fruantur. De bonis igitur vitæ æternæ affirmat scriptura quod tanta sint, vt nullus fuerit vnquam, in hac vita labor, nulla molestia, nulla afflictio, nulla pœna, quam non cumulatissimè compensent ac remunerentur. Multa passi sunt Martyres, multa item facinorosi multi pro criminibus suis: At nihil dignum tantò præmio. Tu labores tuos ad res istius vitę confer, mercator se periculis maris exponit, vt quæstum mercibus faciat, Ecclesiasticus transmittit Alpes, vt sacerdotium aliquod opimum impetret. Alij studia literarum, nocturnosque labores ad honores, Principum fauorem, & quietam vitam dirigunt. Et hæc diuina bona quæ pretium omne superant, pro quibus tametsi vitam sanguinemque profundas, nihil dignum prętabis, nullos tibi labores mereri videntur? Certè B. Paulus, quantos labores & molestias perpessus fuerit, quamque parui eas pro bonis illis immortabilibus æstimauerit, in Epistolis suis satis declarat.

Quartum est ex pretio vitæ æternæ: merces enim quo pluris veneunt, eo digniores habentur. Obseratum erat quondam cœlū perca-

peccato primi parentis, nulli patebat ingressus, quæsitus est in cœlo, in terra & subtus terram, qui pretio persoluto portã cœli reseraret, nemo potuit reperiri, nec pretiũ ab vlla mortali vel immortali creatura persolui. Deus ipse infinitæ maiestatis & dignitatis in pretium se offerre debuit. Haberi poterant opes huius terræ, Sol, Luna, sidera, ipsique cælestes orbes, quæ omnia quum in hunc finem à Deo producta essent, vt homini ad æternam salutem consequendam adiumento essent, meritò debuissent in hoc negotio consumi, sed dignum & æquale nõ erat pretium, opus fuit re infinita, doloribus, sanguine, passione, morte Dei infiniti. Quocirca si gloria cœli non nisi infinito merito comparari potuit, hoc est, non nisi morte filij Dei; & si tanti Deus ipse illam æstimauit, vt se ipsum pro ea tibi comparanda obtulerit, ac donarit; nonne magnum quiddã & eximium vitam æternam esse existimare debemus? *Ego* (inquit filius Dei) *veni vt vitam habeant*, ideò factus homo, ideò passus, ideo mortuus, vt vitam ab ipsis amissam meo sanguine recuperem.

Quintum argumentum ducitur ab illis, qui hoc cęlesti gaudio beati sunt & fœlices. Maiores nobilioresq; maioribus rebus gaudent & delectantur; pueri nucibus, viri magnates, Principes & Reges grauioribus,

vt

vt certaminibus, circis, venationibus. Qui porro res istas terrenas mente calcarunt, adeò non afficiuntur illis, vt omnia ista humana & inferiora pro nihilo ducant, reputent vt sordes & stercora. Tales erant Apostoli, cæteriqúe viri sancti, & Deo pleni. At verò sancti Angeli quibus nihil commercij est cum his nugis nostris, dedignantur illas aspicere, in quibus homines præcipuam fœlicitatem constituunt: eorum quippe fælicitas & beatitudo posita est in rebus longè nobilioribus. Deus autem infinitæ naturæ & dignitatis, non nisi infinita pulchritudine capitur. Considera igitur quanta sit futura res illa, quæ te in æternum beabit, eadem nimirum quæ sanctos Apostolos, quæ beatos Angelos, quæ Deum ipsum: Qua enim re sancti Dei aque adeò Deus ipse oblectatur, & beatus est, nisi Deo & contemplatione possessioneque diuinitatis? Hac eadem tu frueris, & in æternum frueris. O te beatum ergo si gloriam istam intelligas, beatiorem si desideres, beatissimum si consequaris.

Anima hoc cœlesti regno digna quo triumpho in possessionem tantæ gloriæ ingredietur?

Reges inaugurandi cum magna pompa & solennitate inducuntur, & Romani duces olim confectis fœliciter bellis domum re-

uer-

uertentes, cum incredibili splendore & apparatu in capitolium inuehebantur. Sed nihil ad hanc inaugurationem atque triumphum. Lazari mendici anima, ante reseratas cœli portas, ab ipsis Angelis, est in sinum Abrahæ deportata. Itaque, primò Angeli ipsi sunt vice currus triumphalis, ipsi vehũt animam in cœlum, ipsi magno numero comitantur. O quam suaue vehiculum, quam certi itineris duces, quam nobiles & iucundi comites, quam honorabiles ductores. *Luc. 16.*

In ipso verò progressu cum laudibus Dei, non tacebuntur laudes triumphantis animæ. Hæc est virgo sapiens, quam Dominus vigilantem inuenit. Hæc est quæ nesciuit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum. Iste sanctus pro lege Dei sui certauit vsque ad mortem, & à verbis impiorum non timuit. Hic vir despiciens mundum & terrena triumphans diuitias cœlo condidit, ore, manu. Tum eius generosa facta dulcissimo carmine ab Angelis celebrabuntur, taliq́ue cœlesti melodia peruenietur in cœlum, sicut de seruulo paralytico, narrat D. Gregorius.

Quid vbi ad cœlum ventum fuerit?

Mirabitur anima insolitam regionẽ, noua erunt omnia; occurrent sancti congratulabundi, & in casta oscula ruentes. Si enim

Luc. 15. *Angeli in cœlis gaudent super vno peccatore pœnitentiam agente*, sed in magno adhuc discrimine degente, quantum erit gaudij super eodē iam de hostibus omnibus victoriam & triumphum reportante? Etsi gaudent Angeli, quanto magis homines, eiusdem nobiscum naturæ, conditionis, & patriæ? Etsi ex longa peregrinatione redeunti filio occurrunt mater & domestici in hac vita, omnique obsequij & officij genere gratificantur, quam vehementer lætabuntur, & gratulabuntur nobis beati illi Spiritus, qui longè maiore caritate nos complectuntur, quam vllus mortalium? Præsertim cum ex multo longiori periculosiorique peregrinatione atque nauigatione, in securissimum salutis portum inuehimur?

Qui sanctorum præcipuo gaudio triumphant nobis in cœlum ingredientibus?

Quibus nos aliqua necessitudine coniuncti fuimus, vel causam alicuius boni aut salutis attulimus, vel quos singulari deuotione coluimus. Itaque parentes Deo laudem dicent pro tali filio, & fratres, amici & cognati pro tali consanguineo. Ibique amor omnis naturalis qui erga parētes habebatur, in sanctum & diuinum commutabitur. Iam illi quos ad meliorem vitam adduxeris, ad Deū conuersi, tibi suam salutem cum ingenti tua glo-

gloria acceptam referent. Et ſicut (teſte D. Gregorio) Achaia Andream prædicabit; India Thomam, Aethyopia Bartholomæum; orbis Chriſtianus Petrum & Paulum, his ſimilibuſque vocibus.

Hi ſunt Domine qui nos veritatem docuerunt, qui nos ſuis verbis & exemplis è dæmonum faucibus eripuerunt, qui ſalutis iſtius noſtræ authores fuerunt, Petrus Apoſtolus, & Paulus Doctor gentium, ipſi nos docuerunt legem tuam Domine: His igitur redde *coronam iuſtitiæ, quam promiſiſti diligentibus te.* Ita tibi bona omnia precabuntur, & laudes tuas immortaliter celebrabunt, illi quos tu ad pietatem colendam iuueris, filij, diſcipuli, ſubditi, auditores, & quibuſcunq; operam tuam impenderis. Sancti verò quos patronos habueras, nominatim Angelus tutelaris, peculiarem illum cultum & honorẽ, quo ipſos viuens affeciſti, palam commemorabunt, ſingula quoq; recenſebunt, quæ in tui gratiam viciſſim à Chriſto petierunt & impetrarunt, quos tu agnoſcens maiori etiam, quam hactenus vnquam veneratione & affectu complectere.

Iucundiſſimo hoc ac ornatiſſimo ſanctorum comitatu in intima cœlorum penetralia introductus quid agam?

Admiraberis regionis amœnitatem, campos non terrenos, ſed cæleſtes, palatia nõ lapidi-

pidibus, lateribus aut gemmis, sed sublimiori materia diuinis manibus artificioq; constructa, solis lux vtpotè obscurior illic non lucebit, nam *claritas Dei illuminat illam domũ,*
Apoc. 21. *& lucerna eius est agnus.* Hinc inde circumspectans varios sanctorum choros videbis, Virginum, Viduarum, Anachoretarum, Confessorum, Ecclesiæ Doctorum, Martyrum, Apostolorum, Prophetarum, Patriarcharũ, qui vt in hoc mundo diuersis viuendi institutis Deum coluerunt, peccataque sua, & vnigeniti filij Dei mortem, seorsim (vt ait
Zach. 21. Propheta Zacharias) distinctis familijs planxerunt, ita in cœlesti patria diuersis honoribus afficientur, & habitationibus distinguentur. Siquidem *in domo patris* cœlestis
Ioan 14. *mansiones multæ sunt.*

Quibus salutatis & ab ijsdem officiosè resalutatus, ascendens ad nouem choros Angelorũ, quos tribus hierarchijs dispertitos, & in suo quemque munere & officio (sunt enim *administratorij Spiritus*) constitutum videbis, ex qua re dictu incredibile, quantam
Gen. 28. sis voluptatẽ percepturus. Nam illi qui sunt ex ordinibus inferioribus, vltrò citroque sursum, deorsum cursitant munera diuinæ
Apoc. 8. cœlo in terram, & preces mortalium hinc in cœlum deportantes. Medij ex Dei voluntate & præscripto de rebus inferioribus constituunt & ordinant. Supremi vtpotè Deo vici-

viciniores perpetuò diuinæ suæ maiestati assistunt & ministrant, toti in eius amorem & admirationem absorpti: Et Angelorum quidem omnium tanta est multitudo, vt sicut cœlum magnitudine hanc terram, infinitis partibus vincit, (quippe quæ iuxta mathematicorum demonstrationes ad vniuersi cœli complexum quasi puncti instar obtinet) ita eorum numerus res has terrestres omnes multitudine longè superet. Ordo talis est, vt & nemo otietur, & nemo alterum impediat, & quo quisque superior est, eo quoque inferiore, insigni aliqua proprietate nobilior est & præstantior. Regina Saba admirabatur in aula Salomonis ministrorũ ornatum & ordinem; nec *habebat amplius spiritum*, vt inquit scriptura. Sed quid hominũ terrenis vestibus indutorum nitor, ad hunc immortalem Angelorum splendorem & ornatum; qui gloria cœlesti & pulchritudine naturæ suæ, omnibus rebus à Deo creatis antecellunt? Quid ille ordo ad huius ordinem? Quid illa multitudo ad hanc infinitatem? 2 *Par.* 9.

In hac gloriosa profectione quos audies concentus Angelorum, atq; beatorum hominum? Quam melodiam, quas Dei laudes? Canticum nouũ, perpetuũ Alleluia. Quando vident pij homines in templis Catholicorum sacrum missæ officium cum apparatu, & pia quadam cœremonia celebrari, &

Ecclesiasticos hymnos deuotè ordinatéque decantari audiunt, animis in cœlo defixi, & mirabili dulcedine ac suauitate deliniti, lachrymas vix tenent. Hic ergo in cœlesti templo, in tanto numero canentium, tanta singulorum attentione, tanto ordine, tanta harmonia, tanta maiestate, quid cogitabis? Vbi eris? Quo gaudio afficieris? Qua dulcedine perfundêris? Qua deuotione cumulaberis?

Præterue ctus Angelorum ordinem ad cælorum Reginam Dei ipsius Matrem adduceris, quę sola gloria ac maiestate sua decimum chorum constituit, & adornat, totenim tantisque donis & ornamentis est exculta, vt quidquid sapientiæ, pietatis, charitatis, pulchritudinis, honoris, gloriæ sanctis omnibus à Deo collatum fuit, id omne in ipsa tanquam in nobilissimarum rerum thesauro collectum videas. Hanc aspicies amictam Sole, & Luna quasi scabello insistentem, illustri corona, 12. stellis tanquam gemmis quibusdam distincta, capite redimitam: quæ sereniſſimo vultu ad te conuersa, veni (inquiet) sponsa Christi, accipe coronam quam tibi Dominus præparauit in æternum; Inuocasti me, & quotidianis precibus postulasti, vt Iesum benedictum fructum ventris mei post exilium tuum tibi exhiberem; iam te ad eum deducam, teq; coronandam, dignoque

Apoc. 12.

noque pręmio afficiendam ei sistam: & commemoratis orationibus quas pro te ad filiũ suum fundere solita fuit, singulisque beneficijs per eius preces tibi à Deo collatis, in maiorem te sui amorem & venerationem excitabit.

Quid præterea?

Duce matre Deipara throno Christi appropinquans admiraberis gloriam vnigeniti filij Dei, sedentis ad dexteram virtutis & maiestatis Dei, qui tibi obuiam factus, id quod in supremo iudicij die futurum promisit, etiã hoc tempore aliquo modo pręstabit: *Iterum veniam & assumam vos ad meipsum:* Nam si filium prodigum, qui totum patrimonium suum decoxerat, accurrens amplexus est & osculatus, quid filio probo è pugna redeunte facturum putas? Primò sanè more matris, quæ infantis lachrymantis faciem sudario tergit, *absterget omnẽ lachrymam ab oculis* tuis, & eiusmodi proculdubiò verbis consolabitur: Benedicte tu fili mi, & frater dilectissimè, gaude & exulta, iam enim non erit tibi *amplius neque luctus, neque clamor, neque vllus dolor. Iam hyems* & difficultas *omnis transijt & recessit.* Deinde quod tantò tempore concupiuit anima tua, *vt oscularetur te osculo oris sui*, suauissimo castissimoque amplexu, te sibi in sponsam desponsabit. Tum exhibitis manuum, lateris, pedumque

Luc. 15.

Apoc. 21.

Cant. 1.

vulneribus, quidquid pro te annis 33. gesserit, passusq; sit, in memoriam reuocabit. Tu verò venerabundus sacra illa vulnerum loca deosculaberis, tantiq́ue Dominii in te bonitatem & misericordiam admirans, in eius amorem incredibiliter exardesces.

Nihil amplius?

Quintò, manu prehensam te sponsam suam adducet Christus ad thronum, patris æterni, vt ipsam videas & possideas diuinitatem. Vti sicut Moyses in monte Sinai in nubem ingressus caligine tectus fuit, ita tu *ingressus in gaudium Domini tui*, totus à Deo absorptus, homo planè diuinus euades. Hic tunc Deus Pater, sempiternæ gloriæ coronâ tibi imponens: *Euge* (inquiet) *serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui*, intra (inquam) *in gaudium Domini tui*, tantũ quippe est gaudium, vt totum capere nequeas, sed sicut spongia in aquam missa oppletur quidem aqua, sed vniuersam aquam non capit, ita tu gaudio quidem & Deo replebere, sed tamen totam istius gaudij amplitudinem mentis tuæ angustię non poterunt continere. Verè, verè beata tunc erit anima tua, *densque exultabis lætitia inenarrabili & glorificata.* Deus porrò locum tibi designabit in numero sanctorum labore & virtute tua dignum,

Exod. 24.

1. Pet. 1.

num, iuxta illud sapientis. *Omnis misericordia faciet locum vnicuiq; secundum meritum operum suorum, & secundum intellectum peregrinationis ipsius.* Ad quem locum vbi perductus fueris, miraberis tibi asseruata, & quasi in thesaurū collecta, quæcunque per omnem vitam egisti, nihil eorum prætermissum, nec haustum quidem aquæ frigidæ egentibus datum, & miraberis res exiguas & minimas tanta mercede compensari. Eccle. 16.

Verène isthæc ita fient?

Fient illa quidem, sed non eo modo quo dicta sunt, sed quomodo ab hominibus explicari possent. Fient puncto temporis, summo splendore, inexplicabili lætitia, modo supernaturali, quem illi soli intelligent, quibus dabitur experiri.

Quotuplex gaudium habetur in vita æterna?

Duplex: Vnum essentiale dicitur, quod in Dei ipsius clara visione possessioneque consistit.

Alterum accidentale, quod in cæteris animæ corporisque bonis cernitur. Vtrique conuenire potest Boëthij definitio, *vt sit status bonorum omnium aggregatione perfectus.*

Atque vt ab accidentali pręmio tanquam minori auspiceris, omnibus ibi bonis circumflues & abundabis, nihil quod desidere-

rare possis aberit, omnia quæ voles copiosè accipies. Cumq; tanta sit illic fœlicitas, rectè tamen dixit D. Augustinus *facilius exponi posse quid non sit, quã quid sit in cœlo*; nulla paupertas, nulla inscitia, nulla ægritudo, nullę prorsus miseriæ, imò verò nec hæc nostratia bona, non diuitiæ nostræ, non honores nostri, non scientiæ nostræ, non eloquentia nostra, non denique quidquid in bonis & eximijs hic mundus admiratur. Aderunt tamen bona omnia, sed præstantiora & altiora.

Adumbra rem istam similitudine aliqua?

Agricola quispiam rusticana sua casa & supellectili contentus viuit, mensa, cubili, lecto, vestitu, &c. At filius Regis assuetus palatio, supellectiliq́ue regia, casam hanc forte ingressus, nihil inueniet, quod ulla parentis dignum putet. Hic enim videt parietes luteos, tectum stramineum, tapetes aranearũm telas; lectum saccum stramineum, lecticam humum, mensam rudem tabulam, sedem truncum arboris, vestem panosam, calceos clauiculatos, orbes & cochlearia lignea, lances testaceas, denique rudia rusticanaq́ue omnia, quibus licet fruatur, & delectetur agricola; non capitur tamen Regis filius, cuius palatium est nobili ligno de structum, plumbeis laminis tectum, pulcher-

cherrimè laqueatum, & ſuppellectili aurea atque argentea inſtructum. Simili modo res ſe habet in aula cœleſti, vbi diuitiæ huius mundi, quæ auro, argento lapidibuſque pretioſis & gemmis conſtant, hoc eſt, terra rubra, alba, aut alijs coloribus pro qualitate gemmarum tincta, nullo pretio habentur. Noſtræ opes pungunt ſollicitudine curaque habendi & retinendi. Illic opes cœleſtes ſine cura, & illæ quidem ampliſſimæ. *Super omnia enim bona ſua conſtituet* te DEVS. Quidquid habet Deus, id tuum erit. Et quemadmodum olim Ioſephus par erat Pharaoni, vno ſolio regni ſceptroque excepto; ita tibi ſua omnia donabit, committetque Deus, hoc vno dempto quod cõmunicari nequit, vt ipſe ſolus maneat *Deus ſuper omnia benedictus in ſæcula.*

Matt. 24.

Gen. 41.

Honores iſtius vitæ, quid præter externam reuerentiam adferunt, & illam ſæpè ſimulatam, ſæpè extortam, ſæpè coactam, & inuidia, maledictionibus plenam? In cœlo porrò quantus honor? *Qui vicerit* (inquit CHRISTVS) *dabo ei ſedere in throno meo.* Magnus honor in eodem throno cum Rege conſidere. Aman acerrimus honoris exiſtimator, ſummam dignitatem iudicabat equo Regis vehi. Quantus igitur erit honor, in eodem throno ſedere cum CHRISTO DEO, & Regum omnium Domino? Elegan-

Apoc. 3.

Heſter. 6.

ter

ganter dixit B. Apostolus Paulus. *Quod in præ-*
2. Cor. 4. *senti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Tanta est illius honoris & gloriæ magnitudo, vt omne id quod in hac vita pati contingit, sit pro re leui ac momentanea habendum.

Summa in hoc mundo potestas est, summa imbecillitas. Reges & Principes, qui præter cæteros potestate præditi esse viderunt, sine ministrorum turba à quibus pendet tota illorum potestas, vix audent domo efferre pedem quod intrepidi faciunt mendici. Beati verò in cœlo, sine ministrorum aut militū ope, soli per se acies integras delere & perdere possunt, sicut vna nocte in exercitu Sena-
Isa. 37. cherib, Angelus vnus 185. hominum millia prostrauit. Quia *gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis*, quod illis in Apocalypsi
Apoc. 2. promisit Christus his verbis: *Qui vicerit & custodierit vsq; in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, sicut & ego accepi à patre meo*: hoc est, potestatem, qua me pater cœlestis ornauit, cū sanctis meis communicabo.

Cibus noster in hac vita ex animalium carnibus, aut terræ frugibus atque herbis,

potus

potus ex aqua aut succo vuarum conficitur, & sumptus quandoque lædit corpus, sæpè mentem ad terrena deprimit, labore parandus est, & quotidie repetendus : Quantò præstantius est alimentum cœlitum? *Ego* (dicebat) *Raphaël cibo inuisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor* : Replet omne desiderium satiatque : *Inebriabimur* enim *ab vbertate domus Domini, & satiabimur cum apparuerit gloria eius* ; sine molestia paratur, quia filius Dei iubebit nos accumbere & *transiens ministrabit* nobis. Tob. 2. Psal. 35.

Voluptas huius vitæ suas habet amaritudines, vt non immeritò à saluatore Christo spinis pungentibus comparetur : non rarò est fœda, plerumque imperfecta: nam qui tactu delectatur, dolet alio sensu, audiens vel aspiciens quod molestiam parit. Lucæ. 12. Luc. 8.

Quæ sensuum erunt oblectamenta?

Oculi qui multa hic acerba viderunt, & pauperum necessitates benignè inspexerũt, gaudebunt illic præsentia Christi, Sacratissimæ matris, omniumque sanctorum, quorum corpora omnem pulchritudinem vincent.

Delectabuntur quoque amœnitate loci, quæ quanta sit in ipso cœlesti palatio, ex infima eius vilissimaque parte, quæ nos respicit, coniectare possumus. Hæc enim pulchritu-

ritudine stellarum & siderum ornata, lumineque Solis & Lunæ illustrata, non solum orbem hunc inferiorem illuminat, sed rebus omnibus vitam & esse confert atq; conseruat. Quid igitur in penetralibus ipsius erit pulchritudinis, si tantum splendoris habet hæc pars, quæ non solum ab hominibus sed etiam à bestijs conspicitur?

Aures quoque quæ pauperum vocibus & clamoribus patuerunt, diuinasque laudes & sacras conciones admonitionesque cum fructu audiuerunt, multaque conuitia hauserunt; ibi suauissimo CHRISTI colloquio perfruentur, sacratissimæ DEI genitricis, cæterorumque sanctorum verbis & sermonibus concentuque Angelorum & laudibus DEI sine fine decantandis delectabuntur.

Singulis præterea sensibus reliquis, suæ voluptates non deerunt, & plus delectationis illi percipient, qui plus molestiæ tulerunt.

Ipsum vero corpus quale futurum?

Ipsum cum omnibus suis partibus & membris admirabiles capiet voluptates, sed carnis, sed sanctas, sed diuinas. Afficietur namque diuinis illis quatuor dotibus?

Erit enim primò impatibile, sanum, vt nulla læsione, nullo æstu, nullo frigore, nullo que malo affligi possit.

Secun-

Secundò instar solis clarum; splendor enim ipsi loco vestimenti erit.

Tertiò, Agile ad omnem animæ nutum velociter, sine molestia, absque defatigatione vbique præsens.

Quartò, spirituali rationi per omnia obtemperans.

At nunquid manent in glorificatis corporibus martyrum cicatrices, ieiunantium attenuatio, flagellorum corpus suum castigantium vibices?

Manent vtique cicatrices vulnerum pro Christo acceptorum, sed admirabilem splẽdorem reddent, non secus ac smaragdus aut carbunculus in auro obrizo, caro macie, ieiunijs, cilicijs, alijsque pœnitentijs confecta, instar Solis fulgebit; denique labores omnes & incommoda pro iustitia & remissione peccatorũ susceptа & tolerata, summa quiete & iucunditate permutabuntur.

Bona istius vitæ aliudne habent vitium, quam quod multis malis sunt admixta?

Habent sane, idq; maximum. Sunt enim breuia & incerta, aliquando fortunæ ludibrio exposita, semper autem morte deserenda. At verò cœlestium bonorum nullus erit terminus; semper enim *cum Domino erimus*, inquit Apostolus. Cum namque in

in omni occupatione læta tempus breuè apparet, & citius atque vellemus effluxisse videatur, in illa summa fœlicitate omne tempus esset breuissimum. Quia (vt ait Propheta Dauid) *mille anni ante oculos Domini tanquã dies hesterna quæ præterijt.* Igitur in illa sancta æternitate nulla est vicissitudo, nulla successio, nulla permutatio, sed constans & firma, & plena, & absoluta per omnem æternitatẽ lætitia, nullo tædio diuturnitatis permixta: sicut enim Deus aliàs omnipotentiam, sapientiam, bonitatem, iustitiamque suam hominibus declarauit: ita in beatitudine cœlesti quibus bonis ornare, & quanta fœlicitate suos dilectos afficere possit, apertis thesauris gloriæ suæ palam faciet: nihil hic erit mali, nihil deerit boni: Cogita diligenter apud animum tuum quid appetas aut quid desiderare possis, id omne habebis illic, & plenius perfectiusque quam conceperas habebis.

Scientia istius mundi tametsi magno labore parta, est tamen potius ignorantia dicenda quam scientia, vt verè dixerit sui temporis doctissimus Socrates, se hoc vnum scire quod nihil sciret: quumque tam exigua sit, & ferè nulla, inflare tamen solet, & miros homini Spiritus afferre. Quid quæso nouimus de natura cursuque astrorum? Quid de fluxu refluxuq; & salsedine maris? Quid de corpore humano? Medicina plena est ambigui-

ligui tatibus, Iurisperiti tot scriptis volumi-
nibus, in rebus grauissimis sæpè dissentiunt.
Extra ea quæ fide credimus Theologia mul-
tis obscuritatibus est inuoluta. Et hodie in
omni ferè scientia, quæ multo tempore ma-
gno consensu tradita fuerunt, à plerisque
nouis difficultatibus suscitatis in dubium
vocantur. Sancti in cœlis quid poterunt ig-
norare? Videbunt oculis cursus orbesque
cœlorum, non magis ipsos latebunt herba-
rum, animalium, cæterorumque corporum
natura & proprietates, quam dæmones, qui
ingenij pernicitate omnia penetrãt. Et quid
non scient, qui scientem, summaque in se
continentem scient?

Suauitas denique quæ ex amicorum so-
ciorumque consuetudine in hoc mundo ca-
pitur, frequenter aliqua amaritudine misce-
tur, vel ex moribus minus aptis, vel ex verbo
leuius inconsideratiusque prolato, vel ex æ-
mulatione, si fortè alij nobis anteponantur.
In cœlo verò vnum ex præcipuis gaudijs erit
sanctorum consuetudo atq; præsentia, quo-
rum gloria non aliter atq; si nostra esset læ-
tabimur, quemadmodum singula corporis
membra ornatu mutuo gaudent: manus e-
nim ex capitis ornatu redditur ornatior, at-
que ita de cæteris membris; & sicut mater
gaudet quum filius ad honores magnos eue-
hitur, quod talis honor in matrem quoque

talis filij redundet. Quamobrem nulla est illic inuidia, nulla ambitio, nulla ob aliorum maiorem gloriam æmulatio. Singuli enim quantam optare & capere possunt gloriam habebunt. Sicut igitur frater statura breuior accepta à parente veste aurea quæ suo corpori conuenit, non inuidet fratri proceriori vestem similem, sed pro statura longiorem maioriſque pretij, neque illam sibi cuperet oblatam tanquam minus conuenientem: & sicut manus ornata annulis gemmisque non appetit ornatum capitis licet sumptuosiorem: Et quemadmodũ mater non inuidet filio diuitem Episcopatum aut Sacerdotium, cuius ipsa non est capax: Ita sancti suo singuli statu contenti erunt; nec vnus alterius honore, aut gloria dolebit, sed potius vehementissimè gaudebit.

Quid post hæc omnia beati exspectabimus?

Præter hæc tanta, tamq; admirabilia bona, vult Deus seipsum nobis in cœlis dare, diuinamque naturam admirabiliter nobis coniungere, vt à nobis videatur & habeatur, & videndo possideatur. Et hoc est præmium essentiale.

Quomodo videndo Deum ipsum possidemus?

Res ista cum tam sublimis sit, vt neque verbis exprimi, neque mente concipi valeat, pro ingenij nostri tarditate, hoc rudi modo

lo consideretur. Deus natura simplicissimus, perfectione infinitus, nec humano nec Angelico intellectu attingitur aut videtur; quod mens creata ad tam perfectam & absolutam simplicitatem non possit aspirare, neque sit aut esse possit similitudo aliqua, quæ Dei naturam intellectui repræsentet, cum omnis similitudo finitam habeat perfectionem, Deus autem sit infinitus. Deus itaque pro bonitate sua hominibus sanctis se manifestare volens, mentis humanæ oculos infirmos atque angustos, primo quidem firmiores reddit, lumineque diuino illustrat, vt supra naturę vires capaces efficiantur contemplationis Dei. Tum verò Deus ipse non per speciem (vt fit in cognitione aliarum rerum, quarum similitudines non res ipsæ sunt in sensibus & intellectu) sed per se ipsum in intellectum ingreditur, coniunctioneque hac supernaturali & admirabili, videtur per se atq; in se diuina natura: neque videtur modo, sed per intellectum ingressus in animam, eam, potentiasque eius, adeoque corpus ipsum hominis beati diuinitate replet.

Quid hinc efficitur?

Primò, vt anima beata Deo plena, tametsi naturam suam non amittat, diuinæ tamen naturæ consors dicatur, atq; in ea magis De-

us quam propria natura cernatur: quod similitudine candentis carbonis, & ardentis fumi in flamma explicari solet.

Secundò, vt gloria hæc animæ in corpus redundet, corpusque ipsum afficiat: vnde sicut per animam suam accipiet humanum corpus pulchritudinem, ita non mirum, si præsentia hac diuinitatis *corpora sanctorum* Matt. 17. *fulgebunt sicut Sol in regno patris eorum*: quemadmodum Christum Dominum in transfiguratione resplenduisse nouimus: & sicut ex pulchritudine ista motuque videtur corpus viuere, vitaque ipsis quodammodo oculis externis cernitur, ita rectè dixit B. Augustinus propter insignem sanctorum gloriam, Deum ipsum humanis oculis quodammodo conspici, nempe sicut videtur vita vel anima viuentis.

Tertiò, fit vt hac coniunctione sancti admirabili delectatione voluptateque afficiantur: siquidem voluptas tribus rebus excitatur: re delectabili, re delectationis capace, & vtriusque coniunctione; eritque delectatio eò vehementior, quo hæc tria in suo genere magis superant: quo namque cibus est suauior, gustatus etiam melius constitutus, illique cibus coniunctior: eò gratior est sapor. Atqui Deus in quo continetur omne prorsus bonum, omnis dulcedo, omnis suauitas, est summè delectabilis. Anima quoque humana,

nana, natura alioquin sua ad percipiendam delectationem aptissima, vtpotè natura spiritualis & subtilis, cuius virtute & præsentia corpus ipsum affectionibus quibusdam solet commoueri: Lumine verò hoc diuino, multo est etiam aptior, & quod summo Dei sui desiderio teneatur, non aliter idonea est ad Deum capiendum, quam ille qui ardentissimè sitit, est idoneus ad bibendum. Iam verò coniunctio Dei, & animæ non est externa per immissas species & similitudines, qualis est fere in sensibus animalis, & intellectu hominis, qui aliquid intelligendo concipit; neque est per solum contactum, sicut cum gustamus quidpiam aut tangimus, sed est prorsus intima, dum Deus natura diuinitatéque sua in animam illabitur, totamque penetrat, sicut spongiam penetrat aqua, & fumum ignis. Vnde necessarium est, hanc suauitatem atque dulcedinem, quæ ex coniunctione Dei accipitur, esse maximam.

Quartò fit, vt sancti magna sapientia præditi sint, & multarum rerum scientia abundent. Quid enim non videt, qui in se habentem omnia videt? Itaque sancti quibus datū fuerit diuinam essentiam perspicuè intueri, videbunt Dei infinitam naturam, maiestatem, pulchritudinem, bonitatē, personam, cæteraque attributa; quæ omnia quum sint perfectissima, non sunt in Deo res multæ,

sed vnica simpliciſſima natura, estq; Dei sapientia eius persona, & hæc eius iuſtitia, & ista ipsius miſericordia, &c.

Quid præterea in simplici illa essentia sancti videbunt?

Videbunt tres personas reipsa distinctas, & vnicam tamen numero naturam. Videbunt quomodo Filius ab æterno generetur, & semper sit genitus, semperque nascatur, & semper sit perfectus, quomodo Spiritus S. à Patre & Filio, nõ nascatur quidem, sed procedat per modum amoris, non à duobus sed ab vno principio.

Videbunt rursus quid tota æternitate Deus egerit, qua persona & modo de nihilo mundum creauerit, resque omnes creatas visibiles & inuisibiles, in Deo existentes cõspicient, sed longè nobiliores atque præstantiores quam sint in seipsis, nempe ideas rerum & similitudines, per quas producta est vniuersitas rerum, quæ res in Deo erant antequam ex nihilo formarentur, & quidẽ non materiatæ sed materiæ expertes, neque mortuæ sed viuæ, quia *quod factum est in ipso vita erat.*

Videbunt præterea operantem Deum & non moueri, omnia quæ fiunt facientem, & non mutari, omnia conseruantem, nec fatigari.

Vide-

Videbunt inter cætera admirabile opus incarnationis filij Dei, qua secũda in Trinitate persona in eandem personam assumpsit humanam naturam, ita vt ea persona, quæ prius erat perfectissimus Deus, facta sit sine vlla sui mutatione perfectissimus homo. *Ioan. 1.*

Qualis erit ista visio?

Hæc omnia videbunt in Deo clarè perspicueque, sed non comprehendent ob rerum magnitudinem, seu potius ob rei vnius infinitatem, gaudebuntque se comprehendere non posse, & ad tantæ maiestatis aspectũ esse admissos quæ nullius creaturæ mente capi possit.

Nihil præterea videbunt?

Videbunt denique in Deo res omnes ab orbe condito gestas, non vt absentes, sed quasi præsentes, mirabunturque Dei sapientiam & prouidentissimam charitatem, cognoscent quoque quanta beneuolentia eos in hoc mundo Deus tractauerit, per varios casus duxerit, & ab æterno prædestinatos sapienter amanterq; ad salutis portum perduxerit, omniaque bona & mala, quæ in hac vita experti fuerunt, in ipsorum commodum conuerterit.

Quid sit præterea admirabili illa coniunctione?

Excitabitur quintò in hominis voluntate ardentissimus amor Dei, tum ex pulchritudine bonitateq; immensa, tum ex charitate beneficijsq; in nos, totumque humanum genus collatis: Hæc enim duo conciliant amorem, bonitas & beneficium. Et quia iuxta scripturam Deus diligentes se diligit, seu potius quia se faciet ab homine perfecta charitate diligi, ipse vicissim in nos suauissima abundantissimaque charitate effunditur, vt non modo cognoscamus & affirmemus nos diligi (quod in hac vita quoque fateri cogimur) neque solum experiamur, sed verè sentiamus atque gustemus immensam Dei in nos dilectionem.

Prou. 8.

Quid postremo?

Sextò, fit quoque hac admirabili coniunctione, vt beatis Deus suas proprietates impertiatur. Potentiam, amorem hominum, patientiam, compassionem, misericordiam, &c. Vt sint ferè sicut dij, non quidem scientes bonum & malum, sed scientes omne bonum, omni virtute, bonitate & gloria perfecti, & carentes omni malo, aut potius sicut Deus, qui per hanc suam cum omnibus sanctis coniunctionem erit omnia in omnibus, vt Deus in singulis videatur, & singuli in Deo. Sicut ignis est in carbonibus accensis, & carbones in igne ardente. Vnde etiam hoc

hoc discimus, quantoperè sint sancti à viuentibus colendi propter Deum quo pleni sunt, quanta sit eorum dignitas, quanta maiestas, quanta potestas, vt dij vel Deus potius videantur, quam homines. Non itaque mortui, non cæci, non surdi, non muti, non infirmi, sed viui videntes in Deo necessitates nostras, audientes preces nostras, orantes pro nobis, & pro gloria & potestate sibi à Deo concessa, mortalibus opem ferentes, adeò vt dæmonibus damnatisque summo sint terrori, qui hanc diuinam in sanctis maiestatem, claritatem atque personam ferre non possunt.

Quibus indicijs considere licet nos esse in via recta ad vitam æternam?

Nescit quidem homo, vtrum amore an odio dignus sit, indicia tamen quædam bona habere possumus, inter quæ primum est serenitas conscientiæ & quies interna, iuxta illud B. Ioannis. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Cæterum quia de se B. Paulus loquitur, *nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum*; non in omni, nec in sola illa interna pace, & tranquillitate est acquiescendum, quandoquidē Dauid in prauissimis peccatis adulterio & homicidio totis 9. mensibus, & in peccato superbiæ numera-

Eccl. 9.

1. Ioan. 3.

1. Cor. 4.

merati populi totis 6. menſibus ſine vllis cõſcientiæ ſtimulis videtur hæſiſſe.

Vnde hæc mentis quies proficiſci debet?

Ex cò quod quis poſt diligentem & quotidianam actionum ſuarum conſiderationem, nihil in ſe inueniat, quod diuinæ legi repugnet, firmumque propoſitum concipiat, nihil quod Deo ingratum ſit, admittendi, & nihilominus frequenti confeſſione, leuiora peccata deleat, ſeſeque crebra ſanctiſſimæ Euchariſtię perceptione aduerſus peccata communiat. Quiſquis tunc ſerenitatem animi ſentit, firmiter ſperet ſibi iam locum eſſe in cœlis conſtitutum.

Da ſecundum indicium?

Secundum eſt in domandis paſſionibus animæ progreſſum feciſſe, atque dum præſentem diem cum præcedentibus conferes, in te mutationem experiri, vt tametſi non omninò exſtincti ſint motus perturbationum; ſint tamen ita repreſſi, vt non te iam regant & ferant, ſed à te regantur & comprimantur. Ad exemplum paralytici illius quem Chriſtus curauit: is namque à lecto infirmus portabatur, ſanus autem lectũ ſuum ipſe portauit. Danda igitur tibi eſſet opera, vt vitijs prauiſque inclinationibus animum tuum liberes (ſunt enim ſordes quibus

Matt. 9.

bus purgandus est animus, si CHRISTVM in animo tuo præsentem habere desideras) earumque loco virtutes compares, charitatem, benignitatem, patientiam, bonitatem: quæ quum sint fructus diuini Spiritus, declarant sua præsentia Spiritum Sanctum adesse sicut ex fructibus arboris intelligitur arbor viuere. *Galat.5.*

Tertium quod est?

Si bona ista terrena contemnas & flocci pendas, diuitias, honores, vanitates, & quidquid mundani homines magni ducunt; & contra delecteris ijs quæ CHRISTVS Dominus amplexus est, & commendauit, contemptum pro Dei amore, castitatem, vitæ asperitatem, alterius voluntati & iudicio parere. Quemadmodum D. Paulus *omnia arbitrabatur vt stercora*, & in tribulationibus suis gaudebat, ac gloriabatur. *Mihi* (inquit) *mundus crucifixus est.* Hoc est, quemadmodum viatores carnificinam aliquam prætergredientes, à cadauere cruci affixo adhuc fœtente nares faciemque auertunt, & ne fœtore lædantur, festinanter transeunt, ita mihi abominationi est mundus, à quo satius multo fuerit cogitationes animumque auertere ne noceat, quam eius voluptatibus recreari. *Philip.3.* *Galat.6.*

Ex-

Expone etiam quartum?

Philip. 1. Quartum est desiderium vitæ cœlestis. Si cum B. Apostolo *cupias dissolui, & esse cum* CHRISTO, non more illorum, qui pusillanimitate & impatientia molestias refugiunt, quas in mundo pati coguntur, sed amore præsentiæ CHRISTI. Ille igitur certa spe æternæ beatitudinis consequendæ teneatur, qui frequenter de futura vita cum voluptate & desiderio cogitat, ad illam anhelat, illuc bona sua præmittit, in illam omnem suam consolationem differt: quemadmodum vinitores faciunt, qui immaturas vuas non carpunt, ne tempore vindemiæ nullas habeant maturas, sed patienter vsque ad Autumum expectãt: Cum quod immaturæ dentibus stuporem inducant, tum quod in vindemia dulce ex ipsis vinum subinde exprimatur. Tu ergo, cuius animum delitiarum cupiditas titillat, ne dubites, frueris delitijs vbi maturuerint: in hoc mundo nocent, parumper itaque exspecta, & in autumnum, hoc est, in futuram vitam, omnem cogitationem tuam conuerte; ibi nihil deerit honoris, pulchritudinis, suauitatis, diuitiarum, voluptatum.

Habes aliud?

Quintum est, tribulationes & molestias in hac vita pro iustitia sustinere, hoc est, crucem Christi ferre: via quæ ad cœlum ducit,

cruce

cruce Christi ab alijs vijs discernitur, in quibus non Christi, sed latronum, furum, aliorumque impiorum hominum sunt patibula. Si igitur rectè viuens nihilque præter Deum quærens affligaris, optimè sperandum tibi est de præmio æterno, & valdè notanda sunt verba Raphaëlis Angeli, quibus in hũc modum Tobiam virum alioquin sanctissimum consolabatur: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.* Quasi dicat: Qui diuitijs commoditatibusque carnis affluunt, & rebus secundis constanter vtuntur, nullisq; premuntur aduersitatibus, illis metuendum est, ne bona illorum opera hoc fœlici rerum omnium successu compensentur, sed qui malis vrgetur, & vexatur in hoc mundo, is gaudeat, quia merces ipsi bonorum operum copiosa in cœlis conseruatur. Tob. 12.

PRA-

PRAXIS.

Hoc est:

EORVM,

QVÆ EX DOCTRINA CHRISTIANA TANQVAM FRVCTVS QVIDAM SALVBERRIMI oriuntur, pia & quotidiana exercitatio.



PSALMO. 110.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum.

PIO CHRISTIANÆQVÆ PLEBIS INSTITVENDÆ STVDIOSO CATECHISTÆ.

QVandoquidem non auditores legis, sed factores iusti sunt apud Deum, deinceps ostenditur quemadmodum se quisq; in fide, spe, & charitate reipsa exercere, & sacramenta Catholico ritu, vtiliterq; suscipere debeat: deinde quomodo (quod iustitia Christiana requirit) audita opere complere, atq; ita totam doctrinæ Christianæ summam, in suam vtilitatem conuerte possit. Quamobrem primò tibi curæ sit, studiose Catechista auditores tuos serio commonefacere, ijsq; data occasione persuadere, vt eorum, quæ summatim in Catechismo explicata sunt, vsum sibi faciant quotidiana exercitatione familiarẽ. Deinde adiectas in tuam, tuorumq; auditorum magnam cõmoditatem passim breues, sed tamen necessarias annotatiunculas, rudi plebeculæ fusius explicare memineris, & ad eas diligenter obseruandas omni conatu inducere.

I.

MODVS PIE A SOMNO CONSVRGENDI.

VT MANE TE GERIS?

EXPERGEFACTVS mox mentem eleuo in Deum, gratias agens, mihi vnam adhuc diem ab eo cõcessam esse qua & pœnitere, & diuinæ suæ maiestati inseruire possim, vti Dauid cum aiebat *Deus Deus meus ad te de luce vigilo*, quare è vestigio me signo sanctæ crucis ✠munio, & inter vestiendum dico.

Psal. 26.

✠ In nomine Domini mei Iesu Christi surgo, qui me precioso sanguine suo redemit, is me ab omni malo corporis & animæ defendat, quodque mihi nunc, & post hanc vitam bonum & salutare est, largiatur, Amen.

His subijcio Symbolum Apostolorum, vel alias orationes, aut quippiam spirituale mecum ipse meditor, dum me vestio & lauo.

Quid

Quid præterea?

TVm suo loco me ad genua prouoluens, dico.

Tibi Pater cœlestis gratias ago per Iesum Christum filium tuum Dominum meum, quod hac nocte me ab omni malo & periculo liberaris. Pater noster. Aue Maria.

✠ Deinde sic oro. Obsecro pijssimè Deus, custodi me hodie, ab omni malo, & ab inimicis meis, vt omnia mea tibi sint accepta & grata. Pater noster. Aue Maria.

Denique adijcio illud. In manus tuas benigniſſime Deus corpus & animam, meaq; omnia commendo, similiter patrem & matrem N. & N. omnesque pro quibus orare teneor. Angelus tuus bonus mecum sit, ne vllam diabolus in me habeat potestatem, Amen. Pater noster. Aue Maria, Credo, decem Dei & quinque Ecclesiæ præcepta. In honorem diuæ virginis salue Regina. Item semel Pater & Aue in honorem Angeli tutelaris.

✠ *Praxis hæc non à Catechistis tantum sed & à confessarijs ac parentibus sæpissimè inculcanda.* ✠

Quid amplius?

PRimum quæro *regnum Dei & iustitiam eius*, spe bona mihi vitæ necessaria non defutura. Itaque quotidie me ad templum confero, sacrum integrum vel ex parte auditurus, si nullum fiat, nihilominus templũ

adeo, nisi aut valetudo, aut graues occupationes me detineant, aut officio & obedientia maiorum prohibeat.

II.

MODVS QVOTIDIE VTILITER audiendi sacrum.

QVonam modo sacrum missæ officium audis?

Imitor sacerdotem sacrificantem, quia Confessione initio sumpto primum orat, ac deinde sacram scripturam recitat, quibus præmissis veluti iam paratus, hostiam offert salutarem, quam etiam ad extremum sumit.

Quonam pacto id facis?

Præparatio. PRimò summa cum animi demissione & pietate vna cum sacerdote confessionem pronuncio generalem, absolutionem accipio, qua leuia peccata delentur, modo id fiat animo ad pietatem excitato. Deinde vsque ad Sanctus lego vel dico pias quasdam orationes, vel rosarium, vel aliquid meditor de passione Christi pro animi affectu, vel denique ad ea, quæ à sacerdote leguntur, aduerto.

Oblatio. Secundò à sanctus vsque ad Agnus Dei, offero vna cum sacerdote Deo patri hoc sacrificium, mecumque aliquid de passione Do-

Domini cogitatione percurro, vt de crucifixione, sanguinis effusione, & morte, quorum inter sacrificandum memoria renouatur. Deinde offero Christum passum & mortuum pro me, ijsque omnibus quibus id ex officio debeo, itaque Deum patrem rogo, vt hanc vnigeniti Filij sui mortem in meorum omnium delictorum remissionem accipere dignetur mihique gratiam largiatur rectè pieque viuendi, in virtute progressum faciendi, meaque omnia ad ipsius nominis gloriam & meam salutem conferendi; similiter & pro parentibus propinquis, præceptoribus, benefactoribus, ijsque omnibus, qui mihi aliqua sanguinis affinitate coniuncti sunt, & nominatim pro ijs, quorum mihi cura commissa est: neque prætereo vita functos, aut patriam aut Catholicam Ecclesiam, quin & pro ijs preces facio, qui me verbo vel opere læserunt, aut male erga me affecti fuerunt aut sunt: Si qua insuper necessitas Reip. aut cuiuspiam priuatæ personæ mihi nota sit, eam Domino commendo: In hoc sacrificio denique omnem solicitudinẽ, curam & necessitatem Deo, qui solus omnes iuuare potest, commendo, per Iesum Christum filium suum mihi præsentem.

Tertiò ab agnus Dei ad vltimam vsque orationem, me ad spiritualem communio- *Cõmunio.*

nem præparo, Deumq; rogo, vt omnia mihi peccata condonet, meique cordis domicilium paret, & ab omni labe purget, illudque varijs virtutum floribus & peristromatibus exornet. Tandem summa cum animi demissione precor, vt per os sacerdotis in animam meam ingrediatur, me visitet, iuuet, peccata tollat, meque imbecillum corroboret, neque vnquam à me discedat. Postremò actis gratijs, & à sacerdote benedictione accepta, ad mea negotia in nomine Domini, me confero.

Gratiarũ actio.

III.

QVARE QVOTIDIE SAcrum audis?

PRimò quidem cum in dies singulos diuinis beneficijs fruamur, æquum est, vt ei quotidie gratias, quam maximas possimus agamus.

2. Deinde quia ex fragilitate humana, quotidie in peccata labimur, & periculo semper expositi sumus mortiferè peccandi, & leuiter quidem commissa sacrificium missæ obliterat, à lethalibus verò seruat: Est enim remedium efficax ad impetrandam Dei gratiam, dolenter præterita peccata confitendi, & deinceps ab ijs abstinendi.

Tertiò, datur gratia rectè viuendi, con-

ferun-

fertur auxilium viuis omnibus atque defunctis. Quia sacrificium hoc efficaciſſima eſt oratio propter Chriſtum inſtar mortui præſentem, ad quæuis tum nobis, tum alijs, impetranda.

Quartò ſolet Dominus, etiam in rebus temporalibus, illi magis fauere, quem videt ante omnia ſpiritualium rerum, & diuini honoris curam gerere.

Quintò in ſacro miſſæ officio non ſolum offertur Deo Patri à ſacerdote, & à præſentibus cum ſacerdote, Chriſti Domini corpus & ſanguis in verum ſacrificium, pro ſua ſalute, ſed quotquot adſunt, digneque ſe parant, ſpiritualiter corpore Domini reficiuntur per os ſacerdotis, tanta enim virtus eſt iſtius ſacrificij vt quicunque præſentes intentionem ſuam, cum ſacerdotis intentione coniungunt, & ſacrificij participes eſſe cupiunt, ſimul cum ſacerdote de ſacrificio manducent, cibiqué ſpiritualis fructum percipiant, non ſecus ac membra corporis, ad quæ cibus per os tranſmittitur: Neq; enim exiſtimandum ſine ſpirituali refectione relinqui eum, qui miſſæ ſacrificio, prout par eſt, adfuerit.

IIII.

DE ROSARIO BEATÆ VIRGINIS.

Quid est rosarium?

EST certus numerus selectissimarum precationum; verbi causa, Symboli Apostolici, Dominicæ orationis, & Angelicæ salutationis, quas vna cum meditatione præcipuorum fidei Catholicæ capitum, ad gloriam Dei, eiusque Matris sanctissimæ & intemeratæ virginis memoriam recitamus.

Cur rosarium vocatur?

QVemadmodum ad serta contexenda, Regum virginumque capitibus imponenda, rosæ pulchræ & odoriferæ aptissimæ sunt; ita Regi gloriæ, & cœli Reginæ flores gratiores, quã hasce, offerre non possumus, quamobrem non temerè hanc orationum seriem, rosarium nuncupamus.

Quisnam modus rosarium legendi?

NOnnulli sex decadibus, & tribus paruis granis rosarium conficiunt, orantque septies orationem Dominicam, salutationé Angelicam verò ter & sexagies, pro numero annorum quibus Dei genitrix, iuxta quorundam opinionem vixit in terris: Alij quorum

rum communior est modus, quinque decadibus hanc virgini coronam expediūt, quod ter repetitum magnum rosarium, seu psalterium dicitur, & minimum semel hebdomadatim recolunt, qui fraternitati rosarij nomina dederunt, ac proinde participes fiunt bonorum omnium quæ in vniuersa fraternitate fiunt, imò & in toto laudatissimo ordine Prædicatorum.

Quomodo recitandum est rosarium cum mysteriorum commemoratione?

POtest id fieri, absque præiudicio modi conuenientioris, vt initio Symbolum fidei, tanquam precationum, operum, ac meritorum omnium nostrorum, radicem ac fundamentum recites: deinde in granis maioribus singulis orationem dominicam, ac in minoribus angelicam salutationem. Interim verò dum hæc ipsa ore profers, mens mysterijs expendendis sit intenta.

V.

MYSTERIA QVINDECIM DEI ac Domini nostri Iesu Christi, piè dum oratur rosarium meditanda.

Quinq; gaudij plena mysteria.

ANnunciatio incarnationis Christi. *Luc* 1.
VIsitatio Elisabeth. *Luc.* 1.

Luc. 2. Natiuitas Christi.
Luc. 2. Oblatio Christi in templo.
Luc. 2. Inuentio pueri Iesu inter doctores.

Quinque mysteria doloris?

Luc. 22. ORatio Christi in horto.
Ioan. 19. Flagellatio.
Matt. 27. Coronatio.
Ioan. 19. Crucis baiulatio.
Matt. 27. Crucifixo.

Quinque mysteria gloriosa?

Marc. 16. REsurrectio Christi.
Act. 1. Ascensio Christi.
Act. 2. Spiritus sancti missio.
Can. 8. Mariæ virginis assumptio.
Can. 4. Eiusdem coronatio.

Notandum primò extrema duo gaudij mysteria alijs duobus commutari posse, vt loco oblationis in templo, circumcisionem, ac sanctissimi nominis Iesu impositionem vice inuentionis pueri Iesu in templo, adue-
Luc. 2. tum regum, gentium videlicet primitiarum,
Matt. 2. in quibus gentiles nos ad veræ lucis agnitionem vocati sumus, & eorum deuotam adorationem contemplemur.

Secundò, non vnumquodque nudum mysterium, sed & quæ præcesserunt, quæque secuta sunt, cõtemplanda. Oratio Christi in horto (verbi gratia) totam complecti-

tur

tur cœnam, hoc est, commestionem agni paschalis, pedum ablutionem, sanctissimi sacramenti institutionem, paternam admonitionem Christi, ac horrendas minas ad terrendum Iudam à concepto scelere, eiusdem Iudæ ingenium pertinax ac cor obstinatum, prolixum sermonem seruatoris nostri ad mœstos discipulos plenum consolationis, tristem in hortum ingressum: quæ omnia ipsam orationem præcesserunt, cum hac verò concurrerunt, vel cõsequuta sunt, quomodo suorum pius Dominus, inter angustias non sit oblitus, sed ipsos visitarit, monuerit, instruxerit: In agonia constitutus toto corpore guttatim sudarit sanguinem, ac nihilominus intrepidus hostibus aduentantibus obuiam iuerit, illos solo verbo in terram prostrauerit, à Iuda osculo proditus summo impetu absque misericordia ac humanitate omni compræhensus, suis etsi paratis, defensionem inhibuerit, capientes se suauiter monendo corripuerit, ac instruxerit; inimico resectam aurem potenter benigneque reddiderit curaritque, & cum se traderet rabidorum potestati, verbo furorem eorum compescuerit, ne dilectis Apostolis, eo tempore haud satis firmatis quicquam mali inferre possent. Eadem meditandi ratio in alijs mysterijs tenenda.

Tertiò, non omnia simul quæ ad mysterium

rium aliquod referuntur perpendenda esse. Hoc siquidem temporis angustia non fert, sed nunc hoc, nunc illud, pro vt Spiritus sanctus, & propria cuiusq; deuotio suggesserit.

Quartò, alienum non esse à fidelium deuotione, ad recolenda quinque præcipua Christi vulnera rosarium decurrere, quod & simplicioribus seruatu facile est.

Postremò vtilissimum fuerit cum rosarium recitaueris hoc vel simili modo offerre.

Modus offerendi rosarium.

✠ Suscipe ô beata virgo Maria has nostras, etsi indeuotas preces, quas in commemoratione incarnationis Christi dilecti filij tui ac Domini nostri, visitationis item tuæ, nativitatis Domini, oblationis ac inuentionis in templo effudimus, easque vnico seruatori ac Domino nostro Iesu Christo offer; excusa pro materna pietate quicquid nos, indigni quidem, sed extorres, & egeni filij tui deliquimus: precibus & meritis tuis, & per hæc ipsa iam commemorata mysteria impetra (hic infere N. & N. pro quibus oras & quod obtinere niteris) per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

In oblatione rosarij dolorosi sic mysteria erunt commemoranda.

✠ Suscipe ô beata, &c. preces, quas in commemoratione orationis tristitię & sanguinei sudo-

sudoris in horto, flagellationis, coronationis, crucis baiulationis, & mortis dilectissimi filij tui Domini nostri Iesu Christi effudimus, easque vnico, &c. vt supra.

In rosario glorioso. Suscipè ô beata, &c. preces, quas in memoria gloriosæ resurrectionis, triumphalis ascensionis, missionis Spiritus S. tuæ quoque ô mater Dei omni gaudio prosequendæ assumptionis atque coronationis effudimus, easque vnico, &c.

VI.

MODVS VTILITER PRECANDI.

Quis mihi modus vtiliter orandi seruandus?

PRimò remouendum quicquid ipsam orationem impedit, vt sunt peccata, & peccandi propositum, cordis inquietudo, ac impetrandi diffidentia, mentis euagatio ac denique in proximi necessitate, cum nos deprecatur leuanda, cordis duricies, surditas, atque animus ad calamitosorum clamores acgemitus inexorabilis. *Esa. 59. Prou. 21. Matth. 7.*

Secundò assumendum quicquid deuotioni, quærendæ augendæque vel necessarium, vel oppidò expediēs fuerit, veluti sunt vita sancta, orationis, ieiunij, ac operum misericordiæ continua exercitatio, negotiorum

rum quantum fieri potest, dum orandum est obliuio, instructionum quæ in hoc libello
1. Thess. 5. præscribuntur diligens obseruatio, frequens
Iud 3. & 9. orationum eiaculatoriarum ante & posto-
Eccl. 35. pus & in opere ipso vsus, opera pœnitentiæ,
Dan 9. vt sunt humi cubationes, cilicia, zonæ cilici-
Esth. 4. næ, disciplinæ, & id genus aliæ corporis casti-
2. Par. 29 gationes, quæ vtilissimæ sunt, sicuti & sanctorum exempla, & sacræ literæ nos docent.

Tertiò, longanimitate opus est, qua patienter perseueremus donec quod secundum Deum petimus, obtineamus.

VII.

MODVS AVDIENDI CVM FRVCTV VERBVM DEI.

In audienda sacra concione quomodo te geris?

1. Thess. 2. PRimò, ad templum veniens non quasi profanum quid auditurus, ita me habeo, sed ac si Deus (quod verè fit) mihi per famulum suum loqueretur.

Matth. 18. Secundò, templum ingressus, ante omnia
Psal. 12. & 17. precor peccatorum remissionem, vt vasculum ad suscipiendum diuini verbi liquorem purgetur, deinde vt mihi aperiantur aures cordis, vt audiam, & oculi mentis, vt videam, mihique accommodem ea quæ ibi dicuntur. Ter-

Tertiò, firmo proposito statuo perficere, ea, quæcunque mihi ea concione dicta intellexero. *Psal. 118.*

Quartò, animo collecto, atque præsenti concionatorem audio, non vt sua, sed Dei verba promentem. *Galat. 4.*

Quintò, ne si statim templo egrediar, meque ad fabulas audita concione conuertam, effluat quicquid instillatum fuerat; in eodē loco nonnihil in oratione subsisto, & auditi verbi præcipua cogito, ea maximè, quæ mihi conueniunt, repeto, modumque mecum exquiro ea perficiendi. *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum sed factores legis iustificabuntur.* *Matt. 13.* *Rom. 1.* *Matth. 7.* *Iac. 1.*

VIII.

DE CONTRITIONE PRIMA POENITENTIÆ PARTE.

Quomodo de peccatis meis dignam agam pœnitentiam?

RECtè pœnitere non vtile modo, sed & pernecessarium est, ac proinde non eōfestim, vbi in mentem venerit confessio, sacerdotem adeas, sed conscientiam tuam debita prius diligentia perscruteris; quam ad rem quære tibi vel domi, vel in Ecclesia locum huic negotio oportunum, in eoque genibus flexis Deum vt tua peccata agnoscas, precare, in hunc vel similem modum. *Luc. 13.*

Ora-

Oratio.

✠ DOmine Iesu Christe vnica salus & libertas mea, id abs te tota mente precor humillimè, vt cor meum gratia Spiritus Sancti collustrare digneris, quo perfectè cognoscã, penitusq; conuellam & extirpem, quicquid à me commissum vel omissum est, quod tuæ diuinæ maiestatis oculis displicet.

Facta precatione, memoria deinde repete, quicquid ab vltima ritè legitimeque peracta confessione, aut in decem decalogi, aut in Ecclesiæ quinque præcepta deliquisti, quæ in re sequenti tabula iuuari poteris.

I X.

TABVLA QVA SVB VNVM ASPECTUM subijciuntur ea peccata, quæ ferme vulgatiosa consuetudine in decalogum committi solent: est autem quasi speculi loco, in quod quisquis intuetur, seipsum noscere, de peccatis dolorem concipere, confessionem cum spe fructus instituere, vitamq; & mores in melius referre condiscit?

Peccata contra primum præceptum.

Contra fidem?

1. APostasia seu à fide Catholica, ad Iudaismum, Mahumetismum, Gentilismum defectio.

2. Do-

2. Doctrinæ peregrinæ, hoc est, in Ecclesia Catholica, neque notæ, neque annunciatæ, sed nuper inuentæ, adhærere.
3. De vno aut plur. fidei articulis dubitare.
4. Fidei Catholicæ contradicere, seu verbis eam quouis modo siue seriò, siue iocò oppugnare.
5. Curiosè scrutari, & disputare de articulis fidei, tanquam qui velit ea solum credere, quæ ratione probantur.
6. Hæreticorum ministerio sacramenta suscipere: Hæreticorum conciones audire, eorumque ritibus, ceremonijs ac cultui sese immiscere.
7. Verbo aut signo fidem pernegare.
8. Idololatria cuius illa generis fuerit.
9. Hęreticorum libros siue manu, siue typis descriptos, picturas lege vetitas coemere, diuendere, venum proponere, domi suæ retinere, legere, prælo committere, compingere, quoquo modo ijs, qui talia faciunt cõsilio aut auxilo esse: denique cum possis & ex officio debeas, non inhibere.

Contra spem?

10. DE misericordia Dei nimium præsumere, eaque confidenter abuti, ac temerè atq; audacter peccare quia Deus est misericors, vel præsumere de venia sine vera pœ-

ra pœnitentia, aut de vita æterna sine meritis.

11. Desperare de consequenda beatitudine, vel medijs ad eam necessarijs, videlicet de venia peccatorum, de emendatione vitæ, de virtute consequenda, & exercenda in bonis operibus.

12. Murmurare contra Deum, cum non dat quod petimus, ipsius visitationem, flagella, & correptionem, inuitè & cum tædio sustinere.

13. Pusillo & impatienti esse animo in aduersis.

14. Non fidere Deo cum necessitas aut tribulatio premit & instat.

15. In angustijs, posthabito Deo, spem suam in opibus, hominum fauore, & alijs quibuscunque collocare, siue solatium opemque ab ijs postulare.

16. Cum dæmone quoquo modo siue implicitè, siue explicitè pacisci, vel quod pium est eum inuocare.

17. Superstitiosè signa, aut nomina incognita, benedictiones, herbas, verba vel ignus alia diabolica media adhibere, oculorũ morbos, digitorum inflationes, tubera, febrim, aliaque incommoda hominum aciamentorum depellendi gratia: Item ne gladio, sclopo aut alio quouis armorum genere lædi possit.

18. Di-

18. Diuinatio cuiuſcunque fuerit naturæ.
19. Magia.
20. Ad Magos, Ariolos, diuinatores, Necromanticos adire, de occultis (verbi gratia quis furtum commiſerit) interrogandi conſilium auxiliumque petendi, morbos, amorem aut odium conciliandi, aut cuiuſcunque demum alterius rei cauſa. Qui enim iſta faciunt ſocij ſunt dæmoniorum.

In eodem albo ponendi ſunt illi, qui mulierculas conſulunt, quæ neſcio quo metiendi genere, ex contractione & dilatione velaminis muliebris, morbo affectis, quis ſanctorum ab ijs honorari velit, ſe explorare dicunt. Iſtiuſmodi non temerè de magia paſſim ſuſpectæ habentur, quantumuis ſe conſulentibus, ad pia loca peregrinationes, & certas aliquas oblationes indicant. In quos niſi magiſtratus pro merito animaduertant, timendum ne vt veneficarum ſocij, à Deo tandem aliquando ſeuerè puniantur.

Quid de ſuperſtitioſis quibuſdam mulierculis, & eas conſulentibus, aut non punientibus ſentiendum.

Contra charitatem?

21. VXorem, liberos, parentes, domum, agrum, ſeipſum aut quamcunque; demum aliam creaturam, aut æquè aut pluſquam Deum amare aut timere.
22. Quod bonum ſanctumque; eſt, non ſyncera intentione, ſed ob inanem gloriam, præmium, timorem, aut laudem humanam operari.

23. DEVM odisse.

24. Acedia, siue horror quidam erga DEVM ac diuina, tædium ac tristitia de re spirituali.

25. Contemnere Deum: Quod facit is, qui idcircò aliquid committit, quod à Deo interdictum; aut omittit, quod nouit esse præceptum.

26. Dei donis; vt sunt robur, pulchritudo corporis, diuitiæ, prudentia, artes, &c. quod est crimen ingratitudinis erga Deum.

Huc referuntur ex sex peccatis in Spiritum sanctum, quatuor sequentia?

27. AGnitam veritatem impugnare, id videlicet quę aut vitijs aut hæresi aduersatur.

28. Inuidere fraternę charitati, hoc est, molestari quod ab hominibus honoretur Deus, eiusque maiestati cum religione & pietate seruiatur, quodque in virtute proximus progressum faciat.

29. Obstinato corde esse, quales sunt, qui de industria fugiunt ea quæ à peccando deterrent, cauent sollicitè ne audiant, vel in mentem veniat, quod eorum libidini aduersatur, vt sunt conciones sacræ, nouissimorum memoria, Dei in peccatores iudi-

cia,

cia, denique qui Dei comminationes contemnunt.

30. Finalis impœnitentia.

Peccata omissionis?

13. VAldè negligentem & socordē esse in tradendis, discēdis, intelligendisq; fidei nostræ mysterijs: quæ negligentia infinitorum malorum radix est & origo, cum verò notabilis, est magnum peccatū, & quandoque mortale censendum, vt si quis nesciat necessaria ad salutem, qualia sunt Pater noster, Credo, decem præcepta decalogi, & quinque Ecclesiæ. *Nota malorum originem.*

32. Confessionem fidei omittere, cum aut Dei gloria, aut proximorum ædificatio postulat.

33. Debitum Dei cultum ob formidinem irrisorum, oblocutorum, timorem humanum, aut quamcunque aliam causam, quæ ad excusandum nec sit, nec putetur esse Deum timentis conscientiæ sufficiens, omittere.

34. Statis orandi horis præsertim mane & vesperi, & cum solenne omnibus orandi signum datur, verbi gratia, pulsus ad salutandam virginem matrem, aut omnino nihil, aut negligenter orare.

X.

CONTRA SECVNDVM PRÆCEPTVM.

1. SIue asserendo siue promittendo, quod falsum est, iureiurando confirmare.

2. Id quod falsum esse putas, & si forte verum sit, iuramento asserere.

3. Cum est res dubia, nec debita adhibetur diligentia, vt veritas cognoscatur, & nihilominus super ea re iurare.

4. Interposito iuramento promittere, cum non habes animum id, quod promiseris, præstandi.

5. Quod iurando licitè promisisti, & adimplere teneris, non implere.

Periurium semper peccatum mortale vnico casu excepto.

6. Prædicta periuria omnia semper mortalia sunt, siue iocò illa & rebus leuissimis, siue seriò & grauibus adhibeas: Vnicus solet excipi casus, si videlicet homini, qui minime iurare consueuit, præter intentionem, nec quid dicat aduertenti, post prolatũ aliquod mendacium, iuramentum excidat, si enim consueuit quispiam identidem iurare, nec prauam illam consuetudinem ponere laboret, etiam cum linguæ lapsu, nec aduertens falsum esse quod dicitur, iurando stabiliuerit, à peccato mortali non erit immunis.

In quintò quoque casu, non sine probabilitate quidam opinantur, non implere le-

uiss-

uissimum quid, quod iuramento promissum sit, non esse nisi veniale, alias mortale.

Est verò iurare ad stabiliendam veritatem siue assertionis, siue promissionis, Deum in testem vocare, vt cum dico, per Deum ita est vt dico, vel volo, quod promitto præstare, per animam meam, Deus sit mihi testis, ita sit mihi Deus propitius, vel cum execratione, non sim saluus, deuoueo me diris, peream, &c.

Vt multiplex huius præcepti transgressio faciliùs euitetur, ex re foret populum docere, vulgares quosdam modos loquendi, vt sunt certè, sanè, verè, reuera, profectò, per fidem, in veritate, quod gallis est familiare & similia significationis eiusdem, ita intelligenda, vt sint rei quæ dicitur, fidem, vehementiùs quidem attestantis, sed non Deum testem inuocantis. *Quomodo quidam vulgares loquendi modi sint intelligendi.*

6. Iurare temerè, quod fit cum nulla est iurandi necessitas, vt in rebus leuibus aut iocosis, nec refert credatur nec ne quod dicitur: aut cum res graues quidem sunt, sed etiam non iuratis creditur; vel denique cum inter iurandum conueniens reuerentia non habetur. Peccatum hoc veniale tantum est, cum nec veritas, nec iustitia deest.

7. Iurare quod malum est, facere: aut quòd bonum, omittere, hoc pro ratione boni aut mali vel veniale vel mortale est peccatum.

8. Venerabile Dei aut sanctorum nomen, absque reuerentia temerè proferre, maximè si id frequenter fiat.

9. Blasphemare; id est verbo, vel facto de honore Dei aut sanctorum detrahere. Vt si dicatur Deus esse iniustus, aut ignorare, quæ hic geruntur, &c.

10. Statuas ac imagines Christi aut sanctorum contumeliosè tractare vel exurere. Equidem grauiter à Deo mulctatus legitur Iulianus, auunculus Iuliani Apostatæ qui sedit in vasis sacris, & alius quidam qui ad pellam qua sacrum altare operiebatur mingit. *Niceph. li. 10. ca. 29.*

11. Per Christi vulnera, passionem, & sacramenta, per sanctos omnes communiter, aut per huius vel illius particularis plagam aut gratiam mala imprecari, quod vix sine grauissimo scelere contingit.

In mulieribus ac pueris blasphemiæ non ferendæ. Notẽt parentes.

Animaduertendum, etsi hoc peccatum omnes omnino Christianos dedecet, in mulieribus tamen longè turpissimum esse, & pueris, quos à talibus imprecandi modis parentes compescant, nisi propter conniuentiam à iusto malorum vindice damnari velint.

12. **Non reddere vota, aut non suo tempore.**

CON-

XII.

CONTRA TERTIVM PRÆCEPTVM.

1. Diebus sacris laborare, seu opera seruilia facere, aut alijs ea præcipere.
2. Absque necessitate festis diebus vendere aut emere, aut alia ab Ecclesia prohibita exercere.
3. Non integrum missæ officium audire.
4. Lusibus, conuiuijs, epotandis poculis, ductandis choreis, aut simili quouis exercitio, diem sacrum malè transigere.
5. Absque deuotione sacris officijs & concionibus interesse.
6. Contra decorum & cum scandalo in ædibus sacris obambulare, confabulari, huc illucque circumspectare.
7. Ieiunium, cum præceptum est absque causa iusta soluere, hoc est, plusquam semel in die refici, vel horam ieiunio soluendo præfinitam anteuertere, vel cibis lege vetitis vti.

XIII.

QVID DE QVORVNDAM VESPERTINA COLLATIONE SENTIENDVM.

QVi ad vesperam sibi aut familiæ, quos nec senium, nec debilitas, nec alia cau-

sa legitima, à stata ieiunij lege eximit, frigidos pisces (vt aiunt) apponi curant, actum demum se bellè ieiunasse persuasum habèt, si mappa non totam mensam contegat, & aut nulla, aut non consueta cibi benedictio adhibeatur, fortè etiam manus non lauentur, hi inquam non ieiunant, sed Ecclesiam eiusque salutarem legem ludunt, & rident, veruntamen audiant, & perhorrescant quod scriptum est. *Parata sunt iudicia peccatoribus, & mallei percutientes stultorum corporibus*; neque enim peruetus consuetudo, neque familiarium insolentia, Dominos & Patres familias illorum voluntati acquiescentes excusabit apud Deum.

Res nimirū risu digna si in peccantiū interitu ridere quis posset.

Pro 19. Non habēt Patres familias excusationē.

8. A certis cibis, statutis diebus non abstinere.

9. Tempore præfinito confessionem, aut sacrosanctam Eucharistiæ sumptionem, negligere.

10. Sacrosanctum Domini corpus, aliaque sacramenta indignè, aut ministrare, aut accipere. Hoc inter cæteros faciunt, qui aut non confitentur, aut non rectè; quique sacramentum, quodcunque etiam matrimonij, in mortali peccato, sine contritione sæpenumero suscipiunt.

In his principatum obtinemus (prò dolor) nos sacerdotes, qui cum palam sumus vinolenti, iracundi, percussores, auari, & (quod

(quod penitus intolerabile) fœdissimo concubinatu polluti ac infames; concionari, celebrare, aliaque Ecclesiastica munia obire, nec erubescimus, nec horremus, aut nulla penitus, aut non ea, quæ plebi scandalo publico offensæ testata sit, præmissa pœitentia. Væ superioribus nostris, quibus S. Synodus Tridentina præcepit, ne permittant publicè & notoriè criminosis, aut sancto altari ministrare, aut sacris interesse. *Sess. 22. Decr. de obser. in celebr. missa.*

Porrò quid faciendum sit sacerdoti, qui fortè in peccatum lapsus est, quando non est confessarij copia, & missæ celebrationem differre ob graue scandalum nequit, ex ijs disce, qui casus conscientiæ explicant.

11. A reseruatis sibi casibus absoluere.

12. In excommunicatione ab interdictis non abstinere.

13. Ecclesiam aut Cœmiterium sanguinis aut seminis effusione polluere ac profanare.

14. Vim inferre, lædere, percutere clericum (qui hoc faciunt excommunicantur in bulla cœnæ Domini.

15. Contra immunitatem & libertatem Ecclesiasticam, à clericis exactiones, vectigalia & alia similia petere, ad hæc consilium aut opem conferre.

16. Negligere pro se aut pro suis sacramentum baptismi, confirmationis, aut extremæ vnctionis.

17. Beneficiati, & clerici ordinibus sacris constituti, si omittunt horam, aut horas canonicas, aut voluntariè distrahuntur, peccant mortaliter: Beneficiati insuper tenentur ad perceptorum fructuum aliquam restitutionem.

XIIII.

CONTRA QVARTVM PRÆCEPTVM.

1. PRæceptoribus, Magistris, Dominis, Patribus ac Matribus familias, ac aliis superioribus immorigerum esse.

2. Debitum illis honorem debitamque reuerentiam non deferre.

3. Illos contemnere, obloqui illis, audire libenter cum de illis mala dicuntur

4. Neque fideles, neque gratos nos ijs exhibere, nec cum possumus & ipsi indigeant, pro virili nostra illis subuenire.

5. Illos contristare, prouocare ad iram, obmurmurare, durè ac contumeliosè respondere, maledicere, irridere, diris deuouere. *Qui maledixerit patri vel matri morte moriatur.* Matt. 13.

6. Pro ipsis & benefactoribus cæteris, dum viuunt aut defuncti sunt, Dominum non deprecari.

7. Bonas ipsorum contemnere admonitiones & correptiones, easq; ferre grauiter.

8. Pa-

8. Parentibus, fratribus, ac consanguineis in necessitate constitutis non ferre opem.

Est hæc crudelis immanitas quædam, quæ debitam non effugiet pœnam, sicuti & illa quæ sequuntur.

9. Vxorem, liberos ac familiam male tractare.

10. Non bene præesse domui suæ, nec suæ fidei commissos bene gubernare.

11. Grauissimè hac in re delinquunt parentes, verius dixerim peremptores, qui naturæ ac diuinæ legis, imò & officij sui paternæque sollicitudinis obliti, suis indulgent, vt opificij discendi exercendiuè aut famulandi gratia, eò proficiscantur, vbi fides Catholica ac pietas omnis exulat, & horum loco hæreses ac falsa doctrina obtruduntur exercenturque. Fiunt huiusmodi parentes & curatores pernicioſa sua licentia, non tantum scelerum, in quæ suæ fidei creditos, ruere necesse est, qualia sunt sacrorum iciuniorum, ac feriarum impia ac petulãs profanatio, & nonnunquam hæreses, ipsi participes: verum etiam, quantum in ipsis est, patriæ suæ extremam accersunt perniciem. Quæ enim huiusmodi à reprobis didicerũt, ad suos reuersi vicinos, amicos & familiares sceleratè docent: vtpotè sacramenta nihili ducere, ridere peregrinationes ac precarias

statio-

ſtationes, feſta ac ſtata ieiunia contemnere, Eccleſiæ præcepta, ac iuſſa ſuperiorum, parui facere, hæreſibus primum ac ſuperſtitionibus, & demum huius temporis & æternis futuri ſæculi malis ampliſſimam feneſtram aperire.

11. Per ingratitudinem beneficium acceptum contemnere, non agnoſcere, obliuiſci beneficium aut benefactorem.

12. Non habere animum retribuendi, aut pro beneficijs mala rependere.

13. Demortuorum fraudare extremam voluntatem, aut non tempeſtiuè exequi.

14. Erga egenos immiſericordem eſſe.

XV.

AD euitandam diuinæ maieſtatis indignationem, & quæ eam ſequuntur, æternas pœnas; neceſſe eſt, vt diuites quicquid ex facultatibus ſalua conditione ſtatus perſonæ quam gerunt, ſupereſt, in pauperes diſtribuant, aut in vſus cauſaſque pias, porrò autem cum extrema neceſſitas vrget, non ea tantum, quæ ſaluo perſonæ ſtatu redundare vident, ſed etiam quæ ad ſuam cuique aut ſuorum ſuſtentationem minimè neceſſaria ſunt, ſub eadem interminatione elargiri neceſſum eſt. Sic enim apud B. Ioan legimus *ſi quis habuerit ſubſtantiam huius* mundi *& viderit fratrem ſuum neceſſitatem patientẽ, & clau-*

Diuitibus plus ſatis tenacibus tremenda hæc ſunt, ſed vera nihilominus.

1. Ioan. 3.

ſerit

serit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei est in illo? Et Salamon. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, clamabit & ipse & non exaudietur.* Tritum est illud Ambrosij à Gratiano citatum. *Pasce fame morientem, si non pauisti, occidisti.* Et D. Greg. in pastorali: *Admonendi* (inquit) *sunt, qui nec aliena appetunt, nec sua largiuntur: vt sciant sollicitè, quod ea de qua sumpti sunt, cunctis hominibus, terra communis est, incassum ergo se innocentes putant, qui cõmune Dei munus, sibi priuatum vendicant, qui cum accepta non tribuunt, in proximorũ nece grassantur, quia tot penè quotidiè perimunt, quod morientium pauperum apud se subsidia abscondunt.*

Pro. 21.

Dist. 86.

2. p. admon. 22. *Hæc admonitio nõ solum pueris diligenter inculcãda, sed omnibus cordibus penitus infigenda.*

XVI.

CONTRA QVINTVM PRÆCEPTVM.

1. VEneno, potione, gladio, aut quacunque demum ratione, etiam in matris vtero existentis vitæ hominis, ac incolumitati nocere occidere, aut hæc ipsa conari.

2. Concutere aut malè tractare prægnantes.

3. Vulnerare, percutere, & quoquo modo cædere.

4. Consilio, auxilio, consensu in talibus cooperari.

5. Sectari bellum iniustum.

Cum

Cum quidem belli suscipiendi causæ dubiæ sunt, à principe suo vocatus debet arma suscipere: cum verò manifesta est belli iniquitas, moriẽdum potius, quam etiam proprio principi ad bellum euocanti acquiescendum: qui denique subditus non est principum, qui bella gerunt, nisi constet illi de causæ, cui militat, æquitate, quando militiæ dat nomen, fit homicida peior.

6. Irasci, odisse, inuidere, impatienter agere.

7. Vindictam expetere præter iuris ordinem vel propria authoritate.

8. Sua negligentia committere, vt proles in ignem aut aquam cadant, aut in tenella ætate graue corporis detrimentum accipiant.

Sæpè hoc à Catechista insinuandum.

9. Infantes secum in lecto retinere, hinc fit, vt quandoq; mane inueniantur oppressi nec putandum quia non semper opprimantur, peccato vacare.

10. Malo vitæ exemplo offensionem dare; in patrandis malis, se præbere socium, opem ferre ad peccandum, dare consilium, seducere.

Et huius rei, cum opportunũ, Catechista admoneat

11. Famulas aut liberos sinere in eodem conclaui, vbi dormiunt coniuges, cubitare; quæ turpitudo non modo est pessimi exempli, sed & detestanda quædam barbaries, & intoleranda rusticitas, quam qui non

seriò seduloque cauent, omnem prorsus humanitatem, ac reuerentiam natura nobis insitam, exuisse videntur. Qui porrò possunt, sed nolunt eam præcauere, nec absolutione, nec participatione corporis Christi digni sunt.

prudenter, sit & confessarijs curæ. Augustin. lib. 14. de ciuitate Dei ca. 18.

12. Periculosa ac falsa dogmata proseminare.

13. Irrisionibus, minis, alijsque exquisitis modis impedire seu auocare à ieiunijs, peregrinationibus, confessione & communicatione, Ecclesiarum frequentatione, alijsque sanctis ac salutaribus operibus.

14. Sibi ipsi immoderata victus cultusque ratione, commessationibus, ebrietatibus, alijsque illicitis operationibus, in quibus Venus caput est, vitam abbreuiare.

15. Facere contra conscientiam dictantem id, quod agitur peccatum esse, vel an peccatum sit, dubitantem.

16. Se corporis aut animæ periculis temerè obijcere.

17. Ijs, qui in corpore aut anima periclitantur, non pro virili suppetias ferre.

18. Iniurias nolle ex animo condonare.

19. Peccantem non monere aut non corripere, præcipuè si id tibi ex officio incumbit.

Huc referri potest pauperum interfectrix im-

immisericordia, de qua in fine quarti præcepti, pro instituti breuitate sat multa.

XVII.

CONTRA SEXTVM PRÆCEPTVM.

1. ADulterio, seu alia quauis luxuriæ siue naturalis siue innaturalis specie, se contaminare.

2. In aliquod opus fœdum perpetrandum consentire.

3. Fœdis cogitationibus, delectationis gratia sponte immorari: nam qui tali cogitatione delectatur, etsi scelus nolit perpetrare, peccatum tamen committit mortale eiusdem omnino naturæ, cuius opus ipsum esset: ac perinde in hoc & secundo casu hæc circumstantia in sacra confessione est explicanda.

De morosis delectationibus.

Quomodo confitendæ fœdæ cogitationes.

4. Scurrilibus verbis, cantionibus, historijs, picturis, ornatu, vestitu, gestibus, epistolis, osculis, tactibus impudicitiæ operam dare.

5. Causas impudicitiæ & occasiones non vitare, vt sunt commessationes, compotationes, otia, assidua aut nimia cum diuersi sexus personis familiaritas, & de rebus parum honestis colloquia.

6. Con-

6. Coniugi sine causa legitima pertinaciter debitum negare.

XVIII.

QVandoquidem libidinis flamma complures accendit, & pro circumstantiarũ diuersitate varia passim flagitia committuntur, cum solutis, cum matrimonio iunctis, cum consanguineis & affinibus, sacrilegè etiam cum Deo per vota dicatis personis, naturali modo & contra naturam, secum & cũ alijs, vt integra fiat, & salutaris confessio, omnes conscientiæ suæ latebras quisque penitus scrutetur, & inspectet. Multi proh dolor callido satanæ consilio lusi, & pudore non bono præpediti, in confessione flagitia prædicta dissimulant, ideoque ad Eucharistiam percipiendam indignè accedunt, vnde miseri, dum moriendum est, desperant, porrò nõ confessi damnantur: quorum ignominia velint nolint, coram omnibus hominibus, imò & Angelis Dei, reuelabitur.

Necessaria & populo inculcandæ admonitio.

Aduertendum & illud diligenter, non posse absolui, qui peccatorum occasiones non est paratus euitare. Graue itaque sacrilegium committit, qui Ecclesiasticum aut sæcularem concubinariũ, etiam in paschate absoluit, antequam concubinam domo eijciat, præsertim si peccatum in vulgus manifestum est, aut si violentæ quas vocant suspi-

Notẽt tam cõfessarij, quam confitentes.

Quid cum concubinis.

vijs agendum.

ciones, in multorũ animis residẽt, eos qui simul morantur, impudicè viuere, etiamsi verè conuersi sint, nec velint vnquam peccare: imò verò si ne quidem possint ob ætatem, aut quamuis aliam causam, turpitudini operam dare. Hi inquam nequeunt absolui, antequam domo habitationeque separentur, nec Episcopi aut cuiusuis alterius dispensatio (quæ dissipatio verius esset) reddit securos.

Qui huiusmodi absoluit, & alieni peccati se consortem facit, & rempublicam grauivulnere sauciat.

XIX.

CONTRA SEPTIMVM PRAECEPTVM.

1 RApere, furari.

2. Fraudare in negocio, vendendo vitiosas merces pro bonis, vel rem vnam pro alia, vel pondere non iusto.

3. Mensura iniqua, vel moneta adulterina decipere.

4. Inuenta retinere.

5. Impedire aut auertere lucrum aut beneficium alienum: aut cum damnum imminere proximo vides, vt prouideat non monere.

6. Ma-

6. Mouere suo loco limites.

7. Quam mercede locasti operam, segniter & mala fide præstare.

8. Mercedem operario negare minorem æquo, aut tardius, quam velit ipse, persoluere,

9. Operariorum nomine omnes illos intellige, qui suam tibi locarunt operam, vt sunt agri aut vineæ cultores, pistores, pelliones, sartores & id genus operæ.

Hoc loco aduertant homines copiosi ac honorati, qui stomachantur feruntque molestè, si ad nutum eorum opifices & operarij extemplò præsto non sint, iussaque perficiant: vbi verò solutionis tempus aduenit, & dilata fortè in multos menses operariorum merces numeranda, ecce tibi opus est, aperto capite, & inclinatis genibus iterum ac tertio debitam suis laboribus mercedem miselli poscendo & flagitando extorqueant: quin verò eius loco non raro mala verba, vocesque contumeliosas accipiunt, perinde planè ac si ipsis, ab omnibus gratuitum seruitium pendendum sit. An ob fraudatam, aut dilatam debitæ mercedis solutionem, algeant vxor ac proles, & fame forsitan tabescant, nihil pensi habent. Sed audiant D. Iacobum *agite nunc diuites*, &c. *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones ve-*

ſtras, quæ fraudata eſt à vobis clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.

9. Nolle ſoluere quod debetur, etiamſi fortè is, cui debes non exigat, vel quia nunquam ſciuit te debere, vel oblitus eſt, vel non audet abs te petere.

10. In negociatione, proprij tantum quæſtus habere rationem, nihili ducendo proximi damnum, vel auarè, nimiumque opibus acquirendis intentum eſſe.

11. Accipere, vel retinere quod ab eo accepiſti, cui fas non fuit tibi donare, velutià filijs, miniſtris familias, à religioſis, aut quouis modo iniuſtè occupantibus aut poſſidentibus.

12. Decimas, cenſus, & quidquid aliud quod Eccleſiaſtico vel ſæculari magiſtratui debetur, non integrè perſoluere, peccatum hoc furto grauius eſt.

13. Fundationi & officio, ad quod beneficij accepti ratione obligatus es, non facere ſatis.

14. Quod ex reditibus beneficiorum Eccleſiaſticis perſonis ſupra decentem ſtatum redundat auarè retinere, conſanguineis non indigentibus, aut alijs elargiri, rebus inutilibus, ne dicam vanis, ac inhoneſtis prodigere, & in pias cauſas non expendere.

15. Religionem profeſſum contra votum ſuum proprium quippiam habere.

Pro-

16. Proprietarij, quos vocant, vt, sacrilegio sunt Ananiæ similes, ita vehementer eius exitum pertimescant.

Superiores monasteriorum, qui ad hanc subditorum pernicioſam infidelitatem conniuent, & cum possunt non corrigunt, volentes & videntes in magnum discrimen æternæ damnationis veniunt.

17. Per Simoniam Parochias, Canonicatus, præbendas, dignitates, Altaria, aliaque Ecclesiasticabeneficia muneribus impetrare.

X X.

VT quispiam cooptetur in religionem aut monasterium dare vel accipere precium, communi omnium Doctorum consensione Simonia est: & graue atque detestabile delictum. Porrò qui tali modo & via in aliquam familiam adscribuntur, penè inextricabilibus sese laqueis induunt. At verò cum superiorum arbitrio certus aliquis Monachorum aut Monalium numerus est definitus, qui ex annuo censu monasterij, aut ordinarijs eleemosynis, aut opere manuum ali possint, si post completum numerum, quispiam ad religionem aptus instet vt cooptetur, quorundam Doctorum opinione, absque Simonia, cum ipso, aut eius tutoribus, paciſci possent Superiores monasterij,

tantum vt sustentetur is, qui admitti cupit, non vt monasterium quicquam inde habeat temporalis emolumenti.

Alijs, qui magnis rationum momentis nituntur, videtur, quam diu per mortem numerus non imminuitur, nullam vacare prębendam, nec quemquam recipi posse, quorum tutior est opinio. Postquam verò persona gratis amore Dei, sicuti fieri necesse, recepta est, in dispensatione bonorum, quæ aut iam actu obtinet, aut aliquando obtinient, præ omnibus pauperibus, optimo iure suo poterit benignè facere monasterio, si bonis temporalibus minimè abundet.

19. Parentes verò & consanguinei si idcirco quod religionem sit auspicata, Deoque desponsa & deuota, hæreditatem aut alia bona naturali iure ipsi debita, sibi vsurpare, aut imminuere tentent, grauiter in decimum Dei præceptum delinquunt.

20. Accepto precio aut aliquo quod precio æstimari potest, nominare, eligere, promouere ad beneficia Ecclesiastica.

21. In nominandis ijs, qui ad beneficia Ecclesiastica, munia, gradus & dignates admittendi: in conferendo item aut quomodocunque prouidendo personas accipere, siue ob fauorem, amicitiam aut consanguinitatem aliaque id genus ad rem parum spectantia,

tia, præferre indigniores dignioribus: vel etiam quod grauius est, dignis indignos.

22. Impia hæc atque sacrilega infidelitas Christianam Rempublicam in extremum periculum adduxit. Væ væ dispensatoribus super familiam Domini constitutis in fidelibus. *Vtinam emendationem vel tandem sperare liceat.*

Habet & locum personarum acceptio in distribuendis ciuilibus munijs, honoribus, ac emolumentis, & quibuscunque alijs maioris momenti.

23. Vsuram seu lucrum solius mutui ratione accipere.

24. Hæreditatem vsurariorum nulla facta restitutione, adire.

25. A Iudæis aut alijs manifestis vsurarijs scienter, quæ per vsuram acquisiuerunt emere, aut dono accipere.

26. Propter dilationem solutionis, siue vt vocant credito, pluris iusto precio vendere; vel minoris ob anticipatam solutionem emere.

27. Mutuum dare accepto pignore frugifero, & fructus à summa data non detrahere.

28. Vsuræ occasionem citra necessitatem alteri offerre.

Non peccat qui vrgente penuria vel necessitate mutuum accipit ab eo, qui alioquin *An peccet qui ad v-*

Vsuram accipit.

paratus erat fœnori dare: dum non est qui Dei amore mutuare velit.

25. Pupillorum bona non fideliter colere: eorundem pecuniam aliaque bona mobilia quæ seruari nequeunt in eorum vtilitatem non conuertere.

Officium tutorum.

Nota pupillorum curatores ex officio teneri pecuniam suorum pupillorum si possunt ad lucrum impendere, sed iusto modo & minimè ad vsuram dare.

XXI.

DE VSVRIS SVCCINCTA AC *necessaria instructio?*

QVandoquidem in ea incidimus tempora, quibus multorum refrigescente charitate, abundat iniquitas, per quam execrabilis vsura contra naturæ, Dei & hominum leges in dies singulos magis ac magis inualescit, non sine graui egentium iactura & irrecuperabile animarum strage. Primum quidem eorum, qui pauperum sanguinem, vsuraria prauitate velut sanguisugæ exhauriunt: tum etiam ipsorum hæredum, quibus laquei tenduntur, vnde se non facilè expedient, & denique aliorum multorum qui aut vsuris cooperantur, aut iniusti lucri fiunt participes, ob has, inquam, aliasque causas grauissimas, ne quidem in hac breui institu-

tione

tione prætereundum putamus, quin iuuentuti, alijsque huius doctrinæ lectoribus vel auditoribus, demus occasionem hac de re penitus cogitandi, præsertim quod isthoc Iudaico scelere, nos Christiani nimium viles efficiamur,

Quid sit vsura?

VSura est rem, quæ vsu consumitur mutuare, & ratione mutui precium, aut quod precio æstimari possit, sperare, aut exigere. Illud porrò vsu consumi dicitur quo vti nō possumus, nisi consumamus, nec post vsum habemus, vt sunt pecunia, frumentū, vinum, oleum & id genus alia, quæ post vsum, vtenti non manent.

1. Dico mutuare, nunquam enim vsura est, vbi mutuum non est. Quocirca si quinque florenos annuos emam, numeratis centum, aut iuxta receptam & approbatam consuetudinem, ac nulla lege aut superiorum statuto prohibitam, certam vini, olei ac frumenti pensionem, quia nullum intercedit mutuum, non dicor vsuram exercere, sed legitimum ac licitum contractum, modo adsint & seruentur conditiones naturæ vi & lege scripta requisitæ. *Emere pēsionem non est illicitū.*

Mutuum hic nullum esse, vel ex eo liquet, quod non remanet penes me ius repetendi

sortem, quamdiu venditor pensionem seu censum debitum persoluit. Non desunt tamen viri prudentes, qui existimant principes ingenti beneficio suos subditos sibi deuincturos, Deoque rem præstituros gratissimam, si in futurũ pensionũ fructuariarum emptionem inhibeant, quæ autem iam olim emptæ sunt, ex æquo & bono aut immutent aut moderentur.

Reip interest pensiones frumentarias lege inhibere.

Quarũ rerum vsum precio vẽdere liceat.

2. Dictum est, rem quæ vsu consumitur, vt sunt pecunia, frumentum, vinum, oleum, &c. mutuare; nam vestem, domum, agrum, aut pratum alicui commodare, vel locare licet, pretio pro vsu accepto manent enim hæc vtenti postquam ijs vsus est.

In mutuo, sed non ratione mutui, sperare aut accipere quippiam, non est vsura.

3. Adiectum ratione mutuationis, quia nim mutuat concepta spe mutuatarium ex inita necessitudine seu amicitia, vicissim sibi aliquando gratificaturum, vsuram minimè committit, multo verò minus si mutuans exigat quippiam ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, aliasque legitimas ob causas.

Quod precio non venit etiam ex mutuo sperare licet

Ciuilis obligatio pre

4. Sperare precium aut quod precio æstimari potest est vsurarium: amicitia autem fauor & similia, quæ non possunt pecunia æstimari, licitè ex mutuo sperantur. Cæterum quia ciuilis obligatio precio æstimatur, ideoque si colono dem pecunias mutuo, aut alteri cupiam hac conditione & pa-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cto, vt carnes, pisces, salem, coriũ, pannum, aliaq; etiam legitimo precio apud me emat, aut meo in molendino molat, vinum aut frumentum, si quid velit vendere, mihi, & non alijs vendat, mercede iusta, cum opus fuerit, mihi laboret; aut si quando indiguero mihi vicissim mutuet, vsura est, pactumque ipsum rescindere tenetur.

cioestimabilis.

Notanda sunt hæc.

5. Quod de vsura dictum est, æque de exiguo & magno lucro mutuo accepto intelligendum, est enim vsura omnis, non scripta tantum, diuina & humana, sed etiam naturæ nobis innata lege sic cauta, vt nullo Imperatorum, Regum, rerumpublicarum, aut quorumcunque statuto, consuetudine, aut priuilegio, & moderatione, vel minimum quid ratione mutui liceat exigere. Manifesta siquidem iniustitia est vsum fructum rei sterilis atque infructuosæ, siue paruum siue magnum deposcere, contra illud: Non furaberis, &c.

Nulla lege aut consuetudine licet accipere vsuram etiam quãuis minimam ac moderatam.

Non concupisces rem proximi tui.

Etsi pecunia, inquies, ex se suaque natura sit sterilis, hominis tamen industria fit frugifera. Verum id quidem; sed quo iure tu alienæ siue industriæ, siue laboris fructum tibi vendicas? Qui solus laborem adhibet, & pecuniam, & periculum iacturæ, quæ in pecuniæ vsu non rarò contingit, solus suscipit lucrum, quod prouenit, iure solus habet,

bet, qui aliquam illius portionem sumit, *in-*
Eccl. 34. *fert in sudore panem*, estq; vt scriptura ait *quasi qui occidit proximum suum*, non obstante quic. quid quidam humanarum pariter & diuinarum rerum ignari contra somnient.

XXII.

NOn ignoramus anno 88. quosdam Inrisperitos, inanissimis quibusdam ratiunculis & autoritate duorum prædicantium indoctorum, seductos, Decani & facultatis suæ nomine moderatum genus vsuræ comprobasse, quod quia nouum est, & in Dei Ecclesia inauditum, nouo nomine magnus ille Germanorum Euangelista insigniuit, nimirum Christianam & necessariam vsuram, & ferme dimidiatum misericordiæ vel (quod monstrosius est) semi misericordiæ opus vocando. Sed quid mirum: si cum cæcus cæcũ ducit ambo in foueam incidant? Sic sanè decuit eorum insipientiam manifestam fieri, qui nimis sunt in oculis suis sapientes, vt venditent ac prædicent veriss imam iniquitatem, pro semimisericordiæ operibus, qui integris pietatis, fidei, ac charitatis operibus vim omnem & merendi & iustificandi, contra manifestas scripturas, & traditam Ecclesiæ inuiolabilem doctrinam, detraxerunt. Si porrò progrediantur, videbit mundus vni-

Hæretici & Iudæi

uersus

uersus eos Christiani nominis larua depositā, ex semiiudæis integros Iudæos euasisse. *farinæ eiusdem.*

XXIII.

QVi vsurarium absoluit vsuras nolentem restituere, non solum peccatum mortale facit, sed ipse restitutioni fit obnoxius confessio verò & absolutio nulla sunt. *Non absoluendus vsuras nolēs restituere.*

Tabelliones seu Notarij, qui in publica instrumenta contractus vsurarios referunt, periuri sunt. Cum insuper emptionis aut quouis alio prætextu honesto veluti pallio quopiam occuluerint, rei fiunt restitutionis: Imò in ijs quoque prouincijs ac locis, in quibus publico iudicio vsurarum solutio obtinetur, Notarij qui etiam manifestas vsurarias literas conscripserint, ad restitutionem tenentur. Eadem, quæ tabellionum, est etiā testium ratio, quorum nomina in publicum instrumentum ad contractus firmitatem referuntur. *Notarij in uoluuntur.*

Grauius multo delinquunt Principes & Magistratus, qui vel Iudæis, aut alijs quibuscunque vsuras accipiendi faciunt potestatē, quique cum eorum imploratur officium, non compellunt rependere quod vsuris exactum est: Grauissimè autem, qui leges condunt iniquas, in fauorem vsurarum. Scabini, item Prætor, Iudices & quouis nomine iustitiæ Administri, qui iuxta datas leges iniquas, *Principes socij furum.* *Væ qui condūt leges iniquas.*

quas, vsuras soluendas esse iudicant, veliam solutas iure repetendas negant, præter alias pœnas, restitutioni sunt obnoxij, excommunicationemque incurrunt.

Conniuere ad Iudæorum, Iudaizantiumque Christianorum vsuras, quamdiu fœneratores non nimium exigunt, nec quispiam oppressorum iustitiam implorat, multorum Doctorum iudicio possunt Principes ac Magistratus, ad euitanda grauiora incommoda.

Vsuras exercent nõnunquam pauperes.

Qui detestandum vsuræ peccatum mercatorum tantum, ac aliorum diuitum morbum esse credunt, falluntur: contingit namque interdum etiam tenuioris fortunæ homines, se in salutis discrimen adducere, cum æs exiguum quod habent, vsuraria prauitate proximo concedunt.

Animaduerte in hactenus enarratis casibus, alijsque in quibus iustitiæ leges inuertuntur, non remitti peccatum, nisi restituatur ablatum, aut, quãtum fieri potest, transgressor damnum iniustè ablatum resarciat. Qui hoc præstare nequit, ei præstandi voluntas necessaria est, & sufficit.

XXIIII.

CONTRA 8. PRÆCEPTVM.

1. FAlsum testimonium ferre de proximo, Hic grauissimè peccant, qui in-

NOTA.

docti

doctis & criminosis, vt ad sacros ordines admittantur dant testimonium.

2. In iudicio, vel extra illud, calumniari, famæ claritudinem obscurare, detrahere, seu obloqui. Peccatum hoc non rarò restitutioni est obnoxium.

3. Mentiri; quod semper est peccatum, aliquando etiam mortale.

4. Dicta factaque aliorum sinistrè interpretari.

5. Occultum aliorum peccatum aut defectum iniustè reuelare, propalare, augere.

6. Peccata aliorum exaggerare.

7. Adulari.

8. Susurronem esse, inter amicos inimicitias serere fouere, augere.

9. Conuiciari, exprobrare, irridere.

10. Maledicere, imprecari.

11. Temere iudicare.

12. Suspicari.

XXV.

CONTRA 9 & 10. PRÆCEPTVM.

1. DOmum, agrum, officium, seruum aut ancillam, sponsam aut vxorem proximi sui cum ipsius damno iniuriaue concupiscere, quæsito aliquo iuris prætextu

tibi

sibi acquirere, insatiabili habendi cupiditate flagrare.

2. Illicitis lusibus, vel etiam immoderatis cum proximi detrimento vti.

3. Optare annonæ caritatem, vt carè sua diuendere possit.

4. Per monopolium seu rerum ad victum necessarium coemptionem inducere annonæ caritatem, quando eorum Dei munere satis copiosus est prouentus.

Facinoris huius parricidalis diritas adulterio & homicidio deterior, grauior & scelleratior est.

5. Penuriam rerum necessariarum exoptare, vt negotiatione lucrum amplius faciat.

6. A paupere importuno tempore debitum exigere, vt cum propter intempestiuam debiti exactionem necesse est, quæ habet æquo minori precio diuendere, vel cum ob paupertatem ipse & sui grauissimè angantur, aut corporis animæque periculo obijciuntur.

7. Peccant Iurisperiti, alijque iustitiæ administri, qui compendij causa exoptant lites multas esse, lites indictas absq; fine producunt.

Mille fraudes in hisce concurrere & possunt & solent; de quibus ipsi suas scrutentur conscientias.

8. In-

8. Inuidere proximo honorem, æstimationem, opes, ac fortunam prosperiorem.

Cum in huius præcepti transgressione proximo reipsa nocumentum datum est, restitutio est necessaria. Quod idem in omnibus omnino locum habet, sicuti post septimum præceptum dictum est.

XXVI.

HAec peccatorum series, optime lector, vtcunque sufficere poterit de peccatis confessuris, qui tamen animarum curam habet, etsi eadem, vt interrogatorio in confessione audienda adiuuari possit, pleniorem oportet, habeat singulorum cognitionem ex summula peccatorum Caietani vel armilla aurea Bartholomæi Fumi, alióue simili auctore, qui conscientiæ casus explicat. Qui enim sine his, animarum morbis mederi præsumpserit, temerè agit, nec suo satisfacit officio, sed tam se, quam suos periculo exponit. Quid enim si cæcus cæcum ducat? Nonne ambo cadunt in foueam? Cæterum operæ pretium fuerit, si Catechista vel Parochus hunc peccatorum catalogum prælegat, & explicet eo tempore, quo se ad communionem plebs præparat, quod vt in præcipuis festiuitatibus faciat, inducere expedit, sed suauiter.

XXVII.

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

QVinque præcipua Ecclesiæ præcepta, omnibus fidelibus meritò tenenda, enumerant plerique, sed non eadem omnes; sunt enim non pauci, qui aut omittunt primum de festis celebrandis, aut illud cum secundo, de audienda missa, in vnum contrahunt; & tribus reliquis, quoddam de decimis soluendis adijciunt.

Canisius verò decimas ipsas quo ad substantiam Deo eiusque ministris ac pauperibus naturali ac diuino iure deberi prudenter aduertens, non retulit ipsas inter Ecclesiæ præcepta. Qui enim has aut non soluunt, aut non integrè, quatenus Dei oblationes existunt, contra primum: quatenus Ecclesiæ ministris debentur, contra quartum: ac denique vt pauperum, viduarum, ac pupillorum annona sunt, in septimum decalogi mandatum delinquunt.

Veruntamen nec malè, nec sine fructu, alij in quinq; Ecclesiæ præceptis suum dant decimis locum, quandoquidem non nisi Ecclesiastico iure cautum sit, & si opus fuerit, in quauis Ecclesia statui possit, qui illas reddere teneantur, de quibus item rebus, & quotam partem. Cæ-

Cæterum expedit atque adeò necessarium est, hoc præsertim tempore, hanc doctrinam opportunè & importunè prosequi, non tam vt Ecclesiæ ministris sint prouētus pinguiores sicuti quispiam calumniari posset, quam vt munifica pietate, & pia munificentia, populus Christianus, se Deo suo fidelem præbens, munificam in seipso diuinæ liberalitatis benedictionem experiri mereatur. Sunt & aliæ causæ tum multæ, tum graues, quas prudens Catechistes, vel ex breui, quæ hic subiungitur, tractatione facilè colliget.

Nos autem vt nec numerum præceptorum passim receptum, nec præcepta ipsa immutaremus: ac nihilominus necessariam hanc doctrinam nequaquā negligeremus, ad finem quinti Ecclesiæ præcepti, quasi per appendicem, paucula quædam verba continenter adiecimus, à pueris ipsis & plebe vnà cum præcedentibus, memoriæ mandanda.

XXVIII.

QVOT SVNT PRÆCEPTA ECCLESIÆ?

PRæcipua quinque numerantur:

Primum?

STatutos Ecclesiæ festos dies celebrato.

Secundum.

SAcrum missę officium diebus festis reuerenter audito.

Tertium.

INdicta certis diebus ieiunia & à quibusdam cibis abstinentiam obseruato.

Quartum.

PEccata tua sacerdoti proprio, aut alteri cum eius facultate, singulis annis confitetor.

Quintum.

SAcrosanctam Eucharistiam vt minimum semel in anno, idque circa festum paschæ sumito.

His annumerandum, quicquid sancta mater Ecclesia præscripserit ordinauerit, ad meliorem illius naturalis & diuini iuris obseruationem, quo integra, perfecta, bonaque fide decimarum solutio præstanda decernitur.

Hanc coronidem vna cũ præceptis ipsis ediscẽt pueri etiã lingua vernacula.

16 q. 1.
Extra de decimis
Trident. Sess. 25. c. 12.
Gen. 14. & 28.

XXIX.

DE DECIMIS.

Estnè ergo Ecclesiæ præceptum decimas dare?

LEx naturæ quam Deus hominum pectoribus impressit, quam veteris testamen-

menti pagina renouauit, quam noui instru- *S. Th. 22.*
menti doctrina explicauit confirmauitque *q. 87.*
disertè, iubet, vt eorum, quæ Dei beneficio *Leu. 16.*
iustè & legitimè nobis comparauimus, par- *Deut. 12.*
tem aliquam seponamus, qua primum qui- *Mal. 3.*
dem bonorum omnium largitorem grata *Eccl. 35.*
animi significatione prosequamur & agnos- *Ezech. 20.*
camus, tum verò vt cultus diuinus perpetuò *Luc. 10.*
vigeat, Ecclesiæ ministri sustentẽtur, & tem- *1. Tim. 5.*
pla ipsa sarcta tecta seruentur, atque adeò *Matth. 5.*
viduæ, pupilli, alijque egeni suscipiantur, id- *1. Cor. 9.*
que ad gloriam & laudem Dei maiorem, to- *Prosper. li.*
tiusque reipub. salutem. Quis porrò decimas *2. de vita*
dare, quibus de bonis, aut quantum debeat, *contempl.*
iudicium Ecclesiæ est. Dicam verbo. Deci- *cap. 16.*
mas bona fide soluere cum natura ipsa, tum
auctor naturæ Deus seriò mandat. Quis ve-
rò dare debeat, quando, quantum, ac cæte-
ras circumstantias, à Deo accepta potestate
Ecclesia determinat, cui omnino paren-
dum est.

Nunquid peccat, qui non pendet decimas?

QVi decimas debitas vel omninò non soluunt, vel tantum ex parte, aut ex deterioribus, & vt semel dicam, parum fideliter, ius omne, naturale, diuinum & humanum pariter violant: magnum ingrati erga Deum animi notam incurrunt: Dei bene-

dicti cultum ac religionem, quantum in se est, tollunt, vel vt leuissimum dicam, imminuunt: quæ Hospitalibus, Monasterijs, Ecclesijs, alijsque pijs locis, ipsisque pauperibus ac Deo oblata, deuota, & consecrata, pernefariam impietatem atque execrabile sacrilegium sibi vsurpant: Quo fit vt & exitium eos maneat sempiternum (nisi vera pœnitudine aboleatur iniquitas) & non rarò etiam num in hac vita, diuina illos vltione persequente, temporalium bonorum iacturam faciunt quemadmodum illis Deus interminatur: Contra verò, qui se liberales gratosque exhibent, ijs Deus gratiam & bonorum omnium affluentiam, tum hic tum in futurum pollicetur.

Num. 18. *Tob.* 1. *Mal.* 3. 2. *Par.* 31. *S. Aug. Ser.* 219. *de tempore.* *Prosper. lib.* 2. *de vita contempl. ca.* 9. *&* 11. *Synodo Monti. secunda cap.* 5. *Synod. Mogunt. sub Rab. cap.* 10. *Amos.* 4. *Ioan. Magnus li.* 18. *Historiæ Gothor.* 2 *par.* 31.

Cuiusmodi sunt dandæ decimæ?

ABraham credentium pater, itemque eius Iacob Patriarcha in lege naturæ, quæ optima habuerunt, in decimas dederunt. Qua in re à D. Paulo, nobis (B. Chrysostomo interprete) ceu egregium quoddam exemplum ad imitationem proponitur. Idem quoque faciendum Israëlitico populo in lege Mosaica præceptum est. Nobis autem Dei Ecclesiæque fidelibus, bona fide persoluenda submini strandaque sunt omnia, quæ pro locorum ac temporum rerietate, exigit Ecclesia, iuxta piam laudabi-

Gen. 14. *Gen.* 28. *Heb.* 7. *Hom.* 35. *in Gen.*

lem-

lemque consuetudinem iam pridem introductam & seruatam: Et præterea si quæ alia in posterum certis iustisque de causis, etsi antea non essent consueta, ipsa Ecclesia exigenda statueret.

XXX.

DE PECCATORVM CIRCVMstantijs ad confessionem rectè faciendam necessarijs.

Suntnè peccatorum circumstantiæ in confessione necessariò detegendæ?

VTique. Quando vel in infinitum augent peccatum, vt cum id quod natura sua veniale tantum est, ob circumstantiam fit mortale: aut in aliam speciem peccati transmutat: aut denique opus ex se bonum ex adiuncta circumstantia peccati rationem subit. *Vide Catech. Tridentin. c. 4. in sacra. pœnit. de confessione.*

Numerus peccatorum, quantum fieri potest, indicandus: quod si certus iniri non possit, consuetudo & frequentia peccandi, tempus item quamdiu in peccato perseueratum, omnino manifestanda sunt. *Quod peccatorum numerus in confessione explicandus sit.*

XXXI.

QVID FACTA DISCVSSIONE mihi agendum?

Hæc media diligenter comparet ex c. de pœnitentia in Catecheſibus Treu.

EXcitanda contritio, quæ niſi acceſſerit, vana erit confeſſio. Dolor itaque quod in Deum ac ſeruatorem adeò ingratum ac infidelem te exhibueris, medijs ac rationibus à confeſſarijs aut Catechiſta præſcriptis, comparandus eſt. Sequenti autem precandi formula licebit vti.

✠ Omnipotens, ac benigniſſimè Domine Ieſu Chriſte, te ex intimo corde deprecor, conuerte ad me miſerum & indignum peccatorem oculos miſericordiæ tuæ, quibus diſcipulum tuum Petrum in pontificis atrio te negantem, & Mariam Magdalenam in conuiuio lachrimantem, & Latronem in cruce confitentem aſpexiſti, ac concede, vt cum Petro peccata mea deflere, cum Magdalena te toto corde diligere, & cum Latrone in æternum te videre merear, Amen.

XXXII.

DE CONFESSIONE.

Secunda pœnitentiæ parte.

Quid eſt confeßio?

HVmilis ſuiipſius coram ſacerdote abſoluendi poteſtatem habente accuſatio,

tio, integra peccatorum omnium, quæ post diligentem conscientiæ discussionem memoriæ occurrunt, enumeratione absoluta, pœnitens enim libens seipsum manifestare, suamque conscientiam cum debita animi submissione præsbyteri iudicio submittere omnino debet.

Modum legitimè confitendi me quæso edoce.

POstquam vti par est conscientiæ tuæ sinus excusseris, tuamque iniquitatem in Dei conspectu deplanxeris, sacerdotem adi, flecte vtrumque genu, consigna te signo S. crucis, dicendo: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; Pete benedictionem, Benedic, inquiens, Pater: vel Benedicite. Data Benedictione confessionem sic auspicabere.

Confiteor Deo omnipotenti, B. Mariæ semper virgini, B. Michaeli Archangelo, B. Ioanni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro & Paulo & omnibus sanctis, & tibi Pater quia peccaui nimis cogitatione, verbo & opere mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa.

Hoc loco indicato, quo die postremo sis confessus, an eo tempore decreueris firmiter, ab omni peccato mortali, & occasionibus abstinere, an nullum, siue data opera, si- 1. 2.

3. ue supina in te discutiendo negligentia, pec-
catum in illa confessione celaueris vel subti-
4. cueris, & denique an iniunctam pœnitenti-
am, vel quiduis aliud, quod confessarius tan-
quam obseruatu necessarium indixerit, im-
pleueris, qualia possent esse, restitutio, con-
donatio iniuriarum, euitatio occasionum
peccandi.

Et hasce ex Cateches. Trevir de promet.

His dictis enarra peccata tua. Sit autem confessio integra præmeditata, humilis, diligens, vera, accusatoria, propria, nuda, verecunda, contrita, & spe plena, quas bonę confessionis conditiones Catechista optimè cognitas habeat, & auditoribus identidem magna cum diligentia explicet.

Enumeratis peccatis sic concludeconfessionem.

Ideò precor B. Mariam semper virginem, B. Michaelem Archangelum, B. Ioannem Baptistã, sanctos Apostolos Petrum & Paulum, omnes sanctos & te Pater orare pro me ad Dominum Deum nostrum, &c. Peto insuper humiliter vt Christi vice me absoluas, ac pœnitentiam salutarem iniungas.

GERMANI HAC FORMVLA VTENTVR.

IM namen deß Vatters / ✠ deß ✠ Sohns / vnd deß heiligen ✠ Geists. Hier

Herr gebt mir den Segen. Nach empfangenem Segen sprech.

ICh armer Sünder (Weibsbilde sprechen/ Ich arme Sünderin) bekenne GOtt dem Allmächtigen / Mariæ seiner Hochwirdigen Mutter/allen lieben Heiligen/ vnd euch Priester Gin ottes statt/ daß ich offt vnd viel gesündiget hab/mit Gedancken/Worten/Wercken/ vnd vnderlassung vieler guter Werck.

Solche vnnd alle meine Sünde seyndt mir leydt von Hertzen: Bitte darumb die heilige Junafraw Mariam / alle liebe Gottes Heiligen / sie wöllen Gott für mich bitten. Begere auch von euch Priester an Gottes statt/ jr wöllet mich von allen meinen Sünden absoluieren vnd ledig sprechen/vnd mir ein heylsame Buß aufflegen.

IN OPPIDIS ET LOCIS DIOECESIS TREVIRENSIS, quibus gallicum idioma vernaculum est, sic dicendum.

AV nom du Pere, ✠ & du Filz, ✠ & du Sainct Esprit, ✠ Sire donnè moy la benediction. Ce fait dis la Confession generale.

Ie pauure pecheur confesse à Dieu tout puissant, & à la benoiste vierge MARIE, & à tous les Saints, & à vous Sire (lieu-tenant de Dieu)

Dieus) que i'ay beaucoup & ſouuent peché par faits, parolles & penſées; & par omiſſion de pluſieurs bonnes œuures.

Puis dis à ton Confeſſeur, depuis quel temps tu ne te confeſſas; ſi tu eus propos & volonté de t'amender; ſi tu n'oublias rien à ton eſcient; ſi tu feis la pœnitence ou aultre choſe neceſſaire, que de feuſt impoſée, comme ſeroit, reſtituer, pardonner & fuir les occaſions & dangers de pecher. finalement dis & confeſſe tous tes pechez pourpenſez & cogneus auec toute humilité, diligence & verité ſans accuſer autruy, ou excuſer toymeſme, auec ſimpleſſe, vergongne, repentance & eſpoir; puis conclus ainſy.

De tout cecy & autres miennes fautes, Demande pour ce la' la S. Vierge Marie, tous les Saincts de dieu, qui prion pour moy. Et priè à vous, ſire à la place de dieu quæ vous m'abſolues de tous mes peches & me' bailles, vne ſalutaire penitence.

XXXIII.

AD PASTOREM SEV CATECHISTAM.

NOta qui habes curam animarum, ſuperiori ſæculo pio conſilio in confeſſione generali commemorata fuiſſe, duodecim fidei articulos, decem præcepta, nouem peccata

cata aliena, octo beatitudines, septem misericordiæ opera, &c. Tùm vt simplices assidua horum inculcatione ediscerent Catechismum, tùm vt haberent, in quo se examinarent, & ad confessionem rectè institudam formarentur. At experientia multorum annorum iampridem docuit, neutrum horum hac ratione effectum: nam nec hac via doctrinæ Christianæ capita intelligunt, & falluntur perniciosè, arbitrantes se plenissimè confessos, cùm omnium se reos dixerint in longissima illa enarratione, vt in se ipsos examinando ingrediantur, ac sigillatim confiteantur ipsis propria peccata, ægrè adducuntur, quando persuasum habent, confiteri aliud nihil esse, quam verba illa concepta seu formulam ad aurem Sacerdotis recitare. Qui illis addunt orationem Dominicam, salutationem Angelicam, & decem præcepta, illi demum consumati sunt. Fit hoc magna temporis iactura, & miseranda animarum strage. Vtinam non fuerint aut sint, qui Pastores nominantur, sunt autem proditores, qui hoc pœnitentiæ simulachro contenti, his auditis, ad absolutionem se accingunt. Vt verò tanto malo obuiam eatur, doceant quibus id incumbit, ex præscripto huius libelli, & modo à Reuerendissimo Archiepiscopo præscripto Catechismum diligenter, vt intelligant in quibus

Meminerint & obseruent

Concionatores & confessarij omnes diligenter quo in loco sint audiendæ confessiones iuxta Vercellensem in refor. Ecclesiast.

quibus se examinent simplices, confessionem verò ijs tantùm verbis, quæ hic asserta sunt, publice post concionem & priuatim doceant, & in confessione ne alia addant confessuri, curent.

Cum Ecclesia proprius sit sacramenti administrandi locus, in priuatis certè ædibus, nisi ob ægritudinem audire confessiones minimè decet. Fœminas alio, quam in Ecclesia, & quidem aperto fidelium omnium loco, si crimini affine non est profecto nec periculo, nec criminis suspicione vacat. Debemus autem prouidere bona, non solum coram Deo, sed & coram hominibus.

XXXIIII.

QVANDO CONFESSIO EST INANIS & necessariò repetenda?

PRimum si confitens, nec de peccatis dolet, nec firmum habet omnia & singula mortalia, eorumq; occasiones vitandi propositum.

Secundò cum de industria celat peccatū quodcunque mortale, aut quod mortale esse putabat, aut, an esset, dubitabat.

Tertiò cum penes confessarium nulla fuit absoluendi potestas. Sunt etiam alij casus sed relinquendi Doctoribus.

DE

XXXV.

DE SATISFACTIONE TERTIA pœnitentiæ parte.

Quid absoluta confessione restat mihi agendum?

NE confestim ad fabulas te conuertas, sed in genua prouolutus, pro remissione iam obtenta gratias age, ac firmiter propone te peccata peccatorumque occasiones, pro virili vitaturum, tibique dictum putes, *ecce sanus factus es, iam noli peccare ne deterius aliquid tibi contingat.* 1. Io. 5.

Quid monuerit præceperitue confessarius recole; præsertim, vt ieinnijs, orationibus, & alijs pietatis operibus diuina auxiliante gratia, aduersus carnem, mundum, & satanam depugnandum, præcipuè si quam publicè aut priuatim peragendam pœnitentiam iniunxit, aut restitutionem præscripsit, aut fugam occasionum indixit, memoria repetendum est.

Quod ad publicam pœnitentiam, non tamen Solennem attinet, quam potest, & aliquando debet Parochus, siue quiuis Confessarius imponere: videat & obseruet, quod ex saluberrimo Synodi *a* Tridentinæ decreto, in Catechismum *b* Romanum translatum est.

Ioan. Franciscus Bonhomius in refor. Eccles. ca de pœnitētia.

a Sess 24. cap. 8.

b Sub finem de pœnit.

NVN-

XXXVI.

NVNQVID SATIS DIGNOS POEnitentiæ fructus facio, si quod in satisfactionem confessarius iniunxerit diligenter præstitero?

MInimè verò: accidit enim non rarò, vt pro multis eisque grauibus peccatis leuiorem satisfactionem imponat sacerdos; siue id ignorantia fiat nesciens pro morbi magnitudine medicinam temperare: siue timore, ne dignam scelerum pœnam delicatus pœnitens sit recusaturus. Quocirca salutis suæ flagrantiores & dignas imponi à confessario sibi flagitant, & quantum fert ipsorum fragilitas, etiam non iniunctas pœnas vltrò assumunt, & in illis se vsque exercitant.

Enumera aliquot pœnitentiæ exercitia quibus dem operam, si ad id aliquando Spiritus impulerit.

1. FEria sexta hebdomatim à cœna abstinere.
2. Carnem suam verberibus disciplina (vt vocant) incussis affligere.
3. Cilicinam vestem aut id genus cingula gestare.

4. Cul-

4. Culcitra ac mollioribus ſtratis remotis cubitare.

5. Extenſis brachijs, aut humi proſtratum, precari.

6. Sanctorum memorias & ſepulchra deuotè viſitare.

7. Sacris tum officijs, tum concionibus & Catechiſticę inſtitutioni audiendæ aſſiduè operam dare.

8. Dauidis pœnitentis exemplo media nocte ad laudandum Deum, vel plangendum peccata conſurgere.

9. Ad peccatorum conuerſionem ope aut conſilio ſtudiosè adlaborare.

10. Captare vndeque occaſionem miſericordiæ opera, tum ſpiritualia, tum corporalia pro virili exercendi, vt inuiſcendi infirmos, mœſtos conſolandi, &c.

11. Ex intimo cordis affectu pro peccatorum hæreticorum úe conuerſione frequenter orare.

12. Orare, eleemoſynas largiri, offerre pro fidelibns defunctis.

13. Omnium præſtantiſſima ſatisfactionis opera, praxeis huius libelli, & illorum ſimiles iugiter & abſque interruptione vlla diligenter perficere, vt ſunt modus orandi mane, & veſpere examinandi conſcientiam, verbum Dei cum fructu audiendi, confitendi, communicandi, &c.

XXXVII.

GENERALIA QVÆDAM EXTIRpandorum vitiorum remedia.

1. FRequens cum fiducia oratio.
2. Frequens confessio, & Eucharistiæ sumptio.
3. Fugere improborum, & sectari bonorum societatem.
4. Sacræ scripturæ & piorum librorum lectio.
5. Sacram concionem, ac Catechisticum institutionem minimè negligere.
6. Continuo Christi passionem meditari.
7. Considerare præsentiam diuinæ maiestatis & angelorum.
8. Considerare vitam sanctorum.
9. Considerare quam Deus peccatum oderit ex pœnis quibus peccatores attriuisse legitur.
10. Memorari nouissima.

XXXVIII.

CONTRA EXITIALEM ET TERrandam blasphemandi, maledicendi, & iurandi consuetudinem remedia.

1. *Hæc scitu sunt per necessaria.*

NOn ferret æquo animo vir grauis, si ad quasuis nugas, in testem vocaretur. Hac enim in re meritò iudicaret sui honoris non haberi rationem. Quanto æquius indigna-

dignatur Dominus Deus ob insignem, quę ipsi irrogatur iniuriam, quando rem quamlibet, licet nullius momenti sancti, terribilis & adorandi nominis sui testificatione videt comprobari? Et multo vehementius, quando viuifica eius vulnera, & sacramenta, instrumenta nimirum salutis nostræ, blasphemātes, in interitus ac perditionis proximorum media peruertimus: & cū facultas vindicandi non suppetit, Deum inuocamus, qui immittendo pestilentiam, aliasúe clades, proximos exterminet, & quod horrendum dictu, quod irati iniustè petimus, ipse beluinæ immanitatis nostræ sit veluti minister & executor.

In iurandi consuetudine præsens est periurij periculum: contingit enim non rarò iuramento promittere, cuius postea pœnitet. Qui blasphemant semper peccatum mortale committunt, nisi fortè præter intentionem ac per inconsiderationem excidat blasphemia, sæpissimè item qui alijs imprecantur: sicut scriptum est, *neque ebriosi, neque maledici regnum Dei possidebunt.* 1. Cor. 6. 2.

Qui assuescunt iuramentis vulgo mendaces habentur, adeò vt ne iuratis quidem credatur: qui identidem blasphemant & maledicunt, hoc reportant lucri, vt veluti insanientium eorum iræ contemnantur: familiam, & omnes quibuscum agunt scandali- 3. *Chrysost. Hom. 7. ad pop. Antioch.*

dalizent; sitq; intolerabilius eis futurum, si suspendatur in collo eorum mola asinaria & demergantur in profundum maris.

4. Blasphemis, periuris & maledicis grauissima quæque interminatur Deus. Magistratibus vt puniat præcepit, sicut & ipse frequenter de illis seueriſſimas pœnas exegit. Hac de re scripturæ, & historiæ multa commemorant.

Leu 24. D. Greg. lib. 4. Dial. ca. 18. Niceph. li. 5. ca 9.

5. Vis prauam consuetudinem meliori commutare. Audi D. Chrysost. consilium. Quoties in horum aliquot incideris, non tibi ignoscas: Exige pœnam certam, vtpotè eleemosynam, preculas aliquot, ieiunium, rei alioquin charæ aut iucundæ quamuis licitæ subtractionem, humiliationem, aut simile quid. Eadem erit ratio tibi, vxores, liberos, aut familiam ab impia consuetudine abducendi.

Hom. 5. ad Antioch.

6. Postremò meminisse expedit, eum qui annis aliquot mortalibus assuescit peccatis, nec vnquam seriò vitam meliorem meditatur, ne in paschate quidem absoluendum esse, nisi prius per hebdomadas ac menses aliquot, suæ emendationis spem probabilem dederit. Ita quidam grauissimi Doctores cum doctissimo Petro a Soto censuerunt: In his numeratur Reuerend. D. Ioan. Franciscus. Bonhomius Epis. Vercellensis S. Apost. nuncius cuius verba, ob summam viri auctori-

Inst. Sacerd. De peccatorũ remedijs. Lect. 5.

ctoritatem hic asscribere non grauabor. Cõcubinarijs (inquit) atque etiam qui pessimum blasphemandi vsum plures annos retinuerunt, atq; emendare se nunquam studuerunt, ne vllo pacto absolutionẽ impertiatur (confessarius) etiam si illi iureiurando obstringere velint, se nunquam eiusmodi scelera amplius admissuros: sed ad aliquot dies, atque adeò menses pro vt morbi gratitas exigere videbitur, absolutionem differat. Hucusque Vercellarum Episcopus.

Hæc Pastores, Concionatores ac Catechistæ, cum alias, tum præcipuè in prima quadragesimæ Dominica plebi, diligenter declarare operæ precium fuerit. *In refor. Ecclesiast. c. de pœnit.*

XXXIX.

DE SS. EVCHARISTIA.

Est nè diligenti opus præparatione communicaturo corpori & sanguini Domini nostri Iesu Christi.

EST vtique ex hoc enim vberrimo omnium gratiarum ac diuinorum charismatum fonte, tantum quisque hauriet, quantum diuino munere, & suo studio paratus, capere poterit.

Qui sunt huius sacramenti fructus?

VArij illi sunt & pretiosi; Est enim panis 1.

ille superſubſtantialis ac cœleſtis, qui nos in hac peregrinatione noſtra, ac deſerto ad patriam contendentes, nutrit, reficit, recreat atque omni ſpirituali benedictione ſic confirmat atque confortat, vt mala quæuis fugere, ac omnis generis verè bona conſequi poſſimus. *In hoc* namque *ſacro conuiuio*, vt habet hymnus Eccleſiaſticus, *Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.*

2. Adde quod ſynaxis ſit & communio qua fideles, tanquam eiuſdem corporis membra, inter ſe iunguntur, vt quicquid in omnibus gratiarum & meritorum exiſtit, commune ſit ſingulis.

3. Deniq; quod omnium eſt optatiſſimum, diuinus hic panis, tam arcto neceſſitudinis vinculo fideles omnes Chriſto capiti ſuo vnit, vt ipſi in illo, & ille in ipſis viuat.

Ioan. 6.

XL.

Quo fine ad menſam Domini adeundum?

1. QVidam hæc myſteria frequentant, vt in eorum cordibus, veluti clauis fixa, iugis perſeueret memoria paſſionis Chriſti, qua nihil Deo gratius, nobiſque vtilius contingit.

2. Alij id agunt, vt gratiam & dona ipſis neceſſaria, per vnum hunc mediatorem & redemptorem hominum obtineant, certiſſimò

mò scientes patrem filio nihil vnquam negaturum.

Capiuntur alij incredibili suauitate, qua in cęlesti hoc conuiuio & dilectissimi sponsi sui præsentia perfundũtur, vt nihil illis possit esse molestius, quam mora aliqua longiori ab hisce epulis arceri. 3.

Plerique haud ignari, plurimos in suis angustijs, periculis, & veluti deploratis malis, sacratissimi huius sacramenti vsu frequentiori solatium & auxiliũ consecutos, & propriæ infirmitatis siue corporis siue animæ conscij, huc veluti ad cœlitus missum salutis medicũ confugiunt, firmitatẽ & malorum depulsionem cum fiducia expectantes. 4.

Nonnullos gratitudinis studiũ accendit; cum enim in singula momenta, maxima à Deo accipiunt beneficia, nec suppetit quo grati animi testificationem commonstrent, cum propheta aiunt, *quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam & nomen Domini inuocabo.* Quod perinde est ac si dicant, Quando pro immensis in me collatis beneficijs, quod patri cœlesti rependam nihil inuenio, offeram ei vnigeniti filij sui acerbissimam passionem, ac merita efficacissima, hoc enim munere nihil in Dei conspectu pretiosius, etiamsi vel mille mundos offerres. 5.

Denique quotiescunque digne hic panis sumitur, auxilium confertur viuis, defunctis autem requies paratur; Siquidem nihil æquè misericordem Dominum ad nos amandos inflectit, atque innocentissimi Filij sui sanguinis oblatio, quem dubium nullũ est, Patrem cœlestem pro nobis interpellare, quoties suæ acerbissimæ passionis memoriam recolimus. Hoc sacramentum arbor est vitæ in medio paradysi plantata, cuius fructibus, qui se satiat, diuina luce collustratur, cœlestem haurit sapientiam, animi constantiam, corporis vigorem, totius hominis cõsolationem, demum quicquid secundum Deum desiderat, fœliciter consequitur.

XLI.

QVOTIES SANCTISSIMVM HOC *sacramentum sumendum censes?*

QVi in Christianis negligentiores sunt, non nisi præcepto Ecclesiæ coacti accedunt, sitque illis quotidianus panis, annuus: non absque graui fidei, pietatis ac religionis iactura, quod & olim D. Augustinus grauiter quæstus est. Quibus verò sua salus maiori est curæ, ij si non quotidie (vt olim primis Ecclesiæ temporibus in more positum fuit) saltem sæpius in anno, magna cum animi alacrita-

Ad Probam. Act 2. De cõsecr. d. 2. ca 1. Peracta

critate, spirituali gaudio, ad cœlestes epulas accedunt, vt quos hactenus fructus commemorauimus inde referant. *Amb. de sacram. li. 5. ca. 4.*

De prouida Dominorum cura erga familiam in hoc negocio.

QVi domibus præsunt, norint sui officij esse, efficere quantum in ipsis est, vt suo tempore filij ac famuli familias confiteantur: Neminem tamen ad communionem cogant, ne in paschate quidem, sed confessarij arbitrio id relinquant. Cum verò alicui subditorum communionem interdicit confessarius, causam ipsi non exquirant, ne se ac suos periculo inuoluant.

Qua ætate pueri sint ad communionem admittendi.

Pueri decem aut plurium annorum, qui per rationis vsum sacramenti capaces esse incipiunt, confestim iuxta huius libelli præscriptum de sacramento instituantur, ne cælesti hoc thesauro, non sine parentum peccato, & suo ipsorum spirituali damno, diutius quam par est, priuentur.

XLII.

QVOMODO ME AD DIGNE sumendum Christi corpus præparabo?

1. *Remotio impedimentorum.*

REmouenda imprimis quæ impediunt, vt sunt peccatum mortale, & excom-

municatio, impedit etiam cibus post mediam noctem potusque quantumuis minima quantitate sumptus. Abesse quoque decet somnolentiam pigritiamq; omnem, ac præsertim corporalē pollutionem, etiamsi absque peccato eueniet.

Notent & coniuges. 1. Cor. 7.

2. *Prompta & efficax Deo seruiendi voluntas fide syncera nitens.*

Secundum est accedere bona cum voluntate inseruiendi Deo, quæ bonis operibus cum oportunum fuerit, confirmetur & cū fide syncera, ad nutriendam animam sanctissimo Christi corpore.

3. *Humilitas.*

Tertiò, curandum, vt magna cum humilitate, ex consideratione tantæ maiestatis ac sanctitatis, ad communionem accedatur.

4. *Deuotio.*

Quartò, quærenda est deuotio per considerationem passionis Christi, & benignitatis in hoc sacramento exhibitæ, ad spem & amorem seipsum excitando : ad quod oratio cum cœlestium rerum meditatione iuncta multum valebit.

In ipsa verò perceptione quid seruandum?

1. *Charitas.*

VT diuini amoris ignem in nobis excitemus ; quod duplici consideratione consequemur : altera passionis Christi, ex cuius vulneribus amor conuenientissimè hauritur : Altera præsentis beneficij, in quo tanta cum dignatione & charitate IESVS CHRISTVS se communicat, tamque familia-

miliariter & intimè nobis coniungitur: nec solum eius maiestas pauperem nostram domum ingreditur, & à nostris vulneribus nõ abhorret, sed sanguinem etiam suum & corpus, in medicamentum donat, ad nos sanandos, præseruandos, confirmandos.

Secundò exercetur spes, considerando, in Christo esse, quicquid confidentiam excitare potest: hinc quidẽ, quoniam potest omne bonum nobis conferre, cum sit omnipotens, & indigentiam nostram perspectam habeat. Cum ergo accedamus ad mare immensum bonorum omnium, quomodo nõ hauriemus aquam gratię abundanter ex eo? Inde verò, quia vult omne bonum nobis impertire, cum sit summè benignus, cum nos diligat plusquam nos ipsi, magisq; nobis largiri sua dona, quam nos recipere, desideret; cumque vbi nostrum defuit, suum nobis impendit meritum. 2. *Spes.*

Tertiò ex intimo corde gratias agere pro tanto beneficio, & charitate, qua nos amplexus est. 3. *Gratiarũ actio.*

Quid percepta communione faciendum?

POst communionem, ad fructum huius sacramenti seruãdum & magnopere augendum confert.

Pri-

1. *Cauere ne quare hospes receptus offendatur.*

Primò, custodia solicita sensuum linguæ & cogitationum, post tantum hospitem domi nostræ exceptum: Etsi accideret quid committi, quod ipsius oculis displiceret, statim cum dolore, ad veniam petendam accedere, & ne à nobis recedat, suppliciter orare.

2. *Omnẽ suscepto hospiti exhibere humanitatem.*

Secundò, exhibere huic hospiti, quicquid obsequij bonorum operationum, ex ipsius amore, poterimus: & quod eisdem deest bona voluntate supplere, illius gloriæ amplificationem cum maxima cupiditate desiderando.

3. *Familiariter conuersari.*

Tertiò, assistere huic summo hospiti domi nostræ suo loco & tempore, per meditationes & orationes deuotas, nobis & proximis nostris omnia necessaria & vtilia petendo, laudando, gratias agendo. Iuuat ad hoc ipsum crebro ad sanctum hoc sacramentum accedere, penitus enim nos in Iesum Christum ingrediemur, & magis ille nos faciet, bonorum suorum participes.

XLIII.

QVÆ PRORSVS INDIGNVM *reddunt hoc sacramento?*

1. *Quando sesta cõmunionis in-*

SCienter in confessione peccatum aliquod mortale vel circumstantiam necessariò explicandam, aut omnino reticuisse, aut tam obscurè & cum rei gestæ extenuatione

tione enarrasse, vt malitiam sacerdos non deprehenderit. *stāt opportunum erit hæc proponere.*

Non quidem de industria, sed supina quadam negligentia, leuiter & superficie tenus, tuæ conscientiæ latebras discussisse, ideoque nec integrè confessum esse. 2.

De peccatis admissis non doluisse, ac in posterum cauere velle firmiter secum non statuisse. 3.

Ignorare symbolum Apostolorum, orationem Dominicam, salutationem angelicam, Decalogum, & Ecclesiæ præcepta, nec ad discendum paratum se offerre. 4.

Habere absque legitima facultate libros hæreticos, qui enim hoc præsumunt excommunicantur, hoc est, à Deo & eius Ecclesia maledicti sunt. 5.

Iniustè parta, vel inuenta Domino suo non restituere, debita contra eius cui debet, voluntatem, cum potes, non soluere, famulis ac operarijs, aut tardè aut nullam, aut non integram mercedem pendere. 6.

Toto anno vulgaribus quidem, sed grauibus peccatis consuescere, & circa pascha consuetudine quadam, & ne videamur non Christiani esse, potius quam Dei amore, & odio iniquitatis, ac vitæ melioris desiderio confiteri, atque in eodem luto hærere per omnem ætatem, nulla vitæ emendatione 7.

vnquam

vnquam consecuta, nec conatu vllo perficiendi, adhibito.

1. In huiusmodi, primi sunt, quibus lubet in dies singulos, aut certè sæpissimè, sacrilego ore Christi vulnera, sacramenta, sanctos & Deum ipsum blasphemijs incessere.

2. Deinde qui ad quodlibet verbum, per Deum, per animam suam aut quouis alio iurandi modo, iurare non perhorrescunt.

3. Præterea quorum cor, velut abominandum sterquilinium, continuis luxuriæ cogitationibus fœdatur: Quibus annumera, qui scurilibus verbis (ô immanes animarum proditores) etiam innocuę ætatis pueros nequaquam reueriti, se mutuo, absque fine, quasi tempus fallentes oblectant, quique aut secum, aut cum alijs impudicè agendo modum nullum faciunt.

4. Præterea qui ebrietatibus, commessationibus, ludis & otio, non absque vxoris vel liberorum mœrore & detrimento, tempus omne transigunt: & si quæ lucrantur, aut per intemperantiam fœdè absumunt, aut stultè ne dicam nequiter, prodigunt.

5. Postremò qui festorum, ieiuniorum, debitæ decimarum oblationis, & si quæ alia Ecclesiæ præcepta sunt, rationem non habent, nec vt suæ curæ commissi habeant, curant.

Hos

Hos & similes, non tam peccata, quam peccatorum status, communione omino indignos reddit, in quibus concubinatus vel principem locum obtinet. Huiusmodi infœlix hominum genus, simul atque confessi fuerint absoluere, præsertim si cum alias confiterentur seriò admoniti non adlaborarunt, vt promissa emendatio vitæ consequeretur, est animas illorum rectà ad perpetuos inferorum cruciatus deducere, aut ad minimum præsentissimo periculo obijcere.

Quid facilis ac temeraria absolutio conferat.

Hi verò, qui nec incuria, nec inueterata malitia peccant, sed humana fragilitate (sæpius licet & grauiter) interdum eundem in scopulum impingunt, non solum patienter, & cum doloris è lapsu fraterno orti significatione ferendi, sed & dirigendi, atque in spem erigendi, viaque eis commonstranda, qua salua naui & mercibus euadant: ostendenda arma, atque adeò manibus illorum porrigenda, quibus infestis piratarum machinationibus obuient, eosque deuincant, in eis frequens sacramentorum vsus, vel præcipuum locum obtinet.

IN-

XLIIII.

INGRVENTE ALIQVA TENTATIONE diabolica quid agendum?

1. CVm praua cogitatio menti incidit, quæ ad peccandum sollicitat, nulla mora interposita S. crucis ✠ te signo communi, & ad Christum vt exemplar vitæ nostræ conuertendum conuerte: considera diligenter quanto studio, doctrina ac vitæ exemplo contrarium eius, ad quod praua suggestio prouocat, edocuerit: quæ item quantaque passus sit, vt te à peccato redimeret.

2. Intuere eundem Christum tibi astantem, & abs te obnixè contendentẽ, ne peccando, quantum in te, doloribus (quos propter te perpessus est plurimos) immani feritate dolores, & vulnera vulneribus, addas, ac mortem iam antea toleratam renoues: teipsum tanto pretio redemptum, ob tantillam siue falsæ ac venenatæ voluptatis iucunditatem, siue exigui citoque perituri lucelli commoditatem, siue vani inanisque honoris fumum perditum eas.

3. Intuere eundem Christum, vt omnium quæ facimus, molimur ac cogitamus inspectorem, testem & iudicem, cuius aspectum non vereri, summæ esset impudentiæ.

4. Esto fide speque firma, optimum fortissimumque adiutorem, tibi non defuturum, qui

qui nemini non succurrit in tentatione constituto, ac in se fidenti, iuxta fidele eius, omniq́ue acceptione digniſſimum verbum, *Innoca me in die tribulationis & exaudiam te*, & alibi *cum ipso sum, in tribulatione eripiam eum, & glorificabo eum*, ac proinde deuote, instanter ac magna cum fiducia tibi orandum memineris. Psal. 49. Psal. 90.

XLV.

QVA INDVSTRIA VTENDVM cum premit aduersitas quacunq́;?

PRimum veluti saluberrimus fructus discenda patientia est. 1.

Secundò, calamitatem qua cum luctatur, Christianus faciat humilitati exercendæ deseruire, sponte sua ac hilari animo, *omne quod appositum sibi fuerit* (sicut ait scriptura) de manu Domini accipiendo, seque grauioribus flagellis nihil dubitet digniſſimum. 2.

Tertiò, ex ipsis quibus vrgetur malis philosophetur, quam sit ipsum peccatum exitiale, ac modis omnibus detestandum, ex quo veluti læthali fonte quicquid siue in terris vspiam, siue apud inferos malorum est, scaturit. 3.

Quartò gratias agat, qui quem recipit filium castigat. 4.

Postremò in fœlicitatis loco reponat patienti atq́; afflicto Christo conformem fieri. 5.

XLVI.

IN CORPORIS INFIRMITATE *quid homo pius præstabit?*

PRimum quidem cum morbum sentit, mentem animumq; firma fide nixum ad Deum conuertat, memorans absq; Dei siue immissione, siue permissione, nec capillum quidem capitis nostri decidere. Habeat illud persuasissimum, Deum in suos paterno esse animo, nolle mortem peccatoris, & omnia tandem, tam prospera quam aduersa, in electorum salutem cessura.

1. In infirmitate itaque Deum tanquam se visitantem & cœlestem medicum, qua vel plagę commissorum peccatorum curentur: vel à committendis pręseruemur, agnoscat: Quocirca antequam medicinam naturalem (quam velut Dei munus insigne non contemnit) adhibeat, post exactam conscientiæ suæ discussionem, magna puritate, humilitate, & Deo placendi desiderio, peccata confiteatur. Et cum fieri potest, animam venerabili corporis Domini sacramento sumpto refocillet & erigat, fretus firma spe pristinæ valetudini diuino munere se restitutum iri, modo id ad Dei gloriam, propriamque salutem conducat.

Innoc. De pœnit. & remiss. ca. Cum infirmitas.

2. Non ferat impatienter, nec murmuret si languor prolixior excruciet. Dolorem namque

namq; impatientia nec aufert, nec lenit: sed exasperat atque auget. Sponte itaque, quod necessariò tolerandum est, sustineat: rectè existimans, nihil mali impune esse, satiusque hic quam in futuro sæculo puniri.

Id etiam secum reputet, infirmitatem quandoque veluti singulare munus filijs à Deo donari, vt probentur ipsi, eorum ue *virtus in infirmitate perficiatur*, & merita cres- Eccl. 2. cant. Sic enim ait Ecclesiasticus. *Sustine sustentiones Dei, coniungere Deo & sustine, vt crescat in nouissimo vita tua. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore sustine, & in humilitate patientiam habe. Quoniam in igne probatur, aurũ & argentum, homines verò acceptabiles in camino humiliationis.* Non desunt in nobis, quæ oculus diuinæ maiestatis offendunt. Hæc humiliationis igne excoquenda: lapides viui sumus ex quibus ciuitas sancta, cælestis Hierusalem, templum Dei viuum construendũ, malleo feriri, quadrari, expoliri nos oportet, sicuti beatissimi viri maiores nostri, Iob, Tobias, Iosephus, Dauid, Apostoli Domini, ipso sacratissima virgo Maria Dei genitrix, ac denique sancti omnes suo vitæ exemplo nobis commonstrauére. Hi enim Christum sequuti per varias tribulationes, de satana, mundo, ac carne propria triumphantes, in vitam ac gloriam æternam ingressi sunt.

XLVII.

QVOMODO IVVANDI QVI IN *mortis sunt periculo?*

1. PRimum quidem, ne, quod absit imparatum mors improuisa ægrum opprimat, minime committendum, vt in quo sit periculo ignoret. Studeant itaque qui eius curam habent, aut eum inuisunt, opportuno tempore, fideliter, ac peramanter, id quod est, indicare, atque eo modo, vt intelligat æger ex charitate fraterna, sollicitudine, ac desiderio salutis id proficisci. Exhortentur itaque vt ad instantem exitum ac certamen forti animo, vt Christi athletam decet, se comparet: sciatque se post obitum ante diuinæ maiestatis tribunal continuo sistendũ. Vbi nemo innocens reperitur qui non sit Christo reconciliatus. Ac proinde (nisi id iam ante præstitum fuerit) admoneant, & quæ peccauit secum despiciat, doleat, confiteatur sincerè ac humiliter, & si expedit aut necessarium de tota vita ac si confessus esset nunquam, tum vt à peccatis omnibus, tum ab alijs quibusuis vinculis absolutus, satanæ tendiculas, qui in fine vitæ grauius tentare solet, facilius eludat.

Si autem confitendi defuerit occasio, aut temporis angustiæ excludant, excitetur in ægro horum desiderium, eique indicetur pro-

propoſitum hæc faciendi, cum deeſt facultas, apud Deum pro ipſo opere reputari; Dei præterea immenſam benignitatem, quę nobis iam efficacia & media & remedia contulit, voluitque paſſim obuia eſſe, inculcent: & contra *horrendum eſſe incidere in manus Dei*, quod fiet ſi in præſenti momento & periculo, ſuam ſalutem negligat.

Hæc hiſque ſimilia vel aſpere vel leniter ægro, habita tum mentis, tum ægri ratione, ſunt proponenda.

Monendus deinde, vbi id res poſtulabit, vt ſuum ita condat teſtamentum, reliquaque vt nouit, optimè diſponat: tanquam ea de re breui Deo rationem redditurus.

Præterea cum proximo, dum adhuc in via eſt, vt monet Chriſtus, in gratiam redeat.

Seria ſit & ea monitio, vt pro facultate in pauperes elargiatur eleemoſynas, vt cum *defecerit, ipſum recipiant in æterna tabernacula*: Inculcetur ei illud Angeli Raphaëlis. *Eleemoſyna à morte liberat & ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit inuenire miſericordiam & vitam æternam.*

Rebus igitur domeſticis ita diſpoſitis, ac percepto pœnitentiæ ſacramento: crebrò monendus, vt ſe totum ad Deum conuertat, eiuſque ſanctiſſimæ voluntati committat; mundi huius, omniumque quæ in ipſo ſunt oblitus, ad nouam regionem, terram

viuentium, hæreditatem cœlestem & vitam illam perennẽ ac beatissimam aspiret, magno & ardenti desiderio Christum seruatorem suum substantialiter in sacramento præsentem, vt peregrinationis suæ viaticum, & arçam seu pignus salutis sumat, hac fidelissima promissione veluti sacra anchora nixus, *Qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Cu-
Io. 6. ret præterea post sumptionem Eucharistiæ, vt sacro oleo inungatur: deuota fide recolet promissiones quibus Dominus sacramentum extremæ vnctionis fidelibus commen-
Iac. 5. datissimum esse voluit. De qua re S. Iacobus apertè scribit.

Porrò cum in hora mortis satanas nihil relinquat intentatum, si fortè animam deglutire possit, tum præsertim ad fidẽ, spem, & charitatem euertẽdam suas machinas adhibet, proinde adhæc ipsa firma inconcussaque conseruanda, monendus, excitandus atq; animandus est infirmus: dicendũ vt fidem velut scutum, *quo omnia diaboli ignita iacula extinguat*, nequaquam sibi sinat eripi: spẽ suam veluti *anchorem salutis* in Christum iaceat: charitate se induat tãquam veste nuptiali, cęlestibus nuptijs iam iam adfuturus.

Pium ac vtile quoque fuerit, ad agonem tendentibus crucem ostendere, imaginem identidẽ Christi crucifixi manibus eius amplectendam porrigere, monereq; vt in virtute

tute meritorum passionis ac mortis Christi, cruce veluti peregrinationis baculo vtatur, nihilque dubitet, se per eam diabolum fugaturum, & gaudentium angelorum societatem inuenturum.

Sed & pia maiorum & laudabili consuetudine, cereus accensus ægro animã agenti datur: quare monendus, ne Christo comite, qui est lux vera, vel mortem, aut inferorum tenebras exhorrescat, ipsum enim *qui sequitur non ambulat in tenebris, sed habebit lumẽ vitæ.* *Cereus dãtur animã agentibus.*

Apud ægrum præterea sit aquæ benedictæ creber vsus contra dæmonis insidias, eaque aspersa, quoad fieri potest, salutarem effusi Christi sanguinis memoriã refricet, cuius profusione & redempti, & dæmonis potestate erepti sumus. Proinde supplex Deo fiat ex animo, vt quemadmodum abeuntes filios Israël ex Ægypto sanguis agni supra limen aspersus, ab interitu seruauit immunes, sic in hoc sui exitus momento: sanguinẽ illũ agni immaculati sibi sentiat esse salutarem. *Aqua benedicta.*

XLVIII.

QVA RATIONE PIE ET CVM fructu dies festi celebrantur?

REspondet D. Bernardus. Tria sunt quæ in festiuitatibus sanctorum vigilanter considerare debemus: auxilium sancti, exemplum eius, confusionem nostram.

Auxilium eius quia qui potens in terra potentior est in cœlis ante faciem Dei sui, si enim dum hic viueret, misertus est peccatoribus, & orauit pro ijs, nunc tanto amplius, quanto verius cognoscit miserias nostras orat pro nobis patrem; quia beata illa patria charitatem eius non imminuit sed augmentauit; neque enim quia impassibilis omnino, ideò & incõpassibilis factus est, sed nunc potius induit sibi viscera misericordiæ, cum ante fontem misericordiæ existit.

Debemus etiam attendere exemplum eius, quia quamdiu in terris visus, & cum hominibus conuersatus est, non declinauit ad dexteram, neque ad sinistram, sed regiam viam tenuit, donec veniret ad illum qui dicit. Ego sum via, veritas & vita, &c.

Sed & diligentiori intuitu confusionem nostram inspiciamus, quia homo ille (nimirum sanctus) similis nobis fuit passibilis, ex eodem luto formatus, quo & nos. Quid ergo est, quod non solum difficile, sed & impossibile credimus vt faciamus opera, quæ fecit, vt sequamur vestigia eius, &c.

3. Beatus item August. sic breuiter & pie. *Lib. 20. cõtra Faustum.* Populus Christianus memorias martyrum religiosa solennitate concelebrat, & ad excitandum imitationem & vt meritis eorum consocietur atque orationibus adiuuetur.

ORA-

XLIX.

ORATIO PRO SCHISMATIS AUERSIONE à Catholica religione.

DOmine Iesu Christe qui fidelis es & pius tui ouilis custos, & nauis Ecclesiæ gubernator; fidelis sponsus tuæ sponsæ, & diligens procurator & cultor tuæ vineæ. Ah Domine quamdiu dormies? Quãdo expergisceris ne funditus pereamus? quam miseranda populi tui dispersio, quam noxium schisma: quanta verbi diuini corruptela? quam horrenda sacramentorum violatio, quanta diuini tui cultus contemptio & propè interitus? quid de his vel dicere vel cogitare possimus? ô misericors Deus nisi te quidem id non nescire, sed nostris peccatis tuam à nobis faciem auersam, ac proinde Satanam accepisse potestatem perditissimas quasque sectas inuehendi, ad multorum æternam salutis iacturam. Domine miserere reliquæ multitudinis, quę sua genua ante Baal, & aureos vitulos nouorum schismatum non curuauit; conserua eam Domine, vt tanquam aurum in fornace purgetur ac probetur. Miserere tuarum ouium, quæ ex ouili tuo abductæ, non intelligunt quam periculosè palentur. Da eis fideles pastores, qui eas, & exemplo, & doctrina sana reducant & seruent. Arce Domine lupos rapaces, toti mundo

palam fac, vt sub pellibus ouium, specie veritatis, verbi Dei, & Euangelij, miserandum in modum plebeculam dispergant, lanient & mactent. Moue corda tuorum Episcoporum & prę sulum & pastorum, vt quod suum munus sit melius aduertant, diligentius attendant sibi, gregiq́ue commisso, quem tuo tibi sanguine peperisti. Animum suggere, vt non se, sed gregem pascant: Principibus verò, & qui Remp. administrant, da vt omnem suam voluntatem in ornãdam domum Domini conferant, seduloq́ue cogitent, quemadmodum pace restituta, hoc tantum malũ ab Ecclesia, in qua vna salus, extirpetur: regnum diaboli dissipetur: tuum regnum, gloria, & honore vbiq; ab omnibus in omnem æternitatem, iam inde ab hac hora augeatur, Amen.

L.

ADMONITIO FACIENDA IN DOminica quinquagesimæ ad populum de non violando ieiunio quadragesimali ipsa die cinerum.

PAulatim apud nonnullos irrepit impia libido sacrum quadragesimæ tempus, & ieiunia in ipso ieiunij capite, hoc est, quarta feria cinerũ, non sine graui pusillorum scandalo, carnium commestione violandi. Faciunt hoc homines leues, & in fide Catholica parum

parum fundati, nihili ducentes Christi & Ecclesiæ sacrilegam irrisionem, & fidei Catholicæ contemptum, quæ ex audaci & temeraria saluberrimorum Ecclesiæ præceptorum transgressione, necessariò sequitur. Idcircò parochus aut Catechista, ad se spectare sciat, ab hac pestilenti & maioribus nostris inuisa temeritate, in ipsa quinquagesima suos auditores deterrere firmis rationibus adductis.

Indicabunt vno eodemque præcepto ad 1.
parasceuen, & primum quadragesimæ diem ieiunandum, fideles astringi.

Petulantiæ non ferendæ & summæ intē- 2.
perantiæ, indicium esse carnium ollas tam citò tantoque ardore desiderare.

Cinere illo die suos aspergit Catholica Ec- 3.
clesia in signum pœnitentiæ. Qui hanc irridēt, & pœnitentiæ loco, carnibus vorandis sese temere dedunt, viderint, ne illis contingat, quod pueris de vrbe egredientibus, & 4. Reg. 2.
prophetam Elizeum irridentibus.

Præterea quis non videt qui tantum sibi 4.
sumpserit licentię à solida pietate tam longè paulatim abduci, vt non solum totam quadragesimam, sed omnia alia Ecclesię præcepta pro minimo ducat, eoque impietatis tandem dilābatur, vt iuxta Dei æquissimum iudicium tanquam ethnicus & publicanus haberi deceat.

Quid

5. Quid mali inquies, si exiguum id reliquiarum, cum gratiarum actione, sumam aut liberis seu familiæ comedendum porrigam ne quid pereat, quod in vsum nostrum creauit Deus? non facio ex contemptu, & occultè quidem ago, ne cui sim offendiculo.

6. Itane frater, ne pereat pusillum quidem donorum Dei, Deum ipsum eiusque perenne regnum prodes? filios ac familiam vt prę-
uaricentur Ecclesiæ mandata in suam ipsorum certissimam perniciem, ipso opere instituis? Nunquid in eius honorem ac obsequium à quibusdam cibis abstinebis, qui sua largitate, & eos, & omnia quę habes, imò & pro te seipsum in acerbissimam mortem donauit?

7. Quid quæso si manduces habes vtilitatis? Nunquid ideò aut opibus locupletior, aut corporis firmitate valentior, aut viribus e-
8. uades constantior? detestabilis omnibus sæculis Iudæ proditoris perseuerat memoria qui vniuersorum Dominum & suum, tri-
9. ginta argenteis vendidit: & nos (ô pudor) eum nihilo vendemus? Impiam huiusmodi ingratitudinem etiam in hoc sæculo fame, peste, ac alijs calamitatibus seueriſſimè diuina vindicta persequitur, vt qui à carnibus ad modicum continere nolunt, multo tem-

tempore ne quidem panis tantum habeant, quo famelicum stomachum exatient.

Quo loco impiam illam temeritatem Christianitas iam olim habuerit, non pigebit hoc loco ascribere. *Quisquis absq; ineuitabili necessitate, & euidenti languore, diebus quadragesimæ esum carnium præsumpserit attentare, non solùm reus erit resurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab eiusdem diei communione, & hoc illi cumuletur ad pœnam, vt ipsius anni tempore, ab omni esu carnium abstineat gulam, qui sacris diebus abstinentiæ oblitus est disciplinam.* 10. *In Concil. Tol. 8. can. 9 celebrato ante annos 800. Quomodo sint irrisores puniendi.*

Equidem cum peccatur publicè æquum esse videtur, præuaricatori necessarium, & communitati vtile, vt quæ in sacrilegam voracitatem decreta sunt, omnino seruentur: aut ad minimum, vt non cum alijs in paschate ad sacram communionem admittantur: sed post dignam & publicam actam pœnitentiam alio tandem tempore communicent: viderint Pastores qui secus agunt ne & alienorum peccatorum participes fiant, & sua conniuentia, pietatem, iustitiam, ac fidem omnem prodant.

QVI-

LI.

QVIBVS DIEBVS PER ANNVM *à carnibus sit abstinendum?*

SIngulis hebdomadibus in tota diœcesi Treuirensi, maiorum consuetudine abstinendum à carnium vsu feria sexta & Sabbatho, nisi in alterum horum incidat Natiuitas Christi: neque Sabbata inter Domini natiuitatem, & virginis purificationem venientia, à dicta abstinentia lege eximuntur.

In festis B. matris Dei, vnicum est assumptionis, in cuius vigilia ex præcepto Ecclesiæ est ieiunandum. In reliquis, quæ in foro celebrantur, præueniunt multi solennitatem ieiunio, non ex obligatione: sed pia ac valde laudabili, in virginem deuotione.

Omnes autem, etsi non ieiunent, à carnibus continent; quod, vt laudabilis consuetudo, merito retinendum.

In die S. Marci Euangelistæ propter publicas preces non vescimur carnibus, nisi forsan in paschalem hebdomadem incidat.

Feria 2.3.& 4. rogationum, quæ Domini ascensionem immediatè præcedunt, similis seruanda abstinentia.

IEIV-

LII.

IEIVNIA EX ECCLESIÆ PRÆcepto à fidelibus per annum obseruanda.

VIgilia S. Matthiæ.

Quadrageſima in qua concurrit ieiunium quatuor temporum.

Vigilia pentecoſtes.

Feria 4. 6. & Sabbatho poſt pentecoſten ieiunium quatuor temporum.

Vigilia S. Ioannis Baptiſtæ.

Vigilia SS. Petri & Pauli Apoſtolorum.

Vigilia S. Iacobi.

Vigilia S. Laurentij.

Vigilia aſſumptionis Mariæ.

Vigilia S. Bartholomæi.

Feria 4. 6. & Sabbatho: poſt exaltationem S. crucis ieiunium quatuor temporum.

Vigilia S. Matthæi.

Vigilia SS. Simonis & Iudæ.

Vigilia ſanctorum omnium.

Vigilia S. Andreæ Apoſtoli.

Feria 4. 6. & Sabbatho poſt D. Luciæ ieiunium quatuor temporum.

Vigilia S. Thomæ.

Vigilia natiuitatis Chriſti.

LIII.

ADMONITIO PRO PRIMA QVAdrageſimæ Dominica.

EXpedit vt paſtores, concionatores, Catechiſtæ in ipſa Dominica Inuocauit, clariſſimè plebi explicent, quæ ſuperius dicta ſunt de illis, qui communione corporis Chriſti indigni ſunt, vt norint omnes qua ratione ſe ad paſcha celebrandum comparare debeant, ne cum damno & dedecore beneficio abſolutionis, ac ſalutaris corporis Chriſti viuifico cibo orbentur. Non ignoret tamen Sacerdos propter occultum crimen publicè Euchariſtiam petenti non eſſe negandam, etiamſi confitentem abſoluere non potuerit.

Prax. 43. & 58 §. 6.

LIIII.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

Quæ ſunt impedimenta, quæ ſi quis norit detegere iubet Paſtor, cum publicè pronunciat eſſe, qui nuptiarum fœdera inire conſtituerint?

REs hæc inprimis cognitu neceſſaria, atque omnibus merito explicanda. Sunt huiuſmodi impedimenta in duplici genere. Quæ-

Quædam enim cum inueniuntur, etiã quod contractum putabatur matrimoniũ, prorsus rescindunt, faciuntque inane ac irritum esse. Quædam efficiunt, vt sine peccato non contrahatur: si tamen contractum fuerit, valet.

Quænam impedimenta contractum matrimonium dirimunt?

COmmemorabo ea tantum quæ facile contingere possunt.

Votum castitatis solenne, quale Deo nuncupant, qui aut sacro ordine aliquo initiantur, aut in religione approbata professionem faciunt.

Cum itaque concubinam suam Presbyter aut Monachus in facie Ecclesiæ ducit: manent post, vti ante æquè imo magis sacrilegi: eadem est ratio de monialibus incestè nubentibus, *habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.*

Cognatio seu consanguinitas: nam qui intra quartum gradũ sibi inuicem sanguine iunguntur, matrimonium inire non possunt: Est & quædam cognatio spiritualis in sacramentis Baptismo & confirmatione cõtracta, inter susceptores & susceptum, cuius parẽtes efficiuntur: & inter eosdam susceptores & susceptos parentes, quibus compa-

tres fiunt, quæ pari ratione, vt carnalis cognatio, ad matrimonium ineundum reddit inhabiles.

Crimen cum videlicet coniugum alter coniugem suum, operam suam dante tertia aliqua persona, interimit, inter viduum & homicidam non potest consistere matrimonium: vel cum alter coniugum adulterat, & postea suum interficit coniugem, homicida cum adultera vel adultero non potest contrahere: vel cum alter coniugum, nō solum adulterat, sed etiam adultero vel adulteræ matrimonium spondet, non poterit id efficere etiam post obitum naturalem coniugis.

4. Vis.

4. Habere coniugem.

5. 6. Affinitas, quæ impedit vsque ad quartum gradum; Nascitur autem hæc non solum ex legitimo seu matrimoniali congressu, verum etiam fornicatorio: monendi proinde iuuenes lasciuientes, nedum seruiunt suæ libidini, vna fortè venere sibi ipsis impedimento sint, quo minus per nuptias in honostam ac diuitem familiam inscribi possint. Sciendum tamen beneficio concilij Trid. affinitatem ex fornicatione ortam, nō nisi vsq; ad secundum gradum, contractum matrimonium dissoluere.

Quod si legitimo matrimonio superue-

nerit

nerit affinitas, non equidē ipsa dirimet matrimonium, si quidem ad mortem durat, peccat tamen incestuosus ille nisi cum ea dispensatum fuerit, quotiescunque exigit debitum. Quocirca, quid illi sit faciēdum confessarium aut peritum aliquem consulat.

Quænam tantum impediunt contrahendum?

INterdictum Ecclesiæ, tempus quo non celebrantur nuptiæ, votum simplex castitatis: sponsalia quibus quispiam alteri dedit fidem, vxoricidium vel mariticidium.

Quæ porrò de tribus proclamationibus, clandestinorum matrimoniorum irritatione, & ne in eadem domo sponsi ante sacerdotalem benedictionēm morentur, ante contractum diligenter de peccatis suis confiteantur & communicēt, & nuptiarum solennitate, qua decet modestia & honestate celebrandis, & id genus alia ab Ecclesia vtiliter sancita sunt, diligens, & animarum salutis sitiens Catechista, ex decretis sacrosancti cōcilij Tridentini declarare non omittat; ac præsertim illud omnibus interdictum, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ne quamcunque personam inuitam nubere cogant. Graue enim peccatum, ac multorum malorum scaturigo, libertatem matrimonij violare.

1. Cor. 7. Præterea quomodo qui *vxores habent* esse debeant, iuxta S. Pauli doctrinam, *tanquam non habentes*, & suo tempore continere, ne sint sicut *equus & mulus super quos dæmon potestatem habet*, vt Archangelus Raphaël testis Tob. 6. est, intelligant, quibus opus, maximè noui coniuges ex docto, prudenti, ac pio animarum curatore.

L V.

QVIDNAM OFFICII FIDELIBVS *defunctis mihi præstandum?*

Eccl. 7. MOrtuo *non prohibeas gratiam* ait Ecclesiasticus, quod & strenuus ille ac sanctus dux Iudas Machabeus optimè intelligens, oblationes pro ijs fieri curauit, qui *cum pietate dormitionem acceperant*. Cuius pium offici- 2. Mac. 12. um commendans scriptura ait, *sancta ergo, & salutaris cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*..

Quibus suffragijs à pœnis soluuntur animæ defunctorum?

OBlatione corporis Domini, orationibus, Eleemosyna, ieiunijs; sicut vnanimiter cum patribus sanctis Augustino & Chrysostomo vniuersa tradit Ecclesia.

De verbis Apostoli Ser. 34. Verba diui Augustini clara sunt *orationibus, inquit S. Ecclesiæ & sacrificio salutari & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est*

est dubium mortuos adiuuari, vt cum eis misericordius agatur à Domino, quam peccata eorum meruerunt: hoc enim à patribus traditum vniuersa tenet Ecclesia: Chrysostomus. *Non temere ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, vtilitatem multam.*

Ho 32. in Matth & 69 ad populum Antiochenum.

Oratio dicenda dum per cœmiterium itur.

O Fideles animæ quorum corpora hic & vbique in dulcissimo nomine IESV quiescunt, gratiam suam vobis impertiatur Deus Pater, redimat vos Deus filius, consoletur vos Deus Spiritus Sanctus: vestri misereatur Maria, intercedant pro vobis omnes cœli ciues. Orate & vos fideles animæ pro me misero peccatore, Amen.

Pro viuis & defunctis sæpè dicenda.

DA Domine requiem defunctis, pacem viuis, peccatoribus veniam & vitam æternam, Amen.

Cum accipis aquam benedictam.

LAVA me Domine ab iniquitate mea, munda me Domine IESV à peccatis meis, qui me pretioso sanguine tuo redimere, & per sacrum Baptisma abluere & saluare dignatus es, Amen.

Rem quempiam aggrediens sic ora.

CONcede mihi gratiam tuam Domine Pater cœlestis facere in gloriam ac laudem in nomine Domini nostri Iesu Christi auspicandi atque perficiendi.

Cum hora sonat.

MAria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe.

LVI.

COMMENDATIO AD D. VIRGINEM.

OPijssima castissimaque virgo Maria, secundum Deum, spes mea vnicumque præsidium atq; solatium: qua te fide & charitate charissimus tuus filius dilecto discipulo Ioanni commendauit, eadem & ego hodie, & semper corpus meum, & animam meam, honorem meum, meaq; omnia tibi cõmendo: tum verò maximè, quando anima mea, ex hoc corporis ergastulo migrabit: precorque, vt custodias immunem à peccatis, offendiculis, ignominia, ira tremendi iudicij, cogitationibus inhonestis, ab omni mortifero delicto, à morte repentina, omni denique periculo corporis, & animæ itemque fame, ac bonorum. Ne sinas, ô domina, vt vllo vnquam delicto tua excidam gratia, vtque

vtque præterita mea scelera diluam, moresque corrigam, neue amplius relabar, obsecrò, filium exora: quin & impetra mihi viuo, atque adeò morienti, præsens auxilium contra omnes aduersitates: mihiq; apud filium dilectissimum Dominum meum IESVM CHRISTVM patrona sis, & aduocata fidissima, quo in extremo illo iudicij die iustorum obtineam locum, Amen.

LVII.

QVANDO PVBLICVM DEI PAram virginem salutandi signum auditur, vt te geris?

VEspertino quidem tempore, in Ecclesiastici diei exordio nimirum, memor, vt ad mundi vesperam, ac temporum plenitudinem, filius Dei homo sit factus, vt hominem perditum, suæ diuinitatis faceret consortem, flexis genibus, aut saltem nudato capite, pro more fideliũ quibuscum̃ versor, pro tanto beneficio, quam possum deuotissimè, gratias ago: petoque patrem misericordiarum, vt per hoc incarnationis vnigeniti filij sui mysterium, ac B. MARIÆ intercessionem, mentis meæ tenebras dispellere, meque ne vnquam obdormiam in morte sua gratia illustrare dignetur. Porrò si quid boni eius gratia iuuante illo die à me actum sit, sibi oblatum & acceptum esse velit, in hunc modum.

1. Angelus Domini nunciauit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto, Aue Maria.
2. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, Aue Maria.
3. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, Aue Maria.

Gratiam tuam quæsumus Domine mentibus nostris infunde: vt qui Angelo nunciante Christi filij tui incarnationem cognouimus per passionem eius, & crucem ad resurrectionis gloriã perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

Qui verò, cum mane rei eiusdem monemur, deuotionem excitas?

HOc diei articulo Seruator noster laboribus ac doloribus omnibus perfunctus, & morte deuicta, resurgendo vitæ viã, atque immortalitatis aditum reserauit, cuius in nobis etiam è somno ad vitæ opera consurgentibus, imaginem quandam cernimus. Idcircò per hanc gloriosam filij Dei resurrectionem, ac Matris gaudia gloriam æternam deposco: ac deinde vt mihi donetur talia instanti die opera perficere, quæ resurrectionis filios condecent. Idque hoc pacto.

1. Regina cœli lætare, Aue Maria.
2. Quia quẽ meruisti portare, Aue Maria.
3. Resurrexit sicut dixit, Aue Maria.

Deus qui per resurrectionem filij tui Domini

mini nostri Iesu Christi familiam tuam lætificare dignatus es: præsta quæsumus, vt per eius genitricem virginem Mariam perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eũdem Christum Dominum nostrum, Amen.

Quid tandem meridie?

VBI ad horam duodecimam virginem salutare solenne est, primum quidem vnigenitum Dei filium in cruce pendendẽ, æterno patri offero, perque ipsum mihi tantum concedi gratiæ obsecro, quo æstum diei omniaque aduersa, non constanter modo patienterque, sed & alacriter perferam: tum etiam vt in mortis hora securus hinc emigrem, memoro etiam incredibilẽ dolorem, quo maternum Mariæ pectus sauciatum extitit, cum filio cruci confixo, tristissima illa fidelissimaque adstitit, per quem tum desiderium mihi vt impetret precor, hac ratione.

Christus Dominus captus est in peccatis nostris, Aue Maria. *4. Thr.*

Vere languores nostros ipse tulit, Aue Maria. *Esa. 53.*

Et cum sceleratis reputatus est, Aue Maria. *Ibidem.*

Respice quæsumus Domine super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Iesus Christus non dubitauit manibus tradi nocentum, & crucis subire tormentum. Qui tecum viuit & regnat, in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Psal. 54. Vespere itaque, mane, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam.

Qui literas ignorant, saltem singulis vicibus poterunt dicere ter salutationem Angelicam, supra dictam intentionem implicite habentes.

Hoc pietatis exercitium vt facillimum est, ita maximam habet, & mouendi, & satisfaciendi efficaciam. Pijs erit valdè vtile, pœnitentibus quodammodo necessarium. Optandum itaque esset, vt minimum domi suæ consistentes fideles non mente, tantum sed & dolenti corporis compositione assiduè se exerceant; quod à deuotis, & verè pœnitentibus confessarius, & Catechista non magno negotio impetrabit. Equidem etiam in peccatorum sordibus inueterato, exercitatio hæc ad expianda vetera, & futura cauenda, percommoda fuerit.

LVIII.

QVA RATIONE AD SOMNVM capiendum vesperi te comparas?

ANtequam incumbo, repeto per examen conscientiæ ab anima rationem exactæ diei ne fortè me ex hac vita nocte illa Deus euocans, inueniat imparatum. Examen autem his quinque punctis complector.

I. Ago

1. Ago Deo gratias pro omnibus beneficijs, potissimum verò illo die acceptis.
2. Efflagito à Deo gratiam, pro vera cognitione & detestatione peccatorum, transacto iam die, commissorum.
3. Exigo à conscientia rationem de admissis præsenti die peccatis cogitatione, verbo, opere & omissione totius diei horas singulas, à mane in vesperum percurrẽdo: in quo, vbi maiori discussione opus, vt in peccatis quorum cõsuetudine laboro, seu ad quæ me procliuiorem agnosco, diligentius insisto.
4. Humiliter peto à Deo veniam admissorum peccatorum.
5. Seriò propono in posterum cum Dei gratia vitæ emendationem. In fine addo. Pater noster. Aue Maria. Qui habitat in adiutorio altissimi, Salue Regina, &c. orationem Dominicam, ad Angelum custodem aliasq; preces, quas suggerit deuotio.

Oratio cum itur cubitum.

TIbi gratias ago Pater cœlestis per dilectum filium tuum, Dominum nostrum Iesum Christũ, quod me hoc die; pro tua benignitate, custodisti: tuam deprecor clementiam, vt condonatis quæ hodie admisi peccatis, me & hac nocte ab omnibus aduersis tuearis, tibi enim commendo corpus & animam meam, & quicquid mihi à diui-

diuina maiestate tua datum, in benignitatis tuę manu repono. Angelus tuus sanctus mecum sit, ne quando prævaleat aduersum me inimicus, tuaque benedictio me semper custodiat. Per Dominum nostrum, &c.

Examine atque oratione absoluta, admitor animum pia meditatione atque oratione colligere, vito fabulas, cogitationes externas, negotiorum gerendorum sollicitudines, & quicquid coniunctionē, cum Deo impedire solet: ingrediens lectum, obsecrò vt Dominus noster dormienti mihi ea nocte adesse dignetur, cum virgine matre, & Angelo custode, & sanctis omnibus, & præcipuè patronis meis singularibus, qui me custodiant & protegant.

D. Chrysost. sententia est animaduersione dignissima peccatorem, qui somno se cōmittere audet, antequam se Deo reconciliet, maiori se in periculo constituere, quam qui inermis cum hostibus mille armis optimè instructis manus conserit.

LIX.

PERACTO QVOCVNQVE OPERE sic licebit gratias agere.

BEnedicta laudabilis & gloriosa beata Trinitas Pater Filius & Spiritus Sanct', à quo bonum omne: cui pro omni opere laus, honor, gloria, & gratiarum actio debetur. Bene-

Benedictum sit sanctissimum nomen Domini nostri Iesu Christi, sit & benedicta beata virgo MARIA, & vniuersa curia cœlestis nunc, & in sæcula sæculorum, condona mihi clementissimè Pater Domine Deus, quicquid in hoc opere minus aut plus agendo deliqui, tu fac finem obtineat fœlicē, quantumuis exiguum illud sit, ac imperfectum quicquid aut intendo, aut molior paterna benedictione tua sanctificetur, & ad diuinæ maiestatis gloriam ac meam salutem proficiat,
Amen.

Laus Deo, gloriosissimæ Virgini Mariæ, & omnibus Sanctis.

FINIS.

IN-

INSTITVTIONES PHILIPPO PRIMOGENITO FILIO A. S. Ludouico rege sub mortem propositæ venerabilis patris Laurentij Surij.

Charitas.

Ex IV. Tomo de sanctis.

FIlli mi, ante omnia diligenter in eam curam incumbe, vt diligas Deum: nemo enim potest esse saluus nisi Deum amet.

Odium peccati.

Caue ne vnquàm admittas peccatum mortiferum, sed omnia potius ferre velis genera tormentorum, quàm aliquam talem perpetrare culpam.

Patientia.

Cum aduersa accidunt, feras æquo animo, & cogites te commeruisse, atque ita lucrum indè tibi accedet.

Humilitas.

Cùm rebus prosperis frueris, humiliter agas gratias Deo, ne indè animo elatus, efficiaris deterior, vndè te oportuit fieri meliorem.

Con-

Confessio.

Crebro confitearis peccata tua, deligasq; tibi sapientes confessarios; qui te possint instituere & docere, quid agere, quid vitare te oporteat: & coram illis ita te compares, vt audeant syncerè te reprehendere, & vitia tua indicare tibi.

Precandi studium.

Officium diuinum deuotè auscultes: facessant tibi fabulæ & nugæ, nec oculi huc atque illuc circumferantur: sed ores Deum ore, & etiam meditando corde, idque præcipuè sub sacrificio post peractam consecrationem.

Misericordia.

Animo sis pio & humano ergà pauperes & calamitosos homines, illisque pro viribus opituleris. Si quid angat animum, id mox explices confessario tuo, aut alicui viro bono: ita fiet, vt facilius id feras.

Qui adsciscendi, itemq; vitandi.

Da operam vt quorum veteris consuetudine & familiaritate, ij sint homines probi & integri, siue religiosi illi sint, siue seculares, & cum illis libenter misce colloquia: Porrò nequam & improborum virorum commercia deuita.

Conciones, Indulgentiæ.

Sermones, qui fiunt de Deo, publicè & priuatim, lubens audias: Preces quoque & con-

condonationes siue indulgentias studiosè expetas. Amato bonũ, odito malum omne.

Obtrectationes cauendæ.

Vbicunque fueris, nemo ausus sit quicquam eiusmodi te præsente eloqui, quod alliciat ad mortiferum peccatum, aut alterius famæ deroget: nec tu vnquam de vllo malè loquaris obtrectandi animo. Non patiaris quenquam, te audiente, peruersè de Deo aut sanctis eius loqui, nec id sinas impunè abire.

Gratitudo.

Crebrò gratias agas Deo pro bonis omnibus ab illo tibi collatis, vt dignus fias potioribus eius beneficijs affici & augeri.

Iustitia.

In administranda iustitia sis rectus & seuerus, & ita vt leges præscribunt, eam exerceas erga subditos, neque ad dexteram, neque ad sinistram deflectens: Pauperumque querimonias non reijcias, donec veritas innotescat. Si quis habeat aduersum te querelam aut controuersiam, semper ab illo stes contra teipsum, donec rem certam comperias. Ita enim fiet vt consiliarij tui fidentius iustam ferant sententiam.

Restitutio.

Si quid possideas rei alienæ, etiam si id acceperis à maioribus tuis, incunctanter restituas

tuas iusto possessori, vbi certò id tibi constiterit. Sin autem dubia res est, cura vt viri sapientes accuratè & sine mora inquirant. Id enim vel maximè studere debes, vt qui sunt in ditione tua, pace & iustitia fruantur, in primis homines religiosi, & q in clero sunt; parentibus tuis debes amorem, reuerentiam & obedientiam.

Ecclesiastica beneficia dignis conferenda.

Beneficia Ecclesiastica non conferas nisi bene dignis, & qui nulla eiusmodi beneficia habeant, idque ex consilio bonorum virorum.

Pax.

Bellum, præsertim aduersus quemlibet Christianum, sine multo consilio vide nè suscipias. Si necessitas cogat suscipere, Ecclesias & insontes nullo patiaris damno affici. Si qua existat vel tibi, vel subditis tuis contentio, vel bellum, quo ad poteris, componere & sedare coneris. Vide vt bonos habeas prætores & magistratus, & de illis & solerter inquiras, vti se gerant.

Reuerentia erga Romanum Pontificem.

Semper sis addictus & deuotus Romanæ Ecclesiæ, & eius Pontifici haud secus, atque spirituali Patri te morigerum præbeas. Da operam, vt impensæ tuæ moderatæ sint, &

rationi consentaneæ. Sub finem hortor & adiuro te, fili mi, vt si me contigerit ante te migrare ex hac vita, vt toto regno Franciæ pro anima mea cures offerri Deo preces & Missæ sacrificia. Ad extremum, fili charissime, quicquid boni potest bonus & pius parens precari filio suo, id ego precor tibi. Sacrosancta Trinitas & sancti omnes seruent te ab omni malo, præstetque tibi Deus gratiam rectè semper agendi, & ipsius faciendi voluntatem, ita vt ille per te honoretur, & nos possimus post hanc vitam pariter esse cum illo, eumque contemplari & laudare per infinita sæcula sæculorum, Amen.

IN-

INDEX IN PRAXIM CATECHISTICAM.

Modus piè à somno consurgendi. 528.
Modus quotidie vtiliter audiẽdi missam. 530.
Quare quotidie sit audienda. 532.
De rosario. 534.
Mysteria in rosario memoranda. 535.
Modus vtiliter precandi. 539.
Modus audiendi concionem. 540.
De contritione. 541.
Tabula peccatorum seu speculum pœnitentis. 542.
De iuramentis ac blasphemijs. 549.
De collatione vespertina in ieiunijs. 551.
De sacramenta ministrantibus aut suscipientibus indignè. 552.
De ijs qui permittunt liberos suos morari apud hæreticos. 554.
Eleemosynæ largiendæ nescitas. 556.
De bello. 557.
Quid confessario cum concubinarijs agendum. 561.
Difficulter aut tardè, vel omnino non soluere mercedem operariorum quantum sit peccatum. 562.
De Simonia religionem ingredientium. 565.

De vsuris. 568.
De præceptis Ecclesiæ. 578.
De decimis. 580.
De peccatorum circumstantijs. 583.
De confessione. 584.
De exterminanda longa illa generalissimaq; confessione. 588.
Quo in loco sint audiendæ confessiones. 589.
Quando confessio sit inanis ideoq; repetenda. 590.
De satisfactione. 591.
Pœnitentiæ exercitia. 592.
Generalia vitiorum extirpandorum remedia. 594.
Contra exitialem blasphemandi, maledicendi & iurandi consuetudinem. 594.
De sacrosancta Eucharistia. 597.
De præparatione ad Eucharistiam. 601.
Quæ reddant indignum sacramento Eucharistiæ. 604.
Quid in tentatione agendum. 608.
Qua sit vtendum industria premente aduersitate. 609.
Quid præstandum in corporali infirmitate. 610.
Quomodo iuuandi qui sunt in mortis periculo. 612.
Festi dies qua ratione piè celebrandi. 615.
Quibus diebus per annum abstinendum à carnibus. 622.
Index ieiuniorum Ecclesiasticorum. 623.
Admonitio pro prima quadragesimæ Dominica. 624.
De matrimonij impedimentis. 624.

Quid

INDEX.

Quid defunctis præstandum. 628.
Quid orandū, cum aspergimus nos aqua benedicta. 629.
Cum rem quampiam aggrederis. 630.
Cum hora sonat. 630.
Commendatio ad D. virginem Mariam. 630.
Quid orandum dum datur signum salutandi B. virginem. 631.
Modus piè ad somnum capiendum se comparandi. 634.
Quomodo gratiæ agendæ sint peracto quocunque opere. 636.

FINIS.

Collegij Societ. Jesu Paderbornæ


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN